This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

WIDENER LIBRARY
HX JUUL L

Lt 1. 369 Corridor

HARVARD UNIVERSITY.

LIBRARY OF THE

Classical Department,

HARVARD HALL.

9 July, 1891.

P. CORNELII TACITI
AGRICOLA.

P. CORNELII TACITI
AGRICOLA.

EX

WEXII RECENSIONE RECOGNOVIT ET PERPETUA ANNOTATIONE

IN USUM SCHOLARUM

ILLUSTRAVIT

FRIDERICUS KRITZIUS,
PROFESSOR ERFURTENSIS.

EDITIO TERTIA AUCTA ET EMENDATA.

BEROLINI.
SUMPTUS FECIT W. WEBER.
MDCCCLXXIV.

Lt 1.369

1891, July 9.
HARVARD UNIVERSITY,
Classical Department.

VIRO

CLARISSIMO DOCTISSIMO HUMANISSIMO

GEORGIO SCHOELERO,

PHILOSOPHIAE DOCTORI,

REGII GYMNASII ERFURTENSIS RECTORI,

INSTITUTIONE, AUCTORITATE, EXEMPLO

DE FLORE EIUS SCHOLAE MERITISSIMO,

HANC AGRICOLAE EDITIONEM

PUBLICUM OBSERVANTIAE ATQUE AMICITIAE DOCUMENTUM

EXSTARE VOLUIT

FRIDERICUS KRITZIUS.

PRAEFATIO.

Quod de Agricola dicit Tacitus sublimi eum et erecto fuisse ingenio, id summo iure de ipso praedicari potest, neque ullus est ex Romana antiquitate scriptor, qui morum castitate, iudicii acumine et integritate, rerum humanarum intelligentia, denique scribendi arte prorsus admirabili cum eo comparari possit. Quae summae eius virtutes quum a praeclarissimis omnium aetatum viris agnitae sint, rerum scholasticarum periti perquam sapienter instituerunt, ut primum illi locum in scriptoribus latinis explicandis tribuerent, cuius studio ingenia apprime alerentur, excolerentur, excitarentur. Vere enim dici potest, qui Tacitum vel non noverint, vel amare et admirari non didicerint, parum eos in litteris et humanitate profecisse, neque certius esse liberalis cultus documentum, quam si quis illo studiose lecto et sano iudicio et ingenua voluptate et vera prudentia se auctum sentiat. Quare quum dubitari nequeat, quin litterarum studiosi adolescentes, ubi primum valent ad tam gravem auctorem intelligendum, ad Taciti lectionem adducendi sint, non minus certum videtur, nullum esse ex omnibus eius scriptis, a quo ea melius incipiat et ad cetera progrediatur, quam ab Agricola, qui libellus et a modico ambitu et a mira rerum suavitate plurimum habet commendationis. Quae reputanti mihi id

consilii fuit, ut editionem pararem, qua qui uterentur, omnia haberent, quibus opus est ad Taciti cognitionem cum fructu auspicandam eiusque peculiarem morem recte intelligendum. Non solum igitur prolegomenis, indoctis illis quidem et brevibus, sed, ut speramus, ad communem intelligentiam accommodatis, ad hoc prolixiore argumento ita comparato, ut partes libelli atque dispositio facile inde pateat, denique addita tabula chronologica, quae temporis notitiam iuvaret, aditum quasi ad Agricolam ipsumque Tacitum aperire studui, sed hoc imprimis operam dedi, ut nihil eorum, quae aliquam explicationem poscere viderentur, non brevi dilucidaque annotatione illustratum darem. Quaecumque igitur eos, quibus Tacitus novus est, morari posse viderentur, sive insueta brevitate, sive rerum difficultate, sive sententiarum nexu, sive verborum atque constructionis insolentia impedimenta intellectui obiiciente, ea iusta interpretatione amovenda putavi. Ita autem in eo negotio versatus sum, ut nihil attingerem, nisi quod ad ipsa auctoris verba illustranda utique necessarium esset, diversas autem interpretum sententias non refutarem, neque innumeras coniecturas, quibus Agricola vexatus est, respicerem, lectorum magis interesse ratus cognoscere quomodo ipsis quaeque recte intelligenda essent, quam quomodo alii ea perperam intellexissent.

Quod si qui sint, qui nos hic illic nimios fuisse in explicando arguant, facile largior recte eos monere, si totum Tacitum tam prolixe ab editore illustrandum putarem; a qua sententia multum absum. In hoc autem libello ut paulo uberiore annotatione uterer, quum eo factum est, quod saepius perversis priorum editorum explicationibus tacite occurrendum fuit, tum quod hoc maxime spectavi, ut studiosi adolescentes, Agricola acriter hausto hoc quasi exemplo discerent, quibus rebus in Tacito legendo animus ipsis esset intendendus. Qui igitur accurate et cum cura cognitis iis, quae ad expediendas difficultates in annotatione attulimus, in scholam accedent perito praeceptori operam daturi, eos confidimus huius editionis usu brevi ad idoneam sermonis Taciti cognitionem venturos.

Neque poenituerit provectiores in litteris latinis adolescentes sine praeceptore nostram Agricolae editionem diligenter versavisse, cuius ope ipsi per se scriptoris praestantissimi probabilem notitiam contrahant.

Quamquam autem interpretationem primum in hac editione locum obtinere volui, tamen, quoniam ea parum recte procedit, nisi vera ac certa sint auctoris verba, quae explicentur, non neglexi iustam curam textui recte constituendo impendere. Quam vitiosam is formam induerit Puteolani vel incuria vel levitate, ex cuius editione vulgata fluxit scriptura, inter omnes constat. Ac licet sequentium editorum sollertia haud pauca emendata essent, imprimis ex quo inde a Broterio codices Vaticani respici coepti sunt, multa tamen dubia ac depravata remanserunt, quum plurimis locis quid codices praeberent, quidque ab editoribus coniectura illatum esset, ignoraretur, ut perpetuo fluctuaret iudicium, plusque coniectandi libidine quam certa ratione ageretur. Ante paucos demum annos, quum Caroli Wexii cura duo codices Vaticani, qui unicus fons est Agricolae, summa diligentia et accuratione iterum essent collati, non solum omnes de scriptura veterum monumentorum dubitationes sublatae sunt, sed etiam eiusdem Wexii industria nova plane recensio condita. Quo fundamento quum haec nostra editio, ut par est, nitatur, pauca de illis codicibus dicenda sunt. Vaticanus primus, No. 3429 (*Γ*), chartaceus est, manu Pomponii Laeti intra annum 1470 et 1497 scriptus. Quamquam admodum recens tamen et ex satis bono exemplo fluxit, et magna cura a Pomp. Laeto est exaratus, ac, postquam descriptus fuit, iterum ab eo ad antiquum exemplum exactus, ut, licet vitiis non careat, quae maximam partem iam in archetypo fuerunt, magnae sit auctoritatis, egregiumque habeat usum ad verba Agricolae emendanda ac recte constituenda. Vaticanus alter, No. 4498 (*Δ*), membranaceus, seculo xv nitidis quidem litteris scriptus est, sed sive festinatione et incuria sive imperitia librarii multis peccatis affectus, ut per se aliquanto minoris pretii sit. Sed nihilominus, quum aliquot locis solus genuinam lectionem serva-

verit, in ceteris autem fere ita cum Vat. *Γ*. conspiret, ut pleraque peccata sua sponte se prodant, haud contemnendam utilitatem hanc affert, quod eius ope iudicium de alterius codicis lectionibus régitur et confirmatur.

Praeterea Wexius duorum codicum, qui ipsi quidem deperditi sint, varias lectiones adhuc exstare dicit, et in usum criticum advocandas. Quae opinio, quoniam viro doctissimo hic illic fraudi fuit, paucis hic nobis redarguenda est. Quum enim Vat. *Γ*. in margine aliquot locis discrepantes lectiones ipsa Pomponii Laeti manu ascriptas habeat, quibus nota *Al'* addita est, Wexius sibi persuasit has lectiones ex *alio* codice esse enotatas, eamque ob caussam iusta codicis auctoritate esse debere. Sed tum paucitas harum discrepantiarum (nam totum codicem accurate collatum non plures habere incredibile), tum ipsa earum condicio ostendit nullas codicis scripturas hic haberi, sed alio modo ortas esse has notas margini appictas. Pomponius Laetus enim, qui summam industriam adhiberet, ut exemplum Agricolae ab ipso descriptum quam emendatissimum esset, non solum, si quid ipse in scribendo peccasset, animadverso errore statim falsum vocabulum punctis notavit verumque eius loco posuit, sed etiam post absolutum describendi negotium, fortasse aliquo tempore praeterlapso, codicem, unde suum exemplum descripserat, acriter intenta oculorum atque mentis acie retractavit, quicquid antea vel neglexisset vel non satis recte intellexisset in margine annotans. Fuit enim ille codex, unde fluxit Vat. *Γ*, ut ex multis locis intelligitur, et ipse minime antiquus, litterisque malis, incertis, non satis distinctis, ac multis compendiis exaratus, ut haud raro valde difficilis lectu esset, ac dubitationibus erroribusque locum daret. Quibus rectae intelligentiae obstaculis ut, quantum posset, occurreret, Laetus postea in margine annotavit vel ea, quae, quum primo falso legisset, postea rectius eruit, vel ea, quae ob incertam lectionem etiam alio modo legi posse iudicavit, vel obscuratam sui codicis scripturam coniectura emendare studuit, vel discrepantias quasdam, quas iam in suo codice notatas invenit, in apographum trans-

tulit. Quae omnia, quamquam non prorsus spernenda sunt, et caute utentibus aliquam possunt utilitatem praestare, tamen nullo pacto codicis auctoritatem obtinent, quippe a coniecturis parum diversa. Tantum igitur abest, ut illa nota *Al'* significet *alius codex*, quod Wexio videtur, ut nihil aliud sit quam *alias* vel *aliter*, hoc sensu: *alio modo etiam sic legitur, vel sic legi aut scribi potest.*

Non magis certa vel potius multo incertior Wexii est opinio de alterius codicis deperditi servatis lectionibus, quas detexisse sibi visus est in libro, qui inscribitur: *Fragmenta historicorum collecta ab Antonio Augustino, emendata a Fulvio Ursino.* Antwerp. 1595. Additae sunt *Ursini notae* cum ad alios scriptores tum (p. 460—462) ad Taciti Agricolam, in quibus tum suas aliquot et Danesii coniecturas, tum *veteris codicis* lectiones affert. Quid hic Wexium seduxerit, ut de *codice* aliquo cogitaret, non difficile est ad videndum. Quem enim Ursinus, loquendi usum sui temporis secutus, dicit „*veterem codicem*," non est liber manu scriptus, sed typis impressus, cui unus ex veteribus possessoribus tum nonnullas Vaticani *Γ*, cuius aliquam notitiam habuisse videtur, lectiones, tum suas coniecturas appinxerat. Ursinum ipsum enim neque inspexisse neque contulisse illum codicem evincunt nonnullae lectiones „veteri codici" attributae, quae in Vatt. non comparent. Valde ambiguae igitur auctoritatis has quoque Ursini notas esse vix cuiquam dubium videatur.

Quae quum ita sint, non magnopere respectis lectionibus, quae in margine Vat. *Γ*. et in Ursini notis habentur, unice ad cod. Vat. *Γ* et *Δ* textum exegi. Sciant autem lectores ubique legi integra utriusque cod. Vat. verba, ubi nulla in annotatione discrepantia indicata est, nisi quod apertos calami lapsus levioresque discrepantias ac variam orthographiae rationem notare plerumque supersedimus. Sicubi vero vel alter cod. gravius discrepat ab altero, vel uterque vitiosam praebet scripturam, accurate annotavi, quid in libris manu scriptis sit, addito ubique nomine editoris, cui emendatio corrupti loci debetur. Etiam ubi relictâ vulgatâ scripturâ, quae

vel Puteolani vel aliorum inconsideratis mutationibus invecta esset, ad codicum lectionem redii, non feci tacite, sed ubique testatus sum repositam lectionem in codicibus exstare. Ita lectoribus nunquam non, quo fundamento Agricolae verba nitantur, in promptu est, neque, quod olim saepe molestissimum erat, dubitatio relicta, utrum in libris manu scriptis exstet recepta lectio, an editorum coniecturae debeatur. Egregiam in ea re operam praestitit Wexius, cuius indefessae industriae, magnae doctrinae, haud vulgari sagacitati plurimum me debere, gratissimo animo hic profiteor. Idem dextre atque gnaviter praeivit in eo, ut codicum scripturam diu neglectam atque obscuratam reduceret; sed quod fecit saepissime, id ego feci multo saepius et constantius. Quare ut uno quasi conspectu pateat, quibus locis huius editionis textus a Wexii recensione differat, omnem scripturae discrepantiam in hac tabula proposui.

Huius editionis scriptura.	Wexianae editionis scriptura.
I, 4. incusaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora	incusaturus. Tam saeva et infesta virtutibus tempora.
IV, 1. procuratorem Caesaris	procuratorem Caesarum.
IV, 1. quae equestris nobilitas est	[quae equestris nobilitas est].
IV, 2. pater fuit Iulius Graecinus	pater Iulius Graecinus.
V, 2. neque segniter	[neque segniter].
V, 3. excitatior	exercitatior.
V, 3. intersepti	intercepti.
IX, 3. et saepius misericors	[et saepius misericors].
IX, 4. Tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat	[Tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat].
X, 3. fama est transgressis	fama est.
X, 5. quia hactenus	sed hactenus.
X, 5. sed mare pigrum	Mare pigrum.
X, 5. remigantibus; perhibent	remigantibus perhibent.
X, 5. proinde	perinde.
XI, 4. detractandis	detrectandis.
XII, 5. patiens frugum, fecundum.	patiens frugum; [fecundum].
XIII, 4. poenitentiae	poenitentia.
XV, 2. alterius manum, centuriones, alterius servos vim	alterius manum, centuriones alterius vim.
XVI, 2. ne, quamquam	ni, quamquam.
XVI, 3. exorabilior. Et delictis	exorabilior et delictis.
XVI, 4. ignoscere vitiis blandientibus	ignoscere, vitiis blandientibus.

Huius editionis scriptura.	Wexianae editionis scriptura.
XVI, 5. indecorus.	indecoris
XVI, 5. et seditio sine sanguine stetit	[et seditio sine sanguine stetit].
XVIII, 6. patrius nandi usus	proprius nandi usus.
XIX, 1. incuriae	iniuriae.
XIX, 3. centurionem, milites	centurionem militesve
XIX, 3. fidissimum	fidelissimum.
XIX, 4, potius non peccaturos praeponere	praeponere potius non peccaturos.
XIX, 5. ac ludere pretio	ac luere pretio.
XX, 2. irritamenta	invitamenta.
XX, 3. nova pars	nova pars, illa illacessita transierit.
XXI, 1. Illacessita transiit sequens hiems	Sequens hiems.
XXI, 1. bello faciles	in bella faciles.
XXII, 2. legisse. Nullum	legisse; nullum.
XXII, 2. crebrae eruptiones	[crebrae eruptiones].
XXII, 5. supererat secretum, ut silentium	supererat, secretum ut silentium.
XXIII, 1. percucurrerat	percurrerat.
XXIV, 3. differt in melius	differt.
XXV, 1. exploravit. Quae	exploravit, quae.
XXV, 1. egregia specie, quum simul	egregia specie. Cum simul.
XXV, 2. impelleretur	impellitur.
XXV, 2. compararentur. Britannos — clauderetur. Ad manus	compararentur (Britannos — clauderetur): ad manus.
XXVII, 3. ducis elusos rati	ducis** rati.
XXVIII, 2. remigante	morigerante.
XXVIII, 3. ad aquam atque utilia rapientes	ab aqua atque victu laborantes.
XXVIII, 3. congressi, ac saepe	congressi; ac saepe.
XXX, 3. iique	eoque.
XXX, 4. defendit, atque — magnifico est. Sed nunc — patet. Nulla	defendit: nunc patet, atque—magnifico est. Sed nulla — gens.
XXX, 5. terrae, iam et mare	terrae et mare.
XXXI, 2. ager atque annus in frumentum,	aggeratur annus in frumentum:
XXXI, 2. conteruntur	conterunt.
XXXI, 5. in poenitentiam arma laturi	in poenitentiam laturi.
XXXII, 3. vincla	vincula.
XXXII, 3. loco caritatis	caritatis.
XXXII, 4. circumspectantes	circum spectantes.
XXXII, 7. illic tributa	ibi tributa.
XXXIII, 1. Iamque agmina, et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu; simul instruebatur acies, quum	Iamque agmina et armorum fulgores; audentissimi cuiusque procursu simul instruebatur acies: cum.

Huius editionis scriptura.	Wexianae editionis scriptura.
XXXIV, 2. ruêre, — pavida et inertia ipso agminis sono pellebantur, — sic	ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pelluntur: sic.
XXXIV, 3. et extremus metus torpore	extremo metu corpora.
XXXIV, 3. defixere aciem	defixere.
XXXV, 2. citra Romanum sanguinem bellandi	[citra Romanum sanguinem bellandi].
XXXVI, 1. parva scuta et enormes gladios gerentibus	[parva scuta et enormes gladios gerentibus].
XXXVI, 3. nostris ea iam	nostris iam.
XXXVI, 3. instantes	ante stantes.
XXXVII, 1. accucurrerant	accurrerant.
XXXVII, 3. humus, et aliquando	humus. Est aliquando.
XXXVII, 4. identidem primos sequentium, incautos collecti et locorum ignaros gnari,	collecti primos sequentíum, incautos et locorum ignaros.
XXXVII, 6. respectantes; rari	respectantes, rari.
XL, 4. penitus auxit	penitus hausit.
XLI, 2. militares viri	militares vici.
XLIII, 2. affirmare ausim	ut affirmare ausim.
XLIV, 2. nihil metus et impetus in vultu	nihil metus in vultu.
XLIV, 4. speciosae contigerant. Filia atque uxore superstitibus potest videri	speciosae contigerant filiae atque uxori superstitibus. Potest videri.
XIV, 5. Nam sicuti durare in hanc beatissimi seculi lucem	Nam sicut magnae cuiusdam felicitatis esset, durare in hac beatissimi seculi luce.
XLIV, 5. videre quondam	videre, quod.
XLV, 2. tum reus erat	iam tum reus erat.
XLV, 2. nos Maurici Rusticique visus	nos Mauricum Rusticumque divisimus.
XLV, 3. quum denotandis tot hominum palloribus	cum denotandis [tot hominum] pallore oribus.
XLV, 6. longae absentiae	nostrae absentiae.
XLV, 6. ante quadriennium	[ante quadriennium].
XLV, 6. comploratus es	compositus es.
XLVI, 3. aemulatione	aemulatu.
XLVI, 6. obruit	obruet.

Iam possem adhuc dicere de iis operae meae adminiculis, quibus praeter Wexii editionem usus sum. Sed priorum editorum atque criticorum vel merita vel culpas cum de universo Tacito tum de Agricola recensere et longum est, et ab huius editionis consilio alienum. Quare hoc tantum dicam adhibuisse me editiones totum Tacitum complectentes Broterii,

Ernestii, Waltheri, Orellii, Doederlini, Ritteri, Halmii, Haasii, singulares autem Agricolae Dronkii, Beckeri, Hertelii, Walchii, Peerlkampii, Nisseni, Rothii, earumque nullam esse, cui non plus minus ad auctorem emendandum atque explicandum debuerim, plurimum tamen taedii hausisse me ex Walchiana, plurimum cepisse utilitatis ex Rothiana. In Walchio enim, praeterquam quod patriae linguae se praestat non peritum artificem, sed horrendum carnificem, cum summa doctrina coniuncta reperitur incredibilis ingenii perversitas, mens praeiudicatis opinionibus occupata, in rebus planissimis caecitas, sapientia umbratilis, vitae usus ignoratio, ad hoc tumor, fastus, supercilium, tristitia, sui admiratio, aliorum contemptus. Quibus rebus ut haud contemnendae illius editionis virtutes valde obscurantur, ita apud Rothium omnia ad alliciendos et via atque ratione docendos lectores comparata sunt. A simplicitate enim et nativo quodam recti sensu numquam discedens sanum ac subactum ubique affert iudicium, in re critica cum dexteritate versatur, latinae linguae autem et peculiaris Taciti loquendi moris tantam habet peritiam accuratissima observatione innixam, ut hoc nomine pauci cum eo comparandi sint. Multa igitur ex eius editione bonae frugis plenissima in usum meum me convertisse etiam me non monente periti facile sentient.

His declaratis nihil est, quod addam, nisi hoc, valde me optare, ut, quam in emendando atque explicando Agricola inii rationem, non solum viris doctis probetur, sed etiam conferat ad studium Taciti in scholis iuvandum atque excitandum. Quare nihil gratius mihi accidere poterit, quam si Gymnasiorum Rectores, si quorum in notitiam hic liber venerit, dignum eum iudicent, quem disciplinae suae alumnis commendent eoque duce summi auctoris interpretationem ad formanda bona ingenia ingrediantur.

Dabam Erfurti VIII. Kal. Ian. MDCCCLIX.

PRAEFATIO EDITIONIS ALTERIUS.

Quod in fine superioris praefationis optaveram, ut scholarum rectores hac Agricolae editione uterentur ad primae classis discipulos accurata Taciti cognitione imbuendos magnoque egregii scriptoris amore inflammandos, id non frustra me optasse magnopere laetatus sum. Divenditis enim quinque annorum spatio exemplaribus primae editionis omnibus librarius honestissimus mihi nuntiavit nova editione opus esse, quam ut pararem acribus me monitis incitavit. Non repugnavi; universam tamen primae editionis rationem, quippe quam non displicuisse intellexissem in discipulorum institutione utentibus, non putavi esse mutandam. In nova igitur editione adornanda, quam in universum non mutatam et tamen emendatam vellem, duo mihi facienda iudicavi, alterum, ut leviora peccata vel typographicis mendis orta vel a calami lapsu profecta tollerem nonnullosque locos ad cognoscendum Taciti loquendi usum haud inutiles passim adderem, alterum, ut eos locos, quos codicum auctoritatem superstitiose secutus parum recte scripseram, emendatiores exhiberem. Non possum non in ea re grato animo profiteri multa me debere Schoemanno, professori Gryphiswaldensi, qui in Indice lectt. a. 1859—60 habendarum complures locos tanto pariter acumine et doctrina atque humanitate tractavit, ut ei non obsequi hominis perversi et dissoluti foret. Plus quam centum locis coniecturis Agricolam tentavit etiam Peerlkampus in editione altera, quarum nulla tamen, quamquam acutae et ingeniosae sunt omnes, talis mihi visa est, ut eam in ordinem verborum recipiendam putarem; nimirum ita sunt comparatae omnes, ut magis quaeratur quid possit esse, quam quid esse debeat, quo genere critices exercendae in scholis prorsus abstinendum arbitror.

Scripsi Erfurti Maio mense MDCCCLXV.

PROLEGOMENA.

Cap. I.

De Taciti vita, ingenio ac moribus.

Taciti quo illustriora sunt ingenii monumenta, quae merito in praestantissimis antiquitatis reliquiis habentur, eo obscuriora sunt et fere latent omnia, quae ad eius vitam pertinent. Quare, quum pauca tantum certis testimoniis tradita sint, pleraque doctorum virorum coniecturis nitantur, omissis quaestionibus ea tantum, quae aliquam probabilitatem habent, pro consilio huius editionis breviter complectemur.

Iam primum de anno eius natali ambigitur, quamquam coniectando satis prope ad verum accedi potest. Nam quum Plinius Epp. VII, 20, 3. se et Tacitum dicat „*duos homines aetate propemodum aequales*", et §. 4. adiiciat „equidem adolescentulus, quum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo sed proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam", inde consequitur illum paucis modo annis Plinio fuisse maiorem. Neque non congruit idem fere utriusque honorum cursus parvo annorum intervallo disiunctus, siquidem Tacitus anno p. Chr. 88. praetor fuit, a. 97. consul, Plinii vero praetura in annum 93. incidit, consulatus in a. 101. Qui quum a. 61. p. Chr. natus sit (cf. Epp. VI, 20, 5.), non verendum est, ne multum a vero aberremus, si Tacitum intra annum 56 et 58 natum esse statuamus; nam omnis fluctuatio in constituendo anno vix tolli poterit. Praenomen ei vulgo tribuitur *Caius*, auctoritate non admodum firma Sidonii Apollin. Epp. IV, 14. et 22. Quare, quum in antiquissimo codice Annalium Corbeiensi, qui nunc est Medic. I, praenomen com-

pareat *Publius*, praestat, ut in re incerta et levi, hunc sequi. Interamnae natum esse Tacitum magis antiquâ famâ, apud cives eius oppidi conservata, quam certo aliquo testimonio traditur. Quippe nata videtur illa fama ex eo, quod imperator Tacitus, qui Interamnas fuit, teste Vopisco c. 10, Tacitum scriptorem parentem suum dixit, et in eius honorem opera eius quotannis decies publico sumptu describi et in bibliothecis collocari iussit. Quae res ut non pro certo argumento est Interamnam esse Taciti patriam, ita per se nihil habet incredibile. Minus dubium est, quamquam et ipsum non plane compertum, patrem eius fuisse illum Cornelium Tacitum, quem Plin. H. N. VII, 16, 76. tradit Belgicae Galliae procuratorem fuisse.

Tacitum pueritiae accurata ac diligenti institutione usum esse, omnibusque liberalis disciplinae artibus (v. ad Agric. c. 4, 3.) imbutum, non dubitare sinit summus ingenii cultus in operibus eius conspicuus. Prae ceteris tamen acerrimo studio in eloquentiam incubuit (cf. Dialog. c. 1, 3. 2, 2. 7, 4. sqq.), quae etiam illis temporibus et ingenii famam conciliaret, et aditum ad honores et potentiam pararet (cf. Dial. c. 8.), brevique id consecutus est, ut disertissimis oratoribus annumeraretur (cf. Plin. Epp. II, 1, 6. II, 11, 17. IV, 13, 11. VII, 20, 4.). Inde ab adolescentia et huius artis studio, et ceterarum bonarum litterarum amore ac mutuo commercio, et morum similitudine in recti honestique sensu conspirante C. Plinio Secundo coniunctissimus fuit, cuius rarae et prorsus egregiae amicitiae complura exstant in Plinii epistolis testimonia (cf. I, 6. I, 20. IV, 15, 1. VII, 20. VII, 33. VIII, 7.). Quamquam autem ob tantam ingenii animique virtutem summamque concordiam ita clari erant, ut non solum in urbe, sed tota Italia primae iis deferrentur (cf. Epp. IX, 23.), ac neuter sine altero nominaretur, Plinius tamen libens Tacito priores concessit, eum exemplum sibi ac magistrum esse confessus (Epp. VII, 20.).

Stipendia fecisse Tacitum adolescentem non solum consentaneum est mori Romano antiquitus recepto necdum illis

temporibus abolito, sed etiam perspicitur ex plurimis operum eius locis, quibus et res militares summa peritia atque cura describit, et militaris disciplinae et gloriae ita se studiosum ostendit, ut neutrum convenire videatur nisi ei, qui ipse miles fuisset animoque militari esset imbutus. Quando et ubi in exercitu fuerit, ipse nusquam tradit. Quare admodum ingeniosum est, quod Fridericus Haasius coniecit, videri eum ab Agricola, quum is anno 74. p. Chr. Aquitaniae praeponeretur, tribunum ascitum, et in eius contubernio per tres fere annos versatum esse. Congruunt cum hac sententia ipsius aetatis anni; nam si a. 56 natus fuit, duodevicesimum agebat annum, quum miles factus est, quod erat solitum tempus militiae auspicandae; congruit etiam prolixior et accuratior de Agricolae administratione Aquitaniae narratio, inde repetenda, quod ipse has res vidit, atque interfuit; congruit denique, quod ille tribunatus sub Agricola gestus caussam praebuisse videtur, cur is filiam suam Tacito in matrimonium daret (cf. Agric. c. 9, 7.). Nam ut facile intelligitur, et legatum, si Tacitus in eius contubernio erat, optime eum aestimare et perspicere potuisse, neque huic occasionem defuisse ad efflorescentis puellae amorem sibi conciliandum, ita mirum sane videri debeat, Agricolam statim post reditum in urbem homini neque sibi neque filiae satis cognito illam despondisse. Matrimonium iniit Tacitus a. 78. p. Chr., quum ipse ageret annum fere secundum et vicesimum, sponsa decimum quartum; quodque de socero dixit (Agric. 6, 1.), illum Domitia Decidiana ducta decus atque robur sibi ad maiora nitenti quaesivisse, idem de ipso affirmari potest. Nam quum ad ipsius egregiam indolem accederet tanti viri, quantus Agricola fuit, affinitas, multum in eo adiumenti illi ad honores accipiendos fuisse putandum est. Quos vero, quo tempore atque ordine gesserit, non satis constat; nam quae duobus locis ipse obiter et indefinite de ea re memorat, non sufficunt ad isingula expedienda. Hist. I, 1, 3. *Mihi*, inquit, *Galba*, *Otho*, *Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti; dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam*, *a Tito auctam*, *a Domitiano longius*

provectam non abnuerim. Quominus hic de quaestura a Vespasiano, de aedilitate a Tito collata cogitemus, aetatis Taciti ratio obstat; quare minora quaedam munera, adolescentibus committi solita, velut decemviratus stlitibus iudicandis, vel vigintiviratus, quod Haasius acute suspicatur, intelligenda videntur. Anno 88. quum praetor fuerit et sacerdotio quindecimvirali praeditus, ut ipse tradit Ann. XI, 11, 1., necesse est iis quoque magistratibus, qui praeturam praecedunt, velut quaestura atque tribunatu plebis, sub Domitiano functus sit. Anno post haud dubie provinciam praetoriam et quidem per quadriennium obtinuit, id quod colligitur ex eo, quod in Agric. c. 45, 6, ubi de morte soceri dicit a. 93. mortui, queritur eum sibi atque uxori *longae absentiae condicione iam ante quadriennium amissum esse.* Quae ea provincia fuerit, in alto auctoris silentio non patet; tamen si quid coniectura tentandum est, vix dubitari posse videtur, quin ea fuerit Germania. Quibus autem ea coniectura rationibus nitatur, in Prolegomenis ad German. c. I. p. 1—6 exposuimus.

Caeso Domitiano, quum sub Nerva et Traiano felicissimum seculum inciperet (cf. Agric. c. 3.), bonique omnes respirarent, Tacitus quoque, qui prudentia, obsequio, silentio saevi tyranni iram effugerat, meritam dignitatem obtinuit, a Nerva a. 97. in locum mortui consulis Verginii Rufi, quem eloquentissime pro rostris laudaverat (cf. Plin. Epp. II, 1, 6.), suffectus. Senatus auctoritate sub Traiano restituta a. 100. simul cum Plinio iussus est Afris adesse contra Marium Priscum procos. maximorum scelerum et saevitiae in provinciales accusatum; quam caussam illi ita egerunt, ut et reus, licet multis acriter pro eo annitentibus, damnaretur, et ipsi summum fructum ingenii, officii, constantiae caperent (cf. Plin. Epp. II, 11.).

Inde ab eo tempore nihil plane de Taciti vita scimus; neque enim in Plinii epistolis ullus locus exstat, qui ad seriora eius tempora referri possit, neque aliunde cognitum habemus ullas eius in re publica partes fuisse. Quare statuendum est eum absoluto honorum cursu omissoque foro otium honestum

secutum esse, totumque se ad historiam scribendam contulisse, cuius studii fructus sunt opera immortalia, quae etiamnum, quamquam haud parva parte manca, supersunt et praestantissimis antiquitatis monumentis annumerantur. Mortis tempus non minus incertum quam natalis annus. Hoc unum dubitari non potest ultra annum 116. p. Chr. produxisse eum vitam, quod luculenter patet ex verbis Ann. II, 61.: „Imperium Romanum *nunc* rubrum ad mare patescit.“ Quum enim a Traiano imperii fines usque ad rubrum mare demum a. 115. p. Chr. promoti essent (cf. Eutrop. VIII, 3.), ab Hadriano autem mox omissi (a. 117.), necesse est Tacitum, ut eius rei memoriam iniiceret, tunc adhuc in vivis fuisse.

Si quis alius ex veteribus, profecto Tacitus sublimi fuit erectoque ingenio. Rara enim indole praeditus, sic eam litteris, sapientiae studio, optimorum aemulatione excoluit atque formavit, ut veri cognitione atque aestimatione pauci, honesti amore fere nemo ei comparandus videatur. Perosus aetatis suae pravitatem, in mollitie, insana pecuniae et voluptatum cupidine, dissolutis moribus, deorum contemptu positam, unice id probavit et sectatus est, quod probum verique studiosum hominem decet. Sui temporis igitur, quod nihil haberet integri, sani, magni atque robusti, quum eum poeniteret ac taederet, mente se ad antiqua eaque meliora tempora recepit, illaque intuens et admiratus inde hausit virilem illum et rerum vanarum contemptorem animum, quo et temporum miseriam toleravit, et iudicium suum de rebus humanis rexit atque confirmavit. Virtuti omnia parere debere, neque alia re quam honesto censenda esse fortunam atque facta hominum quum sibi persuasisset, sponte quasi eo deductus est, ut antiqua, virtutum fecunda, et probitate, fortitudine, gravitate illustria, novis praeferret, quae labe maxima affecta essent. Hinc est, quod summa admiratione atque studio gloriae imperii Romani tenetur, nulla re magis gaudens, quam si quid narrandum habet, quod dignitati Romanae consentaneum est, ac rursus aegerrime ferens, sicubi imminutam videt. Vita eius quum incidisset in tempora foedissimae tyrannidis servitiique crudelissimi,

quo recte agere atque dicere crimini, silentium pro sapientia fuit, quantum mortalibus bonum in libertate positum sit, ubique declarat. Quamquam autem magna eius admiratione ac desiderio tenetur, nunquam tamen laudat effrenatam illam libertatem, licentiae cognatam, quae Romanis maximorum malorum caussa exstitit, sed modicam illam, quae in eo cernitur, ut nemo ab recte agendo prohibeatur, ac sentire quae velit, quae sentiat dicere possit. Ad liberam autem rem publicam eumque rerum Romanarum statum, qui ante Caesares fuit, rediri posse aut debere tantum abfuit, ut crederet, ut imperium Romanum stare non posse, nisi penes unum vis esset, cum optimo quoque sentiret. Principatus enim consuetudo et patientia ita iam invaluerat, ut ne ingenui quidem atque libertatis amantes viri, qualis Tacitus fuit, aliam imperii formam quaererent. Quare, quum fidem principi cuicunque servare boni viri duceret, neque ullos gravius quam proditores et fidei desertores notat, et si qui ne cruciatibus quidem ac supplicio ab officio demoverentur, eorum virtutem iustis laudibus effert. Quin etiam malos principes tolerandos esse, et modestia obsequioque, non inhonesto illo, sed prudentia temperato leniundos ita ei fuit infixum, ut non dubitaverit Agricolae summae id laudi dare, cuius ipse haud dubie exemplum imitatus est, nullam Domitiani iniuriam expertus. Eam sapientiam hausisse videri potest ex philosophorum praeceptis, quae certe cognita habuit. Neque tamen unam aliquam doctrinam ita amplexus est, ut eam unicam quasi normam vitae faceret; sed modum ex sapientia retinens integra incorruptaque natura sua ductus est ad id sequendum, quod res ipsae, non philosophorum placita, vel suaderent vel poscerent.

Probum piumque hominem fuisse Tacitum plerique haud inviti profitentur, qui verum humanitatis sensum per omnia eius opera aequabiliter diffusum intelligunt et interpretantur. At aliis eius pietas ambigua videtur, propterea quod, quamquam receptum dicendi usum secutus deos hic illic nominat, tamen abiecta vulgi de diis, portentis, miraculis opinione universum rerum humanarum cursum nulla deorum cura regi

statuit, sed vel bona vel mala ex ipsorum hominum actione repetit. Nimirum quum intellexisse sibi videretur, omnia, quae in terris atque populis magna, egregia, salutaria facta essent, ac vel gloriam vel prosperitatem gentibus attulissent, sine magnorum eorumque bonorum virorum opera fieri non potuisse, ac simul videret miseriam suae aetatis non alia re effectam esse, quam hominum depravatione, quibus nulla amplius fides, nulla probitas, nulla legum reverentia erat, sed virtutis loco pessimae cupiditates, vitia teterrima, scelera abunde omnia, facile potuit in eam cogitationem deferri, et haec et illa non tam deorum consilio quam hominum virtute aut culpa accidere; quae autem eiusmodi sunt, ut nullae in iis hominum partes sint, ea naturae tribuenda esse, quae haud raro viribus suis res humanas disturbet. Quamquam autem haec omnia ita fieri censet, ut non ab iis diis, quos aequales crederent, administrentur et regantur, neutiquam tamen negat esse divinam aliquam vim, quam mortales non negligere et contemnere debeant. Sed divinum illud non extra homines ponit, sed ipsis eorum mentibus contineri putat. Ratione enim res humanas agi debere quum sibi persuasisset, quo magis ea valeret et ad recte faciendum homines impelleret, eo melius generi humano consultum putavit, non dubitans profiteri, quae reverentiâ ac studio recti, iusti honestique facta essent, favori deorum et gratiae tribuere; ubi vero cessante ratione ad pravitatem et turpitudinem omnia conversa videret, quae ipsi homines peccarent, vel iratis diis evenire dicit, curam rerum humanarum omittentibus, vel sibi ambiguum esse, utrum fato an casui debeantur. Quae quamquam nobis probari non possunt, in luce christianae doctrinae versantibus, tamen Tacitum ad hanc normam exigi aequitas vetat. Reputantibus enim antiquam simplicitatem ac deorum cultum et reverentiam, iam dudum labefactam et imminutam, sub Caesaribus foeditate temporum morumque corruptela prorsus interiisse, novam autem eamque desideria pectoris explentem de rebus divinis doctrinam nondum incrementa tum cepisse, mirum videri non debet hominem a natura non magis acri iudicio praeditum

quam summo honestatis sensu imbutum una humanitate res humanas niti putasse. Non pium autem dicere eum, qui explendis humanitatis officiis salutem et felicitatem generis humani contineri statuit, negligendis certam perniciem parari, nemo facile sustinuerit, nisi qui ad pietatem nulla humanitate atque honestate esse opus contendat, aut adeo quo quis sit ab humanitate alienior, eo magis pium eum praedicare non dubitet. Quale quidque sit, ex effectu cognoscitur, quemadmodum arboris bonitas frugum bonitate patet. Quare quum omnes, exceptis perversis quibusdam, ubi a Taciti lectione veniunt, ita se animo affectos sentiant, ut turpia oderint, vana et inania contemnant, humilia despiciant, bonorum laude recreentur, ipsi ad recte agendum excitentur confirmenturque, profecto concedendum est, tam egregios effectus ab impio scriptore in animis lectorum excitari non potuisse.

Cap. II.

De Taciti scriptis et dicendi genere.

Praeter ea scripta, quae hodie supersunt, Tacitus alia quaedam composuit, non solum tempore sed etiam genere diversa, quamquam de iis tenuis modo et incerta coniectura est. Quantum enim ex Plinio Epp. VII, 20, 1. VIII, 7. cognoscitur, libros illi Tacitus misit, de quibus accuratam censuram faceret. Eos non fuisse historicos, sed vel rhetorici vel oratorii generis, maxime probabile fit eo, quod, quum Tacitus inde ab adolescentia acerrimo eloquentiae studio arderet, eiusque studii socium atque aemulum Plinium haberet, non foro tantum vacavit, sed etiam artem ipsam dicendi tractavit. Eo pertinet, quod Fulgentius de abstrusis serm. p. XXIV. ed. Lersch. Taciti *facetiarum librum* commemorat, quo haud dubie quaesivit, qui facetiarum usus oratori esset faciendus. Non alienam enim fuisse hanc quaestionem ab oratorum studiis,

ipsius Ciceronis intelligitur exemplo, qui haud exiguam libri secundi de oratore partem huic rei concedendam putavit.

Ex iis, quae supersunt, scriptis pariter ad dicendi artem spectat

Dialogus de oratoribus, quamquam diu multumque dubitatum est, is libellus egregius Taciti esset, necne. Caussae dubitandi fuere hae, quod, licet codices, qui sunt recentiores omnes, Taciti nomen ostendant, nemo veterum eius mentionem facit, et maxime, quod dicendi genus tantopere a ceteris eius scriptis discrepat, ut tam diversa oratio vix videatur ab uno eodemque scriptore usurpari potuisse. Et sane fatendum est nihil esse inter se dissimilius, quam Dialogi et ceterorum operum stilum. Sed idonea argumenta non desunt, quibus dubitatio inde ducta elevetur. Aliud enim sibi poscit dicendi genus historia, praesertim talium rerum atque temporum, qualia Tacitus descripsit, aliud familiaris sermo hominum de eloquentia docte inter se disputantium. Tum ipsae personae eorum, qui sermoni interfuisse finguntur, tales sunt, quibus oratio fluens, copiosa, rotunda et numerosa optime conveniat; omnes enim oratores sunt, dicendi facultate conspicui, unus etiam poeta, eoque magis etiam ad florem et colorem orationi addendum compositus. Tacitus igitur quum haec respiciens oratione in Dialogo alia usus est, quam in serioribus operibus, tantum abfuit, ut a se ipso deficeret, ut periti et ingeniosi scriptoris officio satisfaceret. Profecto enim vitiosa ac paene absurda Dialogi forma foret, si auctor eos, qui colloquuntur, eo modo dicentes fecisset, quo ipse in historicis scriptis usus est. Si autem quaeras, unde tandem Tacitus eam facultatem habuerit, ut tam polita, fluente ac florida oratione uteretur, respondendum est, secutum eum esse id dicendi genus, quod orator in foro adhibuit, multo studio ad Ciceronis exemplum excultum et formatum, neque diversum illud ab eo, quod et Plinio et ceteris eius aetatis oratoribus probatum fuit. Ad haec quum accedat haud leve illud, quod nihil reperitur in Dialogo a Taciti ingenio alienum (idem enim ubique cognoscitur sanum et subactum iudicium, eadem

in caussis rerum indagandis sollertia, eadem antiqui et incorrupti moris admiratio, idem egregius veri, sinceri, honesti sensus), internis argumentis commoveri non possumus, ut Dialogum Tacito abiudicemus. Externo autem quum vel maxime probetur ab illo compositum esse, vetus illa dubitatio de auctore relinquenda est. Nam quum Plinius in epistola quadam (IX, 10, 2.) ad Tacitum data haec habeat: „Itaque poemata quiescunt, *quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas*", ea non alio spectant, quam ad duos Dialogi locos, alterum c. 9, 10. *Adiice, quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia, utque ipsi dicunt, in nemora et lucos id est in solitudinem secedendum est;* alterum c. 12, 1. *Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem, quod nec in strepitu nec sedente ante ostium litigatore nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris.* Negavit quidem acriter Haasius ullam hos locos vim habere ad Dialogum Tacito ascribendum, quia et levis sit illa congruentia in vocibus *nemora et luci* posita, neque sententia iis comprehensa ipsius Taciti sit, sed Apri; quare Plinium non hunc locum respicere potuisse, sed ad illa verba in epistola aliqua Taciti scripta allusisse. Sed haec aperte argutiora sunt. Quidni enim liceat ad auctorem ipsum referre, quae is aliquem dicentem facit? An, ut hoc utar, quae in Ciceronis libro de senectute a Catone dicta leguntur, non ipsi Ciceroni tribui possunt? Non magis validum est alterum argumentum a levitate verborum ductum. Sunt sane levia. Sed non hoc agitur, leviane sint, an gravia, sed an certa. Sunt autem certissima. Quemadmodum autem in caussis capitalibus saepe levi sed certo indicio summa rei patescit, ita dubitari non potest, quin paucula illa verba, ad quae Plinius respicit, litem de Dialogi auctore dirimant. Ceterum habitus fingitur a. 75. p. Chr. n. (cf. c. 17, 3). Scriptus probabiliter est medio Domitiani imperio.

Ex historicis operibus primum fuit

Agricola, libellus prorsus egregius, nec magis arte, veri amore, iudicio recto, quam pietate in socerum et vivido humanitatis sensu conspicuus. Scriptus est vel anno 97. p. Chr. exeunte, vel a. 98. ineunte, ut patet ex c. 3, 1. In prooemio professus auctor feliciore seculo, quod sub Nerva et Traiano illuxerat, prioris servitutis se historiam compositurum, cuius quasi praecursor esset Agricola posteritati narratus et traditus, nihilominus prius et quidem eodem anno 98. p. Chr. (cf. c. 37, 2.) edidit

Germaniam, quo libro Germanicae terrae situm et naturam, gentiumque variarum mores, instituta, vitam domesticam atque publicam descripsit, eo animo haec persecutus, ut appareat illas gentes, quae peculiari ingenio suo partim admirandae partim timendae viderentur, prae ceteris barbaris dignas eum habuisse, quarum accuratiorem notitiam Romani acciperent. Ad eam cogitationem quum eo compulsus videatur, quod, quum complures annos in Germania fuisset, multa tum ipse viderat, alia diligenti scrutatione perceperat, cetera ex accurata lectione priorum de rebus Germanicis scriptorum hauserat, ea re explicari posse videtur, cur post editum Agricolam libellum de Germania festinandum putaverit. Ne sub Domitiano evulgaret, haud dubie prudentia et cautione prohibitus est. Quo sublato, ubi primum ingenium libere exserere copia fuit, nihil habuit antiquius, quam ut pietatis desiderio erga socerum satisfaceret. Tum vero nihil ei obstitit, quominus statim Germaniam ederet, iam per aliquot annos compositam et propter iniquitatem temporum retentam. Eo magis autem ad eam rem impelli debuit, quod, quum iam antea consilium de Historiis scribendis agitasset, neque docti laboris cursum Germania edenda interrumpere voluisse putandus est, neque absoluti libelli de Germania editionem differre, donec Historiae prodiissent. Utut est, Tacitus in conscribenda Germania non secutus est consilium aliquod extra ipsius argumenti naturam positum, ac si quibusdam locis depravatos Romanorum mores comparatione cum Germanis tangit, vel

bellicosum Germanorum animum ac ferociam ostendit, haec non quaesivit, ut Romanos admoneret, sed, quum res ipsa obtulisset, non praetermisit.

Historiae quo anno editae sint, non constat; certe aliquot demum annos post evulgatam Germaniam prodierunt. Quum Hieronymus in Comm. ad Zachar. III, 14. tradat *Tacitum post Augustum usque ad mortem Domitiani vitas Caesarum triginta voluminibus exaravisse*, quo numero Annalium et Historiarum libri simul comprehenduntur, inde patet quattuordecim has constitisse libris, quibus auctor historiam sui temporis a Neronis morte usque ad Domitiani mortem complexus est; sed tantummodo quattuor integri priores et pars quinti supersunt, reliqui perierunt. Postremum eius opus fuerunt

Annales, quomodo ipse breviter vocat IV, 32, 1. III, 65, 1. XIII, 31, 1. Quantum tamen ex inscriptione codicis Corbeiensis coniicitur, qui habet *ab excessu divi Augusti*, omisso ante haec verba spatio alii inscriptioni destinato, quae postea pingeretur, plenus titulus fuit Annales ab excessu divi Augusti. Post Historias scriptos esse Annales intelligitur ex libro Ann. XI, 11, 1., ubi auctor ipse ad illas respicit; editi autem sunt non ante annum 116. p. Chr. n., ut supra demonstravimus. Ex sedecim libris perierunt maxima pars quinti, aliqua sexti, septimus, octavus, nonus, decimus toti, undecimi initium, sextidecimi finis.

Annalium et Historiarum vocabula quamquam haud raro de quovis historiae genere promiscue usurpabantur, tamen Tacitus posterius opus suum eo maxime Annales vocasse videtur, quod longius et a sua memoria remotius temporis spatium complexus, quinquaginta enim et quattuor anni sunt, in rebus narrandis annorum ordinem quasi ducem sequitur, ut, quod quoque anno vel virtute vel pravitate insigne esset, suo quidque loco referret. In quo ut priorum scriptorum consuetudinem secutus est, ita ingenio atque arte evitavit, ne ieiunitate et rebus sine delectu afferendis illorum similis fieret, non solum summa fide subactoque iudicio tradens quicquid memoratu dignum factum est, sed etiam singulari sagacitate

ingeniique humani peritia caussas rerum explicans et diiudicans, ut, quibus quidque initiis ortum sit, quo tetenderit, quam rectum aut perversum fuerit, lectoribus aperiat. Vetere igitur nomine retento novum quodammodo et perfectius Annalium genus intulit, parum diversum illud ab Historiarum, quales Sallustius primus perfecit, ubertate et singula accuratius persequente diligentia. Quamquam autem in utroque opere par est scribendi consilium, par auctoris in rebus tractandis peritia et ars, par dicendi genus, hoc tamen interest inter Annales et Historias, quod illi tenuiore cursu et quasi in angustiorem alveum compressi fluunt, hae latius et pleniore unda diffunduntur, quippe quibus per singula ac maxima cum diligentia describatur status rerum Romanarum, ut primum bello civili graviter concussus, deinde aliquantum confirmatus, denique misere vexatus ac depravatus fuerit. Quae accurata et prolixa rerum expositio, coniuncta illa cum perpetuo caussarum omnium exquirendarum studio quum vel maxime Historiarum propria sit, facile intelligitur, cur Tacitus alteri operi suo hoc nomen, alteri Annalium convenientius putaverit.

Praeter ea scripta, quae edidit, alia quaedam eum voluisse componere ipse aliquot locis profitetur. cf. Hist. I, 1, 4. *Quod si vita suppeditet, principatum Divi Nervae et imperium Traiani uberiorem securioremque materiam senectuti seposui;* quod consilium iam significavit in Agricolae prooemio c. 3, 4. *Non pigebit — memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse.* Sed id propositum non magis exsecutus videtur quam alterum tempora Augusti narrandi, de quo dicit Ann. III, 24. 2. *Aliorum exitus, simul cetera illius aetatis memorabo, si, effectis quae intendi, plures ad curas vitam produxero.* Quare statuendum est non abiecisse eum mutata mente utrumque consilium, sed morte prohibitum esse, quominus, quae senectuti tractanda seposuerat, perficeret. Aliquantum ea coniectura, certe quod prius opus attinet, confirmatur eo, quod Ammianus Marcellinus opus suum, quod aperte Taciti Historias excipere voluit, non a rebus Nervae et Traiani exorsus esset, si Tacitus promissum esset exsequutus.

Iam superest, ut paucis adhuc de Taciti dicendi genere dicamus; totum enim caput de dictione eius accuratius persequi prolixioris est disputationis, quam quae huius editionis consilio conveniat. Multum in historicis scriptis a ceterorum scriptorum consuetudine deflexisse Tacitum, notissimum est. A nullo tamen magis discrepat quam a Cicerone, quae res multa et iniqua de eo iudicia genuit. Nam qui Ciceronem perfectissimum latinae linguae auctorem atque eius orationem unicam dicendi normam putant, Tacitum ad illum exigentes multa sane in eo inveniunt, quae reprehendant ac minus bene dicta iudicent. Sed quae olim obtinuit de Cicerone tanquam unico probatae latinitatis fonte opinio, ea hodie parum probatur, iis certe, qui incorrupto iudicio praediti universam linguae vim non angustis finibus unius hominis ingenio constitutis contineri censent, sed pro variis temporibus varioque ingeniorum habitu varias etiam dicendi formas esse, quibus scriptorum praestantia censeatur. Tacitus igitur quum peculiare dicendi genus et a Ciceroniano diversum sequeretur, non descivit a Cicerone tanquam ab exemplo, cui assequendo impar esset, sed tum mutato rerum statu tum eximia natura sua eo delatus est, ut in suo genere non solum illo non inferior, sed etiam perfectior et praestantior videatur. Sublata enim bellis civilibus re publica cum morum labe et antiquae virtutis oblivione etiam litterae ac dicendi ars deteriorem formam induerunt. Quippe qui in re publica non amplius haberent, quo commune studium conferrent, neque legum vim sentirent, ubi omnia ex unius arbitrio pendebant, eandem libidinem, quae in omnibus vitae partibus cernebatur, etiam ad litteras transtulerunt, antiquam illam dicendi castitatem, quam praeclarissima ingenia olim summopere sibi colendam putaverant, iam non amplius suo studio dignam rati. Nova igitur quaerentes et prioris lege consuetudinis quasi exsoluti genus dicendi sub Caesaribus invexerunt mirum quantum ab ea integritate, quae Ciceronis eiusque aequalium propria fuit, discrepans. Nam pro nativa simplicitate affectatio invaluit atque tumor; pro vi et robore languor et mollities; pro vero

affectu inanium verborum fucus. Omissa orationem numerose vinciendi arte, argutis sententiis disiectis ac nullo vinculo apte sociatis plausum captabant, quo licentius in formanda oratione versarentur, eo magis eam ingeniosam videri opinantes. Hinc nulla proprietatis verborum observatio, in translationum usu summa audacia, nimia graecae consuetudinis imitatio, poeticae ac pedestris orationis inconsulta confusio; omnino nihil sanum, robustum, rectum et naturae conveniens, sed depravata ac degenerata omnia.

Quae lapsa in deterius orationis et litterarum condicio tantum abfuit, ut Tacito, qui integrum atque masculum ingenium optimis antiquiorum exemplis innutritum habebat, probaretur aut satisfaceret, ut taedio eum pravi moris impleret et ad meliora quaerenda impelleret. Vitato igitur et relicto, quantum fieri potuit, aequalium fracto et vitioso dicendi genere, aliud sibi effinxit nobili indoli suae congruum, et ex antiquiore, quod a Cicerone perfectum fuit, et ex novitio suae aetatis ita conflatum, ut alia ex illo omitteret, alia ex hoc retineret, arte et iudicio utraque miscens atque temperans. Nervosae igitur brevitati quum studeret, Ciceronis dicendi copiam ac sententiarum amplificandi artificium consulto non secutus est, sed spreta illius consuetudine unam aliquam sententiam in longum verborum ambitum diducendi et orationis splendore illustrandi, hoc potius agit, ut quam plurimas sententias paucis verbis complectatur, pluraque lectoribus cogitanda offerat quam verbis expressisse videatur. Quare oratio eius breviora habet commata; rarior apud eum longiorum periodorum usus; nihil autem frequentius asyndeto, quo id efficitur, ut lectores intento animo auctoris mentem sequi debeant, ratione, qua singulae sententiae continentur, nulla particula indicata, sed suapte vi prodita. Quare quam multi in Tacito esse questi sunt et interdum queruntur etiamnum obscuritatem, aliqua ex parte ex hac asyndetae orationis consuetudine repetenda videtur. Paulo iustiore caussa eam positam dicas in eo, quod, dum sententias coartare studet, vel uno aliquo vocabulo id significat, quod in explicatiore dicendi genere iusto enunciato

dicendum erat, vel ea, quae tanquam intermedia membra transitum ex una sententia ad alteram parant, plane omittit. Quamquam ne haec quidem brevitas ita comparata est, ut molestam aut vitiosam obscuritatem afferre possit. Tantum enim abest Tacitus a perplexitate illa dicendi, quae, quia cogitandi vitio oritur, impeditum habet intellectum, ut nemo eum iusto, accurato, severo cogitationum ordine superet. Quae igitur obiter legentibus interdum obscuriora videntur, ea ad singulorum verborum vim et ad nexum sententiarum mentis aciem intendentibus plerumque plana et perspicua erunt. Brevitati Tacito propriae cognata est eius dicendi gravitas et sublimitas, quam Graeci *τὸ σεμνόν* dicunt. Quae ut fontem habuit animum eius altum, honesti studiosum, a levitate abhorrentem, vana despicientem, ita oratione quoque et dicendi genere expressa reperitur. Nam quum spretis ac neglectis rebus futilibus in ea tantum, quae vel recti vel pravitatis magnitudine insignia essent, animum intenderet, et in iusto rerum pretio statuendo maxime elaboraret, in ipso verborum pondere gravitatis iudicii adiumentum quaesivit. Verbis igitur abstinens tralaticiis et vulgari consuetudine frequentatis minus trita libenter usurpat, antiqua saepe repetit, quippe quae dignitatem quandam habeant; neque poetica non adhibet, ubi tales res narrat, quae vel atrocitate sua vel magnitudine ad animum commovendum comparatae sunt. Vis orationis autem, quam in Tacito admiramur, non solis verbis continetur, sed eo maxime constat, quod verba, quibus utitur, ubique rebus respondent, ab ipsaque veritate robur atque pondus accipiunt. Nullus igitur apud eum verborum lusus, nullae argutiae, quo genere argenteae aetatis scriptores haud parum delectantur, nulla denique ingenii ostentatio, ab iisdem ita quaesita, ut eandem sententiam pluribus modis variarent. Nativam autem et ornatu carentem simplicitatem, quam in Caesare admiramur, aspernatus ac sublimitatem potius orationis secutus pariter ut aequales in metaphoris et verborum translationibus audacior est, multaque in hoc genere sibi indulget, quae a priorum scriptorum consuetudine recedunt. Non minus ab illis differt eo, quod

frequenter vocabula praegnanti sensu usurpat, ita iis usus, ut non nuda potestate sua intelligantur, sed simul attributum aliquod, quo illa definiantur, adiunctum cogitetur ex cuiusque loci nexu eruendum, quae ratio apprime comparata est ad gravitatem et vim orationi comparandam. In grammatica autem forma enuntiatorum instituenda id habet admodum saepe, ut adverbiale attributum, si maiorem quandam habet vim, subiectum faciat enuntiati, rebus tanquam personarum naturam attribuens. Quod ut non novavit, sed tantummodo ampliavit, nam apud priores quoque talia inveniuntur, ita in singulorum vocabulorum constructionibus multa ausus est, quae, quum a dicendi consuetudine aureae aetatis discrepent, dura atque insolita videntur, quamquam omnia analogia nituntur, neque quicquam ita dictum est, ut linguae latinae ingenio repugnet.

His quam brevissime de potioribus Taciti dicendi proprietatibus significatis magis quam expositis verbo adhuc dicendum est de iis dictionis Taciteae partibus, quas imitatione ex prioribus scriptoribus imprimis ex Sallustio et Virgilio expressas esse pervulgata est neque satis explicata opinio. Nam quum haud pauci in Taciti scriptis loci reperiantur, qui vel verbis vel sententiis valde similes sint Virgilii, Sallustii, aut aliorum auctorum locis, qua re multi inducti sunt, ut putarent Tacitum, quo illorum dictionem imitaretur, illas particulas tanquam flosculos ex alienis pratis collectos operibus suis inseruisse, id, prout imitationem intellexeris, vel negari debet, vel concedi potest. Nam quibus imitari est excerptas ex aliis scriptoribus locutiones et sententias, ubicunque occasio fuerit, immiscere propriae orationi vel ad doctrinae laudem quaerendam, vel ad ingenii inopiam tegendam, ii nescire videntur nihil Tacito indignius esse et ab eo alienius, quam talem imitationem, quae servilem ingenii habitum prodit. Similitudo autem illa, quae haud raro inter Taciti et priorum scriptorum verba deprehenditur, non pro imitatione consulto facta habenda est, sed inde repetenda, quod ex diligentissima et iterata clarissimorum auctorum lectione multa tam firmiter memoriae eius haeserunt, ut, quum in simili re sponte quasi se ei obiicerent,

non dubitaret rursus adhibere, quae iam ab aliquo priorum bene dicta essent. Neque serviliter id fecit singulis ad verbum repetendis, sed libere verbis ac sententiis aliorum usus hoc tantummodo efficit, ut lectoribus memoriam eius loci excitet, cuius similitudinem aliquam expressit.

Cap. III.

De Agricolae compositione et consilio.

Tacitus quamquam ipse professus est, cur vitam Agricolae soceri sui composuerit, tamen qua via id perfecerit, quidque in eo libello voluerit praecipuum haberi, cui cetera tanquam subiectae partes servirent, multis parum exploratum videtur. Omnium minime tamen eorum probanda est sententia, qui summa dulcedine et praestantia operis capti et quasi occaecati ita in vero videndo impediti sunt, ut non dubitarent contendere eo opere ipsam formam atque speciem vitae antiquorum more scribendae esse propositam, Agricolaeque vitam non tam pietatis monumentum quam perfectae artis biographicae specimen esse habendum. Quod quominus probetur, hoc obstat, quod Tacitus in rebus Agricolae tradendis ita versatus est, ut appareat, eum non id egisse, ut singulis quibusque quam accuratissime persequendis plenissimam et per omnia aequaliter illustratam imaginem vitae soceri sui exhiberet. Multa enim, quae ad Agricolam plane cognoscendum vel utique necessaria, vel utilissima et iucundissima erant, silentio plane transmisit, alia obiter tantum et quasi in transcursu attigit, plurima generaliter modo et primis lineis adumbravit. Quod non negligentia aut imperitia eum fecisse ut per se dubitari non potest, ita planissime patet ex operis consilio recte intellecto. Nihil enim magis vita Agricolae scribenda spectavit, quam ut *Britanniae victorem ac domitorem eum* et aequalibus et posteris ostenderet, quae viri summa laus iniquitate Domitiani tem-

porumque foeditate oppressa erat ac paene latebat. Hoc propositum suum auctor iam c. 3, 4. declarat, quum dicit *honori* Agricolae destinatum esse hunc librum, quod plane alio spectare, quam si *memoriae* illius destinasset librum, in promptu est. Planius etiam summum libelli consilium prodit c. 10, 1, ubi Britanniae descriptionem se ingredi profitetur non aliam ob caussam, quam *quia tum primum perdomita fuerit.* Longe planissime autem illud perspicitur ex universa opusculi conformatione, quippe quae ita comparata sit, ut narratio de Agricola, priore parte, qua aditus ad graviora praeparatur et quasi munitur, arta et compressa, eo magis dilatetur atque explicetur, quo magis ad id, quod caput est et quasi summum in vita Agricolae culmen, acceditur. Id autem non alia in re positum, quam in eventu septimi expeditionum anni devictisque cruentissima pugna ad Graupium montem Caledoniis, qua victoria Britannia debellata imperioque Romano subiecta fuit. Quum igitur res sex prioribus annis ab Agricola gestas summa brevitate ac valde tenuiter narret Tacitus, iam prolixior est tum in explicandis hostium apparatibus, tum in ipsa pugna, quae summum rerum discrimen attulit, describenda. Iam, ubi ad id pervenit, propter quod soceri vitam scribendam putavit, altius assurgit, pleniore oratione, quae plus suci et coloris habet, utitur, ac rhetoricum ornatum narrationi inducit, orationes artificiose compositas operi inserens. Ac quo magis emineret Agricolae virtus atque meritum, Caledoniorum ducem Calgacum non solum facit ita dicentem, ut summam Britannorum desperationem ac ferociam declaret, sed etiam, quae Agricolae praecipua erat gloria ad ultima Britanniae penetrasse, ut rem Caledoniis maxime formidabilem et exitiabilem extollat. Contra Agricolae oratio ut contemptum hostium, ita fortem et victoriae certum animum antiqui Romani ostendit. Victoriam ipsam autem et gravissimum pugnae eventum Tacitus tam graphice depingit, ut facile appareat, quantam et quam magnificam eam rem omnibus videri voluerit. Sed summam egregii ducis felicitatem subita rerum suarum conversio consecuta est, Domitiano magnitudine rerum ab eo gestarum ita anxio, ut

sibi et imperio suo valde timeret, ab eoque tempore id unice ageret, ut illum ab exercitu removeret, a quovis alio imperio arceret, ac postremo de medio tolleret. Quare Tacitus, quum id perfecisset, quod sibi proposuerat, ut ostenderet Agricolam rebus maximis gestis *totaque Britannia* (non solum proprie sic dicta, sed simul cum Caledonia) *devicta et imperio Romano addita non solum summis antiquitatis ducibus esse annumerandum, sed suae aetatis ducem fuisse longe maximum* (cf. c. 39, 2.), in reliqua eius vita tradenda brevissimus est, celeriterque ad finem operis properat. Igitur de octo postremis annis, quibus Agricola ex Britannia reversus Romae in ingrato otio vixit, plane silens, paucis modo sed gravibus acribusque verbis de Domitiani iniquitate, iniuria ac dolo exponit, adiunctaque subitae mortis narratione in repetenda funestissimi temporis modo transacti memoria augurandaque Agricolae immortalitate desinit.

Tam angustis autem finibus licet vitam Agricolae Tacitus circumscripserit, tamen summam eius praestantiam esse atque admirabilem dulcedinem consentiens omnium vox est. Neque tamen sola factorum viri narratio eam admirationem genuit. Quippe Tacitus, dum Agricolam victorem Britanniae celebrat, simul id agit, ut eundem virum probum, honestum, pium, ac Romanum antiquae virtutis fuisse doceat, quae morum optimorum eius explicatio per totum librum ita diffusa est, ut nulla pars sit, qua non pulcerrima imago eximii et paene omnibus numeris absoluti viri nobis obiiciatur. Qui quum iam per se perfectae humanitatis exemplar haberi possit, tum eo videtur admirabilior, quod tanta integritas atque virtus tam corruptis temporibus exstitit, quae nihil sanum atque probum gignere posse videbantur. Haud exigua tamen pars admirationis Agricolae debitae ad ipsum Tacitum pertinet, qui animo atque ingenio soceri haud dispar et, qualis ille esset, penitus sentiret atque perspectum haberet, et egregia scribendi arte facta moresque eius posteritati traderet.

P. CORNELII TACITI

AGRICOLA

SIVE

DE VITA ET MORIBUS

CN. IULII AGRICOLAE

LIBER.

ARGUMENTUM.

I. Prooemium.

1. Auctor excusat consilium unius et iam defuncti hominis vitam describendi, utpote temporis ingenio parum accommodatum. Evanuisse enim, quae olim fuerit, virtutis aestimationem; singulos bonos non magnopere respici; scelerum et flagitiorum Domitiani exagitationem lubentius et cupidius legi.

2. Ea tempora quam saeva fuerint, paucis exemplis docetur, quo pateat ingenia miseranda servitute oppressa fuisse.

3. Rebus sub Nerva et Traiano in melius mutatis, tamen diuturnae desidiae effectus non statim sublatus est, omnibus quasi senio correptis. Quare Tacitus vel rudi voce superiora tempora scripturus Historiis suis Agricolam speciminis loco praemittit.

II. Agricolae adolescentia et honorum cursus usque ad legationem Britannicam.

4. Agricolae ortus, parentes, educatio, studia, ingenium.

5. Militiae rudimenta egregie ponit in Britannia sub Suetonio Paulino, ubi tum Romani gravissime premebantur.

6. Reversus felicissimo matrimonio inito deinceps quaestor, tribunus plebis, ac praetor fit, prudenterque Neronis offensione vitata apud Galbam gratiam et auctoritatem habet.

7. Matre ab Othonianis interfecta in Vespasiani partes transgressus a Muciano XX. legioni in Britannia praeponitur, quam seditiose agentem facile ad modestiam reduxit, et

8. Praesidibus Britanniae Vettio Bolano et Petilio Ceriali tum temperando ardore tum virtute ac modestia valde commendatur.

9. Tum a Vespasiano Aquitaniae administrandae praepositus iustitia, humanitate, integritate summam apud omnes laudem meretur.

Revocatus consul et pontifex fit, ac Britanniae praeficitur.

III. Britanniae descriptio, ac priorum legatorum administrationes.

10. Britanniae situs atque forma. Maris eam circumfluentis natura.

11. Britannorum variae origines. Compositi ex Germanis, Hispanis et Gallis.

12. Britannorum ingenium, in bello forte, in rebus publicis discors. — Terrae Britannicae natura et proventus.

13. Britanni quomodo paulatim subacti sint. Initio facto a Iul. Caesare Claudius per Vespasianum prima imperii Romani fundamenta posuit.

14. Britannia deinceps administrata ab Aulo Plautio, Ostorio Scapula, Didio Gallo, Veranio, Suetonio Paulino.

15. Dum is Monam insulam occupat, gravis seditio oritur, Britannis Romanorum iniuriis ad arma capienda instinctis.

16. Boudicca duce Camulodunum expugnant, Romanos ubique caedunt; sed Paulinus secundo proelio hostes rursus subigit. Eum deinceps exceperunt Petronius Turpilianus, Trebellius Maximus, Vettius Bolanus, omnes segnes et imperium Romanorum parum promoventes.

17. Sub Vespasiano res in melius mutatae, missis egregiis ducibus Petilio Ceriali, Iulio Frontino, Iulio Agricola.

IV. Agricola Britanniae per septem annos praeest, eamque continuis expeditionibus ac victoriis domat.

18. Is acriter provinciam ingressus Ordovices caedit, Monam insulam recipit, ac terrore et fama Romanorum armorum Britannos ad deditionem compellit.

19. Bello parta prudenti administratione firmare studet, cavens ne accensi sui modum excederent insulanosque iniuriis irritarent.

20. Altero anno multas gentes pariter bellum inferendo atque victis parcendo ad pacem agendam permovit.

21. Hieme secunda Britannos pacis artibus, litterarum studiis, elegantiori vitae cultui assuescendo mollire studuit.

22. Tertius annus expeditionibus insignis pari fortitudine atque prudentia factis. — Agricola qualis in suos fuerit, obiter narratur.

23. Quartus annus firmandis regionibus percursis insumptus.

24. Quinto anno Agricola regiones Hiberniae adversas occupat et firmat. — Brevis de Hibernia notitia additur.

25. Sexto anno maiorem contra Caledoniam expeditionem suscipit, classe in partem virium assumpta.

26. Nona legio in castris ab hostibus circumventa ac paene oppressa tum Agricolae subsidio tum sua virtute servatur.

27. Eventu pugnae animus Romanis augetur, ferocia Britannorum non minuitur.

28. Digressio de cohortis Usipiorum fuga et miserando casu.

29. Agricola, filio amisso, bellum septimo anno acriter parat. Caledonii, magno undique exercitu coacto, proelium non detrectant.

30—32. Calgaci oratio apud suos.

Primum spem certam victoriae in necessitate pugnandi esse positam ostendit. Tum Romanorum avaritia, superbia, lubidine, iniuriis exagitandis Caledonios inflammare studet. Deinde ad fortitudinem eos adhortatus nihil sibi, si audeant et concordes sint, a Romanis timendum esse docet. Illos enim ignavos esse, alienis viribus pugnare, ignota regione trepidare, ac frustra splendore armorum confidere. Pro Britannis autem externos omnes, qui in exercitu Romano sint, pugnaturos. Proinde, hinc libertate illinc servitute proposita, memores patriae certamen inirent.

33—34. Agricolae oratio ante pugnam.

Virtutis et felicium per septem annos armorum milites admonens debellandi tempus venisse docet, sed eo loco esse res, ut aut vincendum sit, aut gloriose cadendum. Hostes tamen ipsos non esse timendos, quippe qui ignavi et fugaces non ultro, sed ultima necessitate coacti restiterint, neque Romanis pares esse valeant. Quare huic bello finem imponerent.

35. Acies ab utraque parte instruitur.

36. Britanni acriter pugnant, donec comminus conserta manu a Batavis impelluntur. Equites Romani, peditibus immixti, aliquantum laborant.

37. Sed hostibus arte Agricolae circumventis ingens fuga atque caedes oritur. Cruenta atque varia cladis facies.

38. Britanni post pugnam prorsus fracti. Romana classis Britanniam circumvehitur.

39. Nuntius de subacta per Agricolam Britannia Domitiano metum eius odiumque iniicit.

V. Agricolae ex Britannia reversi otiosum tempus in urbe, secreto principis odio triste.

40. Agricola revocatus et frigide exceptus otio atque modestia suspicionem principis vitare studet.

41. Magnis deinde damnis in Moesia, Dacia, Germania et Pannonia acceptis omnium studia in Agricola accenduntur, ducem eum exposcentium, quae fama ei perniciosa fuit.

42. Proconsulatum Asiae vel Africae, Domitiano clam ita volente, abnuit, obsequio et prudentia malignum principis animum lenire studens.

VI. Agricolae mors.

43. Subita morte exstinctus suspicionem praebuit veneni a Domitiano parati.

44. Eius habitus externus. — In immatura morte tamen felix pu-

tandus est, quum ob multa bona, quae ei obtigerant, tum quod postrema tempora sub Domitiano non vidit.

45. Quae saevitia horum temporum fuerit, nonnullis exemplis probatur. —

VII. Epilogus.

Tum Tacitus proprium sibi et uxori dolorem accedere docet ex quadriennii absentia sua ante soceri mortem.

46. Finitur libellus votis pro Agricolae placida quiete, monstranda veri solatii ratione, immortalis memoriae eius augurio.

TABULA CHRONOLOGICA

RERUM IN AGRICOLA NOTABILIUM.

Agricolae	Anni p. Chr.	u. c.	
—	39	792	Caligula expeditionem in Britanniam agitat. [c. 13, 4.]
1	40	793	Agricola nascitur Foro Iulii Idibus Iuniis. [c. 4, 1. 44, 1.]
1	40	793	Eius pater Iul. Graecinus a Caligula occiditur. [c. 4, 2.]
4	43	796	Claudius prospero successu Britanniam invadit. [c. 13, 5.]
5	44	797	A. Plautius primus legatus Britanniae praeest. [c. 14, 1.]
8	47	800	Ostorius Scapula legatus. [c. 14, 1.]
12	51	804	Didius Gallus legatus. [c. 14, 3.]
19	58	811	Veranius legatus. [c. 14, 3.]
20	59	812	Suetonius Paulinus legatus. [c. 14, 4.]
—	—	—	Sub eo Agricola prima stipendia tribunus militum facit. [c. 5.]
22	61	814	Suetonius Monam insulam occupat. [c. 14, 4.]
—	—	—	Britanni Boudicca duce acriter rebellant. [c. 15. 16, 1.]
23	62	815	Agricola Romam redit. [c. 6, 1.]
—	—	—	Petronius Turpilianus legatus. [c. 16, 3.]
24	63	816	Agricola uxorem ducit Domitiam. [c. 6, 1.]
25	64	817	Filium sibi natum brevi amittit. [c. 6, 3.]
—	—	—	Trebellius Maximus legatus. [c. 16, 3—5.]
26	65	818	Agricola quaestor fit in Asia. [c. 6, 3.]
—	—	—	Filia ei nascitur. [c. 6, 3.]
27	66	819	Agricolae otiosus annus inter quaesturam et tribunatum. [c. 6, 4.]
28	67	820	Tribunus plebis est. [c. 6, 4.]
29	68	821	Praetor fit. — A Galba donis templorum recognoscendis praeponitur. [c. 6, 5.]

Agricolae	Anni p. Chr.	u. c.	
30	69	822	Matrem amittit. — Vespasiani partes amplectitur. [c. 7, 1—2.]
31	70	823	A Muciano legioni vicesimae in Britannia praeponitur. [c. 7, 3.]
32	71	824	Vettius Bolanus in Britannia legatus. [c. 8, 1. 16, 6.]
33	72	825	Petilius Cerealis legatus. [c. 8, 2. 17, 2.]
34	73	826	Agricola reversus inter patricios ascitur. [c. 9, 1.]
35	74	827	Aquitaniae praeficitur. [c. 9, 1.]
36	75	828	Iulius Frontinus Brit. legatus. [c. 17, 3.]
38	77	830	Ex Aquitania reversus Agricola consul fit. [c. 9, 6.]
39	78	831	Filiam Tacito collocat. — Pontifex fit. — Britanniae praeficitur. [c. 9, 7. 18, 1.]
—	—	—	Ordovices devincit. [c. 18, 2—5.]
—	—	—	Monam insulam recipit. [c. 18, 5—8.]
—	—	—	Vitia administrantium solita tollit. [c. 19.]
40	79	832	Altero anno multas civitates imperio Romano adiungit. Hieme incolas humanitatis artibus assuefacere studet. [c. 20. 21.]
41	80	833	Tertio anno novis expeditionibus usque ad Tanaum progreditur. [c. 22.]
42	81	834	Quarto anno confirmat percursa. [c. 23.]
43	82	835	Quinto anno Clotam transgressus oram Hiberniae oppositam occupat. [c. 24.]
44	83	836	Sexto anno trans Bodotriam ad Caledonios pergit. [c. 25.]
—	—	—	Nona legio ab hostibus oppugnatur. [c. 26.]
—	—	—	Cohors Usipiorum aufugit. [c. 28.]
45	84	837	Septimo anno Agricolae filius anno ante natus moritur. [c. 29, 1.]
—	—	—	Caledonii ad montem Graupium devincuntur. [c. 29, 2. — 38, 4.]
—	—	—	Classis Romana Britanniam circumvehitur. [c. 10, 4. 38, 5—6.]
46	85	838	Agricola Romam redit. [c. 39.]
47	86	839	Clades in Moesia, Dacia, Germania, Pannonia acceptae. [c. 41, 2.]
|	|	|	
50	89	842	
50	89	842	Civica occisus. [c. 42, 1.]
—	—	—	Tacitus cum uxore Romam relinquit. [c. 46, 6.]
51	90	843	Agricola sortitionem provinciae recusat. [c. 42.]
54	93	846	Agricola moritur. [c. 43.]

AGRICOLA.

I. Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque

I. 1. *Clarorum*] *Clari*, i. e. *famâ hominum conspicui* et prae ceteris eminentes, in utramque partem dicuntur. Bono enim sensu, qui h. l. obtinet, *clarus* idem est atque *magnus*, *egregius*, unde saepissime *clarus atque magnus* componitur; cf. c. 18, 7. Sall. Cat. 53, 1. Iug. 92, 1.; malo sensu non differt a *famosus*, siquidem malis artibus clarus opponitur *honesto;* v. ad Sall. Iug. 8, 1. ed. II. et cf. infra c. 32, 1. Hist. II, 10, 2. *Vibius Crispus pecunia, potentia, ingenio inter claros magis quam inter bonos.*

facta moresque] Recte haec coniunguntur, quia *facta* ex *moribus* tanquam ex fonte prodeunt.

incuriosa] i. e. *gleichgültig.*

suorum] i. e. *aequalium.* De sententia cf. Ann. II, 88, 3. *Arminius Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus recentium incuriosi.* Vell. II, 92, 4. *Naturaliter audita visis laudamus libentius, et praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur.*

aetas] Per metonymiam dicitur de iis, qui aliqua aetate vivunt (*das Geschlecht*), cf. c. 2, 3. vetus aetas. Cic. de Orat. I, 10, 40. *Haec aetas nostra — iuris ignara est.* Sen. de const. sap. c. 1. *Indigne ferebas — quod Catonem aetas sua parum intellexisset.*

quotiens] i. e. *si quando*, quo significatur *raro* id fieri. Quae restringendi ac deminuendi potestas est *tantus*, *quantus* vocibus (v. Herzog. ad Caes. B. g. VI, 35, 9.), eandem h. l. habet *quotiens* adverbium.

magna — virtus] Abstractum est pro concreto; *virtus* enim dictum pro *vir virtute praeditus;* cf. infra § 4. c. 41, 1. Sall. Iug. 3, 1. *Neque virtuti honos datur. Magna* virtus est, quae *factis* eximiis patrandis cernitur, *nobilis*, quae *honestate* constat.

vicit ac supergressa est] *Vincit*

civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed apud 2
priores ut agere digna memoratu pronum magisque in aperto
erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis
memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae

virtus *ignorantiam recti*, quum tanta est eius vis, ut vel ab iis, qui recti incuriosi sunt, agnoscatur. — *Supergredi*, quod germanice est *sich erheben über etwas*, ad *invidiam* pertinet; quam qui supergreditur, eum invidia *non attingit* neque arrodit; cf. Ann. XIV, 54, 1. *Invidia infra tuam magnitudinem iacet*, quod, ad nostrum locum exactum, est: *magnitudo tua invidiam supergreditur.*

ignorantiam recti et invidiam] *Rectum* est *honestum* sive *virtus ipsa*. cf. Hist. III, 51, 4. *Exempla recti, aut solatia mali.* IV, 5, 4. *Opum contemptor, recti pervicax.* Honestum igitur qui neque ipsi sequuntur, neque in aliis agnoscunt, quid sit virum bonum esse non intelligentes, in *ignorantia recti* versantur. — Quod additur *et invidiam*, non pendet, ut multi interpretes falso statuunt, ex *recti* genitivo; absolute enim posita *invidiae* vox *livorem* designat, qui *egregiis bonorum factis* obtrectare solet; cf. Nep. Chabr. 3, 3. *Est hoc commune vitium —, ut invidia gloriae comes sit, et libenter de iis detrahant, quos eminere videant altius.* — *Ignorantia recti* autem quoniam plerumque cum *invidia* coniuncta est, propterea Tacitus utramque comprehendit *vitium* dicens non *vitia*.

2. *apud priores*] i. e. *aetate vetere*, ut dicit c. 2, 3., vel *vetere republica*, Ann. XVI, 22, 4., vel *vetere populo*, Ann. I, 1, 2.

digna memoratu] Ita vatic. *Γ. Δ.*; vulgo inde a Puteolano *mem. digna.*

pronum] *Pronum*, quod proprie de *re* dicitur *inclinata*, h. l. transfertur ad homines, qui ad aliquam rem *proni sunt*, i. e. *inclinant ad aliquid* plane ut germanice dicitur *es ist bei jemandem eine Geneigtheit vorhanden* pro *er ist geneigt.*

in aperto erat] Quae tecta, obstructa, clausa sunt, eo ipso sunt *impedita.* Quare *in aperto esse* significat *non impediri, liberum esse* (germ. *ein offenes Feld haben*), quae notio varium usum habet. Respicit Tacitus ad Domitiana tempora, quibus optimus quisque recte facta abscondere et in obscuro habere cogebatur, cui necessitati ipse Agricola paruit; cf. c. 40, 1. — Ceterum *magis*, quamquam commode etiam cum *pronum* coniungi possit, neque ex *magisque* huc trahendum, neque ex coniectura scribendum *magis magisque.* Primum enim Tacitus enuntiat simpliciter, alterum per comparationem; quod cur fieri nequeat, caussa non est.

celeberrimus quisque ingenio] i. e. praeclarissima ingenia; cf. c. 2, 1.

sine gratia aut ambitione] i. e. nullo gratiae apud *alios* ineundae aut gloriae *sibi* comparandae studio; quippe utrumque veritati officit. *Gratia* autem ita quaerebatur a nonnullis scriptoribus, ut vel nimiis quosdam laudibus efferrent, vel de vitiis eorum plane silerent, quorum posteri vel familiae adhuc exstarent; quae quam facile offendi possent, Tacitus exposuit Ann. IV, 33, 4. *Ambitio* cernebatur in eo, si magis orationis splendore quam rebus vere tradendis ipsi clarescere studerent; saepissime enim *ambitio* et *ambitiosus* a Tacito dicitur de *vanae gloriae cupiditate;* cf. c. 30, 5. 42, 5. Ann. XV, 21, 4. Hist. I, 88, 4.

3 pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sunt, nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit; adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime

bonae tantum conscientiae pretio] *Bona conscientia* h. l. constat eo, quod sibi conscii erant ante omnia *veritati studuisse.* — *Pretium* vernacula est *die Befriedigung.*

ducebatur] i. e. movebatur, impellebatur.

3. *Ac*] h. l. est *quin adeo*, cf. 13, 3. 36, 2.

plerique] i. e. permulti; cf. c. 16, 2. 28, 3. 29, 1. 32, 2. 36, 2. 40, 4. 42, 5. Dial. 31, 7.

suam ipsi vitam narrare] Haec verba quibus obiectum efficitur *arbitrari* verbi, vim habent condicionalis enuntiati *si suam ipsi vitam narrarent.* Quod ubi reputaveris, *ipsi* pronomen, infinitivo eodem modo iunctum, quem poscit plena structura, nihil habet offensionis, quamquam liberiorem iuncturam dicas. Non plane eadem, sed tamen admodum similis est constructio a Wexio comparata, ubi decurtato enuntiato caussali *quisque* et *ipse* pronomina ita inseruntur, quasi forma enuntiati integra esset; cf. Sall. Iug. 18, 3. *Exercitus — amisso duce ac passim multis sibi quisque imperium petentibus brevi dilabitur.* Liv. XXIV, 4, 9. *Ceteros tutores submovet Andranodorus — deponendoque tutelam ipse, quae cum pluribus communis erat, in se unum omnium vires convertit.* XXI, 45, 9.

fiduciam — morum] i. e. *effectum bonae conscientiae.* Quippe illi ita sibi persuaserant, non posse quemquam ipsum suam vitam narrare, nisi qui flagitiorum sibi non esset conscius.

Rutilio] Plenum ei nomen est *P. Rutilius Rufus.* Metelli et Marii legatus in bello Iugurthino a. 105. a. Chr. consul factus est. Postea, quum integritate sua in odium publicanorum Asiaticorum incurrisset, in ius vocatus et damnatus Smyrnam exulatum abiit (cf. Ann. IV, 43, 5.), ubi usque ad obitum mansit. Ibi quum alia scripsit, tum de vita sua, cuius quintum librum laudat Charis. I, 21, 18. p. 69. et I, 21, 166 p. 80. Lindem. (p. 96. et 112. Putsch.). Summa ei laus fuit integritatis; cf. Cic. de Orat. I, 53, 229. *Cum esset ille vir exemplum innocentiae, cumque illo nemo integrior esset in civitate, nemo sanctior.* Vell. II, 13, 2. *Viro non seculi sui, sed omnis aevi optimo.*

Scauro] Plene *M. Aemilio Scauro.* Vir fuit clarus et versutia sua summa consecutus. Anno 115. a. Chr. consul factus, deinde princeps senatus, et a. 106. censor, semper plurimum in re publica valuit. Quia acerrimus erat nobilitatis propugnator, a Cicerone quavis occasione summis cumulatur laudibus; propter avaritiam, vafritiam et ambiguum ingenium notatur a Sallustio Iug. 15, 4. Scripsit tres libros de vita ipsius acta teste Cicerone in Bruto c. 29, 112.

citra fidem] *Citra*, quo proprie significatur aliquid propositos fines non attingere, eoque ab illis seiunctum esse, apud Tacitum et eius aequales in potestatem *sine* vocis abiit; cf. c. 35, 2. German. c. 16. *Citra speciem aut delectationem.* Quintil. XII, 10, 76. *Lucent haec citra solem.*

optime] Vat. *Γ. Δ. optimae*, ex falsa verborum constructione. Correxit Puteolanus.

gignuntur. At nunc narraturo mihi vitam defuncti hominis 4
venia opus fuit; quam non petissem incusaturus tam saeva et
infesta virtutibus tempora.

II. Legimus, quum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, He-

4. *At nunc narraturo mihi*] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo ex Puteol. mutatione *at mihi nunc narraturo.* — Per *nunc* praesens rerum condicio praeterito statui opponitur; cf. annot. nostr. ad Sall. Iug. 14, 17. ed. II. Kühner. ad Cic. Tusc. III, 1, 2. Quare hoc inest in particula: *at nunc ubi prorsus mutata est temporum condicio,* i. e. ubi virtutum neque copia neque aestimatio est. cf. c. 30, 4. 34, 1. 39, 2.

venia opus fuit; etc.] *Fuit* non est aoristus, sed perfectum praesentis. Eo utitur Tacitus, quia totum exordium inde a principio compositum est ad consilium excusandum. *Venia* igitur quum sit consilii excusatio, universus sensus est: *mihi a venia petenda libellus ordiendus fuit. Alio enim exordio usus fuissem* (quam non petissem), *incusaturus* tam saeva — tempora. Excusavit exemplis ex antiquitate repetitis; excusavit apud aequales, quibus argumentum libelli fortasse displiceret.

petissem] Ita Vat. *Γ.*; *petiissem Δ.* cf. c. 33, 6.

incusaturus] Ita Vat. *Γ. Δ.* = *si incusaturus essem.* Vulgo *incursaturus*, ex Puteolani mutatione.

tam saeva et infesta] Ita Vat. *Γ. tam saevia et infelicia Δ.* — *Incusare*, quod vix differt ab *accusare,* hic est *invehi in aliquam rem, et quam abominanda sit ostendere;* participium autem solvendum in enuntiatum condicionale *si incusaturus essem.* — *Saeva et infesta virtutibus tempora* non alia sunt, quam horribilia illa Domitiana, quae modo exierant. Ea *saeva* proprie dicuntur, quippe quibus saevieba-tur a sanguinario principe in omnes bonos; *infesta virtutibus* autem non sunt *incommoda virtutibus*, vel *quibus homines languent ad virtutes*, sed quibus periculum et mors inferretur iis, qui virtutem adhuc sequerentur (v. ad §. 1.), tanquam pessimis adversariis. cf. Tac. Hist. I, 2, 8. *Atrocius in urbe saevitum; nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine, et ob virtutes certissimum exitium.* Haec igitur tempora si Tacitus incusaturum se et exagitaturum esse promisisset, non ei venia petenda fuisset, quia omnes cupide librum talem lecturi essent (cf. Plin. Epp. IX, 13, 2. *Occiso Domitiano statui esse magnam pulchramque materiam insectandi nocentes, miseros vindicandi.*); at petendam censuit, quoniam plerique a cognoscenda praeclari viri virtute abhorrent. Distinguit igitur inter *memoriam unius defuncti hominis*, cuius iam incuriosi sint aequales, et *historiam saevissimorum temporum*, pronis auribus accipiendam.

II. 1. *Legimus* etc.] Quam saeva fuerint sub Domitiano tempora, Tacitus iam luculentis aliquot exemplis exsequitur, quo pateat miserrimam ingeniorum servitutem ab illo esse inductam. — *Legimus*, quod perfectum est, intelligendum de actis diurnis, quibus, qui viri insignes iussu principis supplicio affecti essent, plerumque publice nuntiaretur, quod in nonnullis modo a Domitiano prohibitum fuit; cf. Dio Cass. LXVII, 11. p. 1109. Reim. *Ὁ δὲ Δομιτιανὸς ἀφορμῆς ἐντεῦθεν εὐπορήσας, ἐπὶ τοὺς φόνους καὶ τῶν γραμ-*

rennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta
2 clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet

μάτων χωρὶς ὁρμήσας, οὐδ' ἂν εἴποι τις ὅσους ἀπέκτεινε. Οὕτως γὰρ δὴ καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ ἐπὶ τούτῳ κατέγνω, ὥσθ', ἵνα μηδεμία μνήμη τῶν θανατουμένων ὑπολείφθη, ἐκώλυσε σφᾶς ἐς τὰ ὑπομνήματα ἐς-γραφῆναι. Inest autem in verbo *legimus* hoc, tam immania fuisse tempora, ut crudelitatis edita exempla *tamquam ordinaria imperii acta publicarentur.* — *Qui* legerunt, cogitandi sunt illorum temporum *aequales*. cf. §. 4. Germ. 8, 3. *vidimus.*

Aruleno Rustico] Vir moribus, ingenio, dignitate insignis (cf. Tac. Hist. III, 80, 3.) a. 94. a Domitiano occisus est, teste Sueton. Domit. c. 10. *quod Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidisset, appellassetque eos sanctissimos viros;* et Dio Cass. LXVII, 13. *ὅτι ἐφιλοσόφει καὶ ὅτι τὸν Θρασέαν ἱερὸν ὠνόμαζεν.* v. infr. c. 45, 3.

Paetus Thrasea] Stoicus fuit perfectus, libertatis ac veteris rei publicae amantissimus, Catonis Uticensis aemulus. Eum Nero ob severos mores semper in odio sibi habitum a. 66. occidit; cf. Tac. Annal. XVI, 21, 1. *Ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano, olim utrisque infensus.* Sueton. Ner. c. 37. *Paeto Thraseae* (sc. obiectus est) *tristior et paedagogi vultus.*

Herennio Senecioni] Vir integerrimus, C. Plinii amicus (Epp. III, 11, 3. VII, 33, 4.), a Domitiano occisus est, quod de vita Helvidii libros composuisset; cf. infr. c. 45, 3. Plin. Epp. VII, 19, 5. Dio Cass. LXVII, 13. *Ἀπέκτεινε — Ἑρέννιον Σενεκίωνα ὅτι τε οὐδεμίαν ἀρχὴν ἐν πολλῷ βίῳ μετὰ τὴν ταμιείαν ᾐτήκει, καὶ ὅτι τοῦ Πρίσκου τοῦ Ἑλουϊδίου τὸν βίον συνέγραψε.*

Priscus Helvidius] De eo multa cum laude egit Tacit. Hist. IV, 5. et Plinius Epp. IX. 13, 1. 2. Paeti Thraseae soceri sui moribus atque ingenio similis pervicacia recti et nimio libertatis amore principibus offensionem praebuit, et a Vespasiano supplicio affectus est; cf. Sueton. Vespas. 15.

Aruleno — laudati] De dativo cf. c. 10, 1. *Populos multis scriptoribus memoratos.* ib. §. 2. *Britannia Gallis — inspicitur* 16, 1. Ann. I, 1, 2. I, 10, 1. II, 7, 2. IV, 10, 1.

triumviris] sc. *capitalibus*, quorum erat supplicia obscuriorum hominum exsequi; unde maior quaedam ignominia Aruleno et Senecioni quaesita.

monumenta] Vat. *Δ. monimenta.* Non intelliguntur h. l. scripta simpliciter, ut vulgo (Cic. Brut. 49, 181. *De quibus nulla monumenta loquuntur, nec aliorum nec ipsorum*), sed *scripta in aeternum mansura*, id quod patet ex sequentibus.

in comitio ac foro] i. e. in comitio, quod in foro esset, aut certe forum attingeret; cf. Ascon. ad Cic. p. Mil. c. 5. p. 43. Orell. In *comitio* quum *sontes* poenis ac suppliciis afficerentur (cf. Plin. Epp. IV, 11, 10. 11. Sueton. Domit. 8. Liv. XXII, 57, 3.), ipse supplicii locus ad augendam ignominiam pertinuit.

2. *illo igne*] *Ille* pronomen hic habet sensum minuendi, quippe quo cum contemptu monstretur, quam nulla esset ignis vis contra ingentem et nullis facinoribus exstinguendam vim humanitatis, quae adhuc vigebat in hominibus.

illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus 3 profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute, adempto per inquisitiones etiam loquendi audiendique

vocem] Deest in Vat. Δ. Significantur *iudicia* populi de principe abominando; cf. Ann. III, 11, 3. *Haud alias intentior populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit.*

conscientiam generis humani] *Conscientia* h. l. est *cognitio et memoria* (Germ. *das Darumwissen*); putabant enim comburendis libris hoc effici, ut ad posteros nulla immanium scelerum notitia perveniret. Eandem sententiam Tacitus de accusato ob libertatem Cremutio Cordo habet Ann. IV, 35, 4. *Libros per aediles cremandos censuere patres. Sed manserunt occultati et editi. Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui praesenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis aevi memoriam.* De Senecionis libris per Fanniam, Helvidii uxorem, clam servatis v. Plin. Epp. VII, 19, 6.

arbitrabantur] sc. ii, qui tam nefanda agerent, i. e. Domitianus eiusque satellites et serviles adulatores.

sapientiae professoribus] i. e. *philosophis, philosophiae praeceptoribus*; cf. Gell. XV, 11, 5. *Domitiano imperante senatusconsulto philosophi eiecti, atque urbe et Italia interdicti sunt.* Plin. Epp. III, 11, 2. *Equidem quum essent philosophi ab urbe submoti, fui apud illum (Artemidorum) in suburbano.* Facta est illa fuga probabiliter anno 94, p. Chr. n. — Ceterum ablativi *expulsis — professoribus, omni b. arte — acta* non temporis potestatem habent, sed pariter ut superiores *illo igne* vi causali sive instrumenti ad verba *aboleri arbitrabantur* referuntur.

omni bona arte etc.] Commentarii instar est locus in Plinii Panegyr. c. 47, 1. *Quem honorem dicendi magistris, quam dignationem sapientiae doctoribus habes? Ut sub te spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia! quae priorum temporum immanitas exiliis puniebat, quum sibi vitiorum omnium conscius princeps inimicas vitiis artes non odio magis quam reverentia relegaret.*

occurreret] Absolute dictum significat *inveniretur, se ostenderet, se offerret*, (*vorkäme*); cf. Cic. Orat. 32, 115. *Haec tenenda sunt oratori; saepe enim occurrunt.* Quintil. I, 1, 34. *Ne hanc operam in vocabulis — forte occurrentibus perdat.*

3. *Dedimus*] sc. universi, i. e. populus Romanus.

grande] Deest in Vat. Δ.

vetus aetas] i. e. libera res publica; v. ad. c. 1, 2.

ultimum in libertate] i. e. *summum libertatis*, ultra quod progredi non licet, quin illa in licentiam convertatur (*d. Extrem*). Similiter Cicero Tusc. V, 25, 71. *Invenitur, quid sit — extremum in bonis, quid in malis ultimum.*

ita nos] sc. vidimus.

per inquisitiones] i. e. per subdolas delatorum speculationes (*Geheime Polizei, Spionirerei*), quibus caussam accusationibus quaererent,

4 commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere.

III. Nunc demum redit animus; et quamquam primo statim beatissimi seculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo ac votum

de quo abominando Caesarum instituto cf. Ann. I, 73, 1. II, 27 sqq. IV, 30, extr. IV, 69. Hist. I, 2, 3.

etiam loquendi audiendique] Pro *etiam*, quod in Vat. *Γ. Δ.* compendio *ēt* scriptum est, vulgo editur *et*. — *Loquendi audiendique* quamquam ita potest dictum esse, ut *audiendique* tanquam naturale oppositum adiungatur, quod pleonasmi genus interdum reperitur, velut apud Liv. XXXII, 32, 13. *Ex propinquo dicamus in vicem audiamusque*, tamen h. l. gravius quid significari videtur; quippe tanta erat illorum temporum atrocitas, ut delatores non solum corriperent eos, qui liberius *locuti essent*, sed etiam, quorum non alia culpa esset, quam quod *aliorum sermonibus interfuissent, eosque audivissent*.

cum voce] Praegnanti sensu est: cum *libere loquendi* potestate.

III. 1. *redit*] i. e. *redire incipit, in reditu est*. Sequentibus autem exponitur, non continuo id et subito, sed *tarde* fieri.

seculi] i. e. principatus, regni; *seculum* enim peculiari sensu dicebatur illud tempus, per quod princeps regnabat. Vernacula dicas *Periode* = *Regierungszeit*. cf. c. 44, 5. *Durare in hanc beatissimi seculi lucem*. Plin. Epp. X, 1, 2. *Precor ut tibi — prospera omnia, id est digna seculo tuo, contingant*. id. ibid. X, 2, 2. *Liberos habere etiam illo tristissimo seculo* (sc. Domitiani) *volui*. — (*Seculum* descendit a *secus* voce.)

Nerva Caesar] Ex eo, quod Tacitus non dicit *Divus Nerva*, quemadmodum loquitur infra c. 9, 1. de Vespasiano, c. 13, 2. de Iul. Caesare, §. 3. de Augusto, §. 5. de Claudio, Hist. I, 1, 4. de Nerva, circumspecti editores recte coniecerunt vitam Agricolae vivo adhuc Nerva compositam esse. Haud parum confirmatur haec coniectura eo, quod auctor dixit *miscuerit*, quod ad praesens tempus refertur; iam mortuo enim Nerva dicendum erat *miscuisset*. — Caesus est Domitianus XIV. Kal. Oct. a. 96. p. Chr. Obiit Nerva VI. Kal. Febr. a. 98; adoptavit Traianum XIV. Kal. Oct. a. 97.

dissociabiles] Vat. *Δ. dissolubiles*

felicitatem temporum] Ita Vat. *Γ. Δ.*; vulgo ex mutatione Beroaldi *facilitatem imperii*, ut nulla auctoritate, ita sensu debili et incommodo; cf. Hist. I, 1, 4. *Rara temporum felicitate, ubi sentire, quae velis, et quae sentias, dicere licet*.

nec spem modo — assumpserit] Non carent haec verba duritie aliqua. Primum enim *assumpserit* per zeugma refertur ad *spem ac votum*, quae *concipiuntur*, non *assumuntur*. Tum quae spes et vota *pro Securitate publica concipiuntur*, ea paulo audaciore personificatione *Securitas* ipsa concipere vel habere dicitur, ex peculiari Taciti more, qui haud raro eam sententiae partem, quae in praedicati attributo est, subiectum enuntiati facit; v. ad c. 34, 3. *Spes votumque* etiam coniungitur Germ 19, 3.

Securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumpserit, natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora nostra lente augescunt, cito 2
extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris. Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur. Quid? si per quin- 3

voti fiduciam ac robur] Non haec dicta sunt per ἓν διὰ δυοῖν. *Fiducia voti* est, ubi non dubitatur, quin votum ratum futurum sit; *robur voti* est, ubi votum iam ratum factum est. Utrumque in Nervae et Traiani seculum cadebat. Nam quae etiam sub Domitiano et prioribus facta erant vota, neque ullam fiduciam habebant, neque unquam eveniebant. — *Assumit* autem *Securitas publica voti fiduciam ac robur* tum, quum ad spem ac votum accedit hoc, ut neutrum frustra sit, eventumque habeat.

2. *corpora nostra*] Ita Vat. *Γ. Δ.*; vulgo *nostra* deest. — Loquitur Tacitus non de corporibus in universum, sed de *humana natura*, quae *corpore* et *animo* constat; quare *nostra* rectissime habet.

revocaveris] sc. ubi oppressa sunt.

subit] Absolute hoc dictum ut *incessit*, *invadit*, *irrepit;* vernacula *es beschleicht.*

desidia] sc. involuntaria illa, et invitis obtrusa, quum nemini quicquam agere licet.

3. *Quid?*] Ubi per *Quid?* transitur ad graviorem sententiam (cf. Dialog. c. 7, 4. Cic. de Orat. I, 10, 39.), sensus est *quin adeo;* vernacula *Noch mehr!* Gradatio autem sententiae haec est: non solum desidiam paulatim amare didicimus, sed diuturnâ desidiâ ipsam industriae facultatem amisimus, ita ut, quum antea *non liceret* agere, iam *non* amplius *valeamus;* non enim iam sumus, quales eramus.

si — interciderunt] Vis condicionalis sententiae c. indicat. transit in caussalem. Nam quum condicio in facta re sit posita, cuius veritas certo constat, id tale est, ut cogitatione suppleatur *quod nemo negat;* hoc autem eodem redit, ac si dixisset: *quum interciderint;* cf. Hist. I, 30, 3. *Si res publ. et senatus et populus vana nomina sunt, vestra, commilitones, interest, ne imperatorem pessimi faciant.* Nep. Hannib. 1, 1. *Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit, non est infitiandum* etc. i. e. *quum verum sit* etc. Cic. de Orat. I, 33, 150. — Apodosis periodi continetur verbis *pauci — superstites sumus.* Vulgo post *interciderunt* interrogandi signo interpungitur.

quindecim annos] Tempus imperii Domitiani, ab a. 81—96 p. Chr.

aevi] cf. Sall. Iug. 1, 1.

multi] Vat. *Γ. Δ. multis.* Vitium, perversa constructione ortum (cf. c. 28, 2.), correxit Lipsius. Distinguuntur quae caussae interitus, *casus fortuiti* et *saevitia principis;* illis *multi*, hac *promptissimus quisque* interciderunt. Utroque factum, ut *pauci modo supersint.*

casibus] *Casus*, quae vox plerumque de *calamitate* et *discrimine* dicitur, h. l. latiore sensu significat *res, quae eveniunt* (*Ereignisse*); cf. Hist. I, 3, 2. *Praeter multiplices rerum humanarum casus.* I, 4, 1. *Ut non modo casus eventusque rerum — noscantur.* Ann. IV,

decim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt, pauci, et, uti dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae
4 aetatis terminos per silentium venimus. Non tamen pigebit

58, 2. *Neque enim tam incredibilem casum praevidebant, ut undecim per annos libens patria careret.*

promptissimus] *Promptus* h. l. absolute et praegnanti sensu positum significat eum, qui *ingenium in promptu habet*, quemadmodum loquitur Sall. Cat. 7, 1, et ad agendum audendumque est paratus; Hist. I, 51, 6. *Promptissimum quemque centurionum dimitti.* Ann. IV. 17, 4. *Si unus alterve maxime prompti subverterentur.* XIV, 58, 2. *Animo promptus.* I, 57, 1. *Audacia promptus.* In vernacula maxime respondet *unternehmend, thatkräftig.*

et, uti dixerim, non modo — superstites] Ita Vat. *Γ. Δ.*; vulgo ex Rhenani coniectura: *Pauci, ut ita dixerim, non modo* etc. — *Et*, ubi annectit sententiam, qua praecedens artius adstringitur, valet *et quidem;* cf. c. 20, 3. v. ad. Sall. Iug. 85, 3. ed. II. — *Uti dixerim*, i. e. quemadmodum dixerim. Excusatur his verbis audacior sententia: *etiam nostri superstites sumus.* — De *nostri* genitivo v. annotata ad Sall. Cat. 1, 3. ed. II.

iuvenes — senes] cf. Gell. X, 28, 1. *Tubero in Hist. I. scripsit, Servium Tullium — ad annum quadragesimum sextum iuniores, supraque eum annum seniores appellasse.* Censorin. c. 14. Inde intelligitur cur C. Cotta in Sallustii Hist. Fragm. II, 50, 2. annum agens undequinquagesimum *senem* se dicat, et Tacitus annum agens fere quadragesimum quartum *ad senectutem se venisse* queratur.

per silentium] i. e. per oppressa ingenia studiaque (cf. §. 2.), prohibitâ omni dicendi scribendique facultate et exercitatione; cf. c. 39, 3. *Frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta.* Plin. Epp. VIII, 14, 8. *Prospeximus curiam, sed curiam trepidam et elinguem, quum dicere, quod velles, periculosum, quod nolles miserum esset. Quid tunc disci potuit? — Eadem mala iam senatores, — multos per annos vidimus tulimusque, quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt.*

4. *tamen*] Refertur haec particula ad concessivam sententiam, quae praecedentibus continetur, fere talem: *quamquam his rebus adversis et tristibus hebetatum est ingenium.* cf. de hoc usu annotata ad Sall. Cat. 19, 2. Iug. 54, 2. infra c. 11, 3.

non pigebit — composuisse] Quoniam eorum nos *piget*, quae molestiam afferunt et ingrata sunt, *non pigebit* per litotem dictum significat *iucundum erit*, vel, ut Livius Praef. §. 3. loquitur, *iuvabit.* — Inde pendens infinitivus *composuisse* non aoristi est, sed *perfecti*, vim futuri exacti habentis; sensus enim est; *non pigebit, si composuero memoriam* etc. cf. Quintil. I, 1, 34. *Illud non poenitebit curasse*, i. e. utile erit, si quis illud curaverit.

vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. Hic interim liber, honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

IV. Gnaeus Iulius Agricola, vetere et illustri Foroiuliensium colonia ortus, utrumque avum procuratorem Caesaris

vel incondita ac rudi voce] Haec quamquam aperte spectant ad silentium superiorum temporum, quibus non licebat orationem dicendo et scribendo excolere, tamen Tacitus simul excusationem quandam brevi, nervoso, et robusto dicendi generi quaesivisse videtur, quod in maiore Historiarum opere secutus est, alieno illi a rhetorico fuco, qui tum unice placebat.

memoriam prioris servitutis] Vat. *Γ. Δ. m. p. senectutis.* Scribendum esse *servitutis* bene annotavit Ursinus. Promittit Tacitus his verbis *Historias* suas, tunc fortasse iam inchoatas, sed postero demum tempore absolvendas et edendas.

testimonium praesentium bonorum] Spectant haec ad Taciti consilium de Nervae et Traiani imperio librum edendi; cf. Hist. I, 1, 4, et v. Prolegg. p. 13.

interim] i. e. dum illud maius opus perficitur. Magna autem breviloquentia *interim* coniungitur cum *laudatus erit;* plene enim dicendum erat: hic interim liber *prodeat, qui* — aut laudatus *erit* etc.

professione pietatis etc.] i. e. *sive placebit* liber, laudem habebit non ex dicendi arte, sed ex pietate, *sive displicebit*, excusationem trahet pariter ex pietate. Ceterum futurum haud paulo gravius quam coniunctivus; illud enim certam fiduciam de laude vel excusatione, hic optatum modo eius rei habet.

IV. 1. *vetere et illustri Foroiuliensium colonia*] Condita est Forum Iulii (Cic. Epp. ad Famm. X, 15, 7. 17, 1.) colonia a Iulio Caesare a. 44 a. Chr., eadem dicta *oppidum Foroiuliense* Ann. IV, 5, 1. et *Foroiuliensis colonia* Hist. III, 43, 1. Ex his Taciti locis simul intelligitur cur *illustris* dicatur; commodo enim portu instructa quasi claustra maris habebat, quam ob caussam Augustus naves rostratas Actiaca victoria captas eo misit, quae Galliae litus praesiderent.

procuratorem] *Procuratores Caesaris* in provinciis caesareis quaestorum instar erant, omnium redituum, qui vel ad aerarium vel ad fiscum pertinebant, curam gerentes; in provinciis senatoriis autem, in quibus quaestores erant, qui aerarii reditibus prospicerent, tantummodo iis tributis exigendis praerant, quae in fiscum redigebantur; cf. c. 15, 2.

Caesaris] Ita Vat. *Δ.;* vulgo *Caesarum*, ex Vat. *Γ.;* quod non verum videtur. Pater enim sub *Tiberio* factus est senator; quare probabile est, avos *Augusti* fuisse procuratores.

quae equestris nobilitas est] i. e. quod procuratoris munus non nisi egregiis et inter ceteros eminentibus equitibus conferri solet, ita ut, si quis illud accipit, id documento sit, non ex obvio eum et promiscuo equitum numero, sed ex praestantissimis esse, qui Hist. I, 4, 3. *primores equitum* vocantur. Commemoravit autem Tacitus hanc avorum dignitatem, quia pater Agricolae senatoria dignitate adepta maiorum condicionem egressus erat.

2 habuit, quae equestris nobilitas est. Pater fuit Iulius Graecinus senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus, iisque ipsis virtutibus iram Gaii Caesaris meritus; namque M. Silanum accusare iussus, et, quia abnuerat, interfectus est. Mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis.
3 In huius sinu indulgentiaque educatus per omnem hone-

2. *Pater fuit*] Vat. *Γ. pater Iulii; Δ. pater Iuli.* Scriptura aperte falsa, in qua adsit, quod vitiosum est, desit, quod deesse nequit. Nam ut taceam Tacitum nusquam appellare socerum *Iulium*, quis, quum modo plenum eius nomen attulerit, hic iterum nomen desideraverit? quasi de duobus agatur, quorum alter Iulius sit, alter a Iulio diversus. Tum, quia auctor non *sententiam* aliquam proponit, sed *narrat atque docet*, quis Agricolae pater fuerit, *verbum* utique necessarium est, quod praegresso *habuit* respondeat. Quare dubium non est, quin *Iuli* ortum sit ex male lecta voce *fuit*, quam Froehlichii coniecturam commemoravit Halmius Vol. II. Praef. p. XIII.

Iulius Graecinus] cf. Sen. de Benef. II, 21. *Si exemplo magni animi opus est, utamur Graecini Iulii, viri egregii, quem C. Caesar occidit ob hoc unum, quod melior vir esset, quam esse quemquam tyranno expediret.* Id. Ep. 29. De *vineis* eum scripsisse tradit Columella I, 1, 14.

sapientiaeque] i. e. philosophiae; v. ad 2, 2. 4, 6.

meritus] tanquam flagitio aliquo. C. Caesari enim vitia pro virtutibus, virtutes pro vitiis erant, quam perversitatem Tacitus notavit addito *ipsis* pronomine. *Meritus* igitur cum ironia dictum non differt a *sibi contraxit.*

M. Silanum] Vitiose Vat. *Γ. M. Sillanum, Δ. M. Sullanum.* M. Silanus, a. 19. p. Chr. n. consul fuit (Tac. Ann. II, 59, 1.), per insignem nobilitatem et eloquentiam praecellens (Ann. III, 24, 3.). Anno 33. p. Chr. socer C. Caesaris factus (Ann. VI, 20, 1. Suet. Calig. c. 12.), deinde ita in odium immanis hominis incidit, ut eo instante ipse sibi mortem consciscerat (Suet. Calig. c. 23.).

accusare iussus, et — interfectus est] Qui *et* deleri volunt, quod sane ferri posset, non viderunt Tacitum non simpliciter narrare caedem Graecini, caussâ additâ quod iussui Silanum accusandi non paruerit, sed iussum ipsum et caedem pro duobus irae Caligulae documentis afferre; nam quod is virum honesti studiosissimum iussit insontem accusare, id ipsum iam crudele erat, et ad vexationem compositum; crudelius vero, quod abnuentem interfecit. Haud raro autem Tacitus spreto participii usu in duo enunciata coordinata dispescit, quae uno comprehendi poterant; cf. c. 7, 2. *Nuntio deprehensus, ac statim in partes transgressus est.* c. 9, 6. *Minus triennium — detentus, ac statim — revocatus est.* Ann. II, 56, 1. *Armenii maximis imperiis interiecti, et saepius discordes sunt.*

3. *rarae castitatis*] i. e. marito unice dedita, neque aliorum virorum amores quaerens, rarum illis temporibus; cf. Ann. I, 33, 3.

sinu indulgentiaque] *Sinus* dicitur de *summa cura*, quae quem non ex oculis dimittit, sed quasi sinu gestat; cf. Dialog. c. 28. *Iam pri-*

starum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium, praeter ipsius bonam 4
integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuit, locum Graeca comitate et

mum suus cuique filius ex casta parente natus non in cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur. — *Indulgentia* bono sensu est *caritas;* cf. Cic. de Orat. II, 40, 168. *Si ferae partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus?* Iunctae voces per ἓν διὰ δυοῖν significant: huius *curâ amoris plenissimâ* (*zärtliche Obhut*) educatus.

per omnem — cultum] *Omnis cultus* intelligendus est is, *cui nulla pars deest*, sc. ex illo orbe doctrinae, quam Graeci ἔγκυκλον παιδείαν vocant, teste Quintil. I, 10, 1. Quare sensus est: *colendis omnibus honestis artibus p. adol. transegit.*

honestarum artium] Vat. *Δ. honestatis artium.* — *Honestae artes* sunt eaedem, quae vulgo dicuntur *liberales* vel *ingenuae.* Ad eas pertinebat *grammatica*, quae complectebatur rationem recte et suaviter legendi, verborum interpretationem, auctorum poetarumque explicationem, antiquitatis, historiarum, rerum, hominum, temporum notitiam (cf. Cic. de Orat. I, 42, 187. Tacit. Dialog. c. 29. extr. Quintil. I, 8.), tum *musice*, *geometria*, *rhetorice*, *philosophia* (Dial. c. 30.).

4. *Arcebat eum*] Vat. *Δ. arcebat tamen.*

illecebris] i. e. blandis et ad corrumpendum aptis invitationibus et illectationibus (*Verführungen*).

peccantium] Participium vi substantivi positum, ut saepissime apud Tacitum; cf. c. 40, 3. *servientium* = servorum; c. 41, 1. *laudantes* = laudatores. Dial. c. 6, 6. *dicentes*, *orantes* = oratores. — Ceterum *peccantes* intelligendi, qui libidinibus dediti sunt.

integramque naturam] *Integra n.* est, quae a nulla parte vitiosa est, genuina vi atque vigore praedita; cf. Dial. c. 28. *Sincera et integra et nullis pravitatibus detorta uniuscuiusque natura.* Sall. Iug. 63, 3. *Integrum* (Marii) *ingenium brevi adolevit.*

Massiliam] De Massilia litterarum ac studiorum sede cf. Strabo IV. p. 181. *Ἐν τῷ παρόντι καὶ τοὺς γνωριμωτάτους Ῥωμαίων πέπεικεν ἡ Μασσιλία ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας ἐκεῖσε φοιτᾶν φιλομαθεῖς ὄντας.* Tac. Ann. IV, 44, 4. *L. Antonium — seposuit Augustus in civitatem Massiliensium, ubi specie studiorum nomen exilii tegeretur.* — Quod haec urbs *sedes ac magistra studiorum* dicitur, audacius haec coniunguntur, siquidem Massilia ad alterum relata *loci*, ad alterum *personae* potestate cogitanda est.

habuit] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *habuerit.* Aliis placuit *haberet*, aliis *habuerat.*

parsimonia] i. e. *simplicitate ac frugalitate*, urbano luxui et insanae profusioni opposita; cf. Ann. III, 55, 3. *Novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro assumpti domesticam parsimoniam intulerunt.* Plin. Epp. I, 14, 4.

mistum] Ita Vat. *Γ. Δ.* Peculiari modo id, quod duas res simul habet, *iis mistum* dicitur, quum nobis proclivius sit *eas res mistas* dicere. Quare *mistus locus comitate et parsimonia* est is, *in quo comitas et parsimonia mista sunt;* cf. c. 25, 2. *Pedes equesque et nauticus miles*

5 provinciali parsimonia mistum ac bene compositum. Memoria teneo solitum ipsum narrare se prima in iuventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum

misti copiis et laetitia, i. e. qui inter se copias et laetitiam miscebant. Vell. II, 98, 3. *Esse mores eius vigore ac lenitate mixtissimos*, i. e. in moribus eius esse vigorem ac lenitatem accurate mixta.

bene compositum] Ita hoc differt a *mistum*, ut *commodam* mixturae rationem indicet, quae altera voce modo generaliter significatur.

5. *solitum — narrare*] i. e. *saepe narrasse;* cf. Ann. I, 73, 3. XI, 11, 3. XIII, 1, 1. Sall. Cat. 47, 1. 2. Iug. 4, 5. 108, 3.

se prima in iuventa] In Vat. Δ *in* deest. — *Se* primum locum cum vi occupat, quia Agricola *sui* animi impetum secutus opponitur *matri* aliud suadenti.

acrius — hausise] i. e. *altius se philosophiae studiis immersisse.* — *Haurire studium* ne te offendat, tenendum est *studium philosophiae* esse *philosophiam*, *cui studebat.* cf. Dial. 31, 6. *Informamus — eum, qui quasdam artes haurire, omnes libare debet.* ib. c. 28, 6. 30, 2. Hist. I, 67, 1. *Plus praedae ac sanguinis Caecina hausit.* — *Acer* saepe de *intentis* studiis dicitur; cf. Dial. c. 33, init. *Acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti.* Cic. de Orat. II, 3, 11. *Summis ingeniis, acerrimis studiis, optima doctrina.* Quintil. X, 6, 4. X, 3, 26.

ultra quam concessum etc.] Epexegesis vocis *acrius.* — *Concessum*, sc. non decreto aliquo aut iussu, sed recepto more et opinione hominum. Quippe quum philosophiae doctores Graeci essent, servilis plerumque condicionis eoque despecti, indignum habebatur *Romano*, si quis non libaret philosophiam, quod sane faciendum putabant, sed tam acri studio in eam incumberet, ut philosophiae magister fieri velle videretur. Ita sequebantur Ennianum illud apud Gellium V, 15, 9. *Philosophandum est paucis; nam omnino haud placet. Senatori* vero, cui de rebus, quae sunt, consultandum esset, minime utilis habebatur philosophorum doctrina, quae res, non quales sunt, sed quales esse debent, considerat; cf. Cic. Epp. ad Attic. II, 1, 8. *Cato — optimo animo utens et summa fide nocet interdum rei publicae; dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli faece, sententiam.* Hanc sive opinionem sive iudicium secuta est etiam Agrippina, Neronis mater, de qua Sueton. Ner. c. 52. *A philosophia eum mater avertit, monens imperaturo contrariam esse.*

se — acrius — hausisse, ni prudentia — coërcuisset] Breviloquentiâ Tacitus omisit enuntiatum ex condicionali sententia pendens. Nam quum Agricola concedat, revera se philosophiae acrius studuisse, *sed, quominus in eo studio pergeret* a matre impeditum fuisse, plene sic dicendum erat: *se acrius hausisse, et porro hausturum fuisse, ni prudentia matris — coërcuisset.* Decurtata igitur sententiarum conformatio eo nititur, quod Tac. adversativum enuntiatum commutavit cum condicionali, inter quae naturalis quaedam cognatio intercedit. Recta enim oratione Agricola dixit: „acrius philosophiae studium *hauriebam; sed* matris prudentia incensum animum coërcuit.“ Id condicionali modo sic erat efferendum: „*et in eo studio*

coërcuisset. Scilicet sublime et erectum ingenium pulchritu- 6
dinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae vehementius quam caute appetebat. Mox mitigavit ratio et aetas, retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

V. Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Pau-

perrexissem, ni prudentia matris incensum animum coërcuisset." cf. c. 13, 4. *Agitasse C. Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio mobili poenitentiae, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent;* i. e. agitabat intrare; *sed* velox — poenitentiae fuit, et ingentes — conatus frustra fuere; quare nihil susceptum. Condicionalis forma haec foret: agitasse — constat, *et intrasset*, ni velox etc. c. 37, 1. *Et Britanni — degredi paulatium et circumire terga vincentium coeperant, ni Agricola quattuor equitum alas — venientibus opposuisset;* i. e. *sed* Agricola — *opposuit;* condicionalis autem ratio ita constat: „degredi et circumire — coeperant, *et plane degressi essent ac circumvenissent, ni* Agricola — *opposuisset.*" cf. Ann. XVI, 32, 2.

incensum — animum] German. *seine glühende Begeisterung.*

6. *sublime et erectum ingenium*] *Sublime* est *supra vulgaria elatum, res magnas volvens* (*in höheren Regionen sich bewegend*); — *erectum*, demisso, iacenti, languido oppositum, h. l. est *altiora appetens;* cf. Quintil. XI, 1, 16. *Habet mens nostra sublime quiddam et erectum et impatiens superioris* (*ideal u. strebsam*).

pulchritudinem ac speciem] Per ἓν διὰ δυοῖν est *pulchram speciem.* — *Species* autem praegnanti sensu est rei alicuius *forma atque species animo informata et concepta* (die Idee); cf. Cic. Orat. 5, 18. *Insidebat in eius mente species eloquentiae, quam cernebat animo, re ipsa non videbat.*

vehementius quam caute] Vernaculâ redde: *mit mehr Leidenschaft als Vorsicht;* cf. Hist. I, 83, 3. *Tumultus proximi initium — nimia pietas vestra acrius quam considerate excitavit.* Quod poterat etiam scribi *vehementius quam cautius* (cf. c. 44, 2. *Habitus decentior quam sublimior fuit.* Hist. IV, 65, 2. *Quae prima libertatis facultas data est, avidius quam cautius sumpsimus.* Germ. c. 36, 2.), sensu non differt; nam utroque modo conceditur cautionem non plane defuisse Agricolae, sed praevaluisse vehementiam. Ceterum quod non satis cautus fuisse dicitur, eo pertinet, quod imperatoribus philosophiae, imprimis stoicae, studiosi de repugnantia et contumacia suspecti erant, eoque periculis non carebant; cf. Seneca Ep. 73, init. *Errare mihi videntur, qui existimant philosophiae fideliter deditos contumaces esse ac refractarios et contemptores magistratuum ac regum.* Tacit Ann. XIV, 57, 3. XVI, 22, 4.

Mox mitigavit ratio et aetas] *Mox* spectat ad priorem matris coercitionem; qua quum in prima iuventa regeretur, post aliquod tempus *ratio* eum, i. e. *ipse se* continuit. — Ad *mitigavit* supple *eum*, i. e. incensum eius animum. — *Aetas* praegnanti sensu pro *maturiore aetate* dicitur. Per ἓν διὰ δυοῖν priori substantivo additum, attributi vi significat *ratio maturioris aetatis.*

retinuitque — ex sapientia modum] i. e. *er bewahrte als dauernden Gewinn aus dem früheren Studium der Philosophie, nachdem er das-*

lino, diligenti ac moderato duci, approbavit electus, quem
2 contubernio aestimaret. Nec Agricola licenter, more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit; sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi opti-

selbe aufgegeben, das Maasshalten, sc. *in allen Lebensverhältnissen.*

V. 1. *castrorum*] *Castra* praegnanti sensu dicuntur pro *militia, quae castrorum usu constat* (germanice *Lagerdienst* = *praktischer Kriegsdienst)*; cf. c. 16, 4. *Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis.*

Suetonio Paulino] Britanniae praeerat a. 59—62. c. cf. 14, 4. 15. 16. Ann. XIV, 29—39. De eius ingenio cf. Hist. II, 25, 2. *Cunctator natura, et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent.* ib. II, 31, 3. *Nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur.*

diligenti ac moderato duci] *Diligens* dux est, qui magnam curam adhibet, ne officia militaria et disciplina negligantur; *moderatus*, qui circumspecte et caute agit, a temeritate et audacia alienus.

rudimenta — approbavit] i. e. ita posuit, ut Paulino probarentur *(leistete er zur Zufriedenheit)*; *approbare rem* enim significat *efficere, ut res probetur*; cf. c. 42, 2. *Operam suam in approbanda excusatione offerre.* Ann. XVI, 18, 2. *Nero nihil amoenum — putat, nisi quod ei Petronius approbavisset.*

electus, quem contubernio aestimaret] i. e. *quum* ab illo *electus esset*, ut contubernio eum *aestimaret*, = *penitus, qualis futurus esset, exploraret, accuratiusque cognosceret.* — In *contubernio imperatoris vel legati esse* praerogativa erat nobilium adolescentium, qui vel commendatione vel ob propinquitatem id consequebantur, ut circa duces et sub eorum oculis essent, cum iis versarentur, eorumque exemplo, admonitione, praeceptis ad rei militaris scientiam informarentur; cf. Sall. Iug. 64, 4. *Metellus eo tempore contubernio patris militabat.* v. Beier. ad Cic. de Off. T. I. p. 341. *Contubernio* ablativus instrumenti est, quo significatur id, cuius ope aestimatio perficeretur; cf. Hist. IV, 73, 2. *Quia — bona ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum aestimantur.*

2. *Nec Agricola*] *Nec* non vulgari modo ut correlativum respondet sequenti *neque*, sed simpliciter praecedenti sententiae adiungit novam eamque negativam, cui deinde altera pariter negans annectitur, quod germanice sic reddas: *auch — nicht — noch auch;* de priore usu cf. c. 8, 3. 18, 8. 24, 4.

more iuvenum — vertunt] Haec verba, quasi in parenthesi dicta, tantummodo ad *licenter* pertinere tum ipsa collocatio docet, tum sententia; *lascivia* enim iuventutis vel maxime propria, *segnities* non item.

titulum tribunatus] *Titulum tribunatus* dixit Tacitus, non *tribunatum*, quia, quum nobiles adolescentes a tribunatu militiam auspicantes exiguum in re militari usum haberent (cf. Caes. B. G. I, 39, 2.), tribunatus plerumque inanis honor erat, tribunis magis *titulo* i. e. nomine honoris sui quam *peritia rei militaris* in exercitu conspicuis.

et inscitiam] sc. *suam*, quippe quae in tribuno adolescente naturaliter inerat.

rettulit] i. e. *pertinere putavit;* cf. c. 8, 3. Quare sententia est: titu-

mos, nihil appetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus agere. Non sane alias 3 excitatior magisque in ambiguo Britannia fuit. Trucidati veterani, incensae coloniae, intersepti exercitus; tum de salute, mox de victoria certavere. Quae cuncta etsi consiliis ductuque 4

lum tribunatus et inscitiam suam non pro incitamento habuit, ut vel voluptates vel commeatus appeteret. Nam qui tribunatum sibi eo datum putabant, ut *voluptatibus* indulgerent, agebant *licenter*, qui eo abutebantur ad *commeatus* obtinendos, *segniter*. Neutrum cadebat in Agricolam.

noscere — nosci, etc.] Infinitivos esse historicos vix opus esset monere, nisi Walchius verteret *um zu kennen* etc.

nosci exercitui] i. e. in notitiam veniebat exercitui; sc. singulari diligentia et industria sua in obeundis officiis militaribus.

nihil — iactationem etc.] i. e. nihil, *quod arduum esset et periculosum, sibi iniungi* exposcebat, quo fortitudinem iactaret (v. ad c. 8, 3.); nihil *arduum sibi imperatum* — recusabat.

simulque et anxius et intentus agere] *Que* annectit extremum praedicatum praecedentibus, *et — et* huius praedicati attributa quodammodo contraria artius inter se copulat. *Anxius* enim est i. q. *cautus, providus;* cf. Sall. Iug. 55, 4. *Quo clarior, eo magis anxius erat.* Neque tamen anxietas ei obstitit, quominus, si res posceret, *intentus* esset, i. e. ad agendum *promptus paratusque.* Similem laudem Iugurthae tribuit Sallustius Iug. 7, 5. *Et proelio strenuus erat et bonus consilio, quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerumque solet.*

3. *excitatior*] Vat. Δ. *exercitator*, Γ. *exercitatior*, ut vulgo editur; sed unice verum, quod Buchnerus coniecit, *excitatior*, i. e. *ferocior, magis commota.* Nam qui *se ipsi* excitant ad rebellionem, et in arma exsurgunt, non *exercentur*, quod non nisi dicitur de iis, qui ab adversariis vexantur et exagitantur; cf. Sall. Hist. Fr. I, 11. ed. II. Corruptela orta ex falso credito compendio. Ceterum de hac communi Britannorum rebellione cf. infra c. 15 sq. et Ann. XIV, 31 sqq.

in ambiguo] i. e. in periculo ne amitteretur; cf. c. 41, 2. *De hibernis legionum et possessione* (sc. provinciarum) *dubitatum.*

Trucidati veterani] sc. in coloniam Camulodunum deducti; cf. Ann. XIV, 31, 4.

incensae coloniae] Non nimis urgendus pluralis numerus. Quamquam enim unum Camulodunum iustae coloniae nomen habebat (cf. Ann. XIV, 31, 4.), tamen etiam Londinium et Verulamium, quia multi ibi Romani consederant (cf. Ann. XIV, 33, 1. 4.), latiore sensu hoc vocabulo comprehenduntur; cf. c. 32, 6.

intersepti] Ita Vat. Γ. Δ. *Intersepiuntur* exercitus, ubi libero commercio inter eos sublato tanquam saepe interiecta impediuntur, quominus sibi invicem auxilio esse possint; cf. Hist. III, 53, 2. *Intersepta Germanorum Raetorumque auxilia.* Quod ex Puteolani coniectura invasit editiones *intercepti*, nihili est.

tum — mox] *Tum*, sc. quum haec pericula Romanis intendebantur; *mox*, i. e. rebus in melius mutatis;

alterius agebantur, ac summa rerum et recuperatae provinciae gloria in ducem cessit, artem et usum et stimulos addidere iuveni, intravitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.

cf. c. 16, 2. — Sall. Iug. c. 114, 2. *Romani sic habuere, — cum Gallis pro salute non pro gloria certari.*

certavere] sc. exercitus.

4. *agebantur — cessit*] Imperfectum *descriptionem* rerum gestarum, dum fiunt, designat, perfectum *eventum*; cf. c. 28, 2. *Tres liburnicas ascendere, et — praevehebantur.*

summa rerum] Germ. *die Oberleitung.*

cessit] = *zufiel.* Per zeugma *cessit* pertinet ad *summa rerum*, quae *fuit* ducis; gloriae ea pars, quae Agricolae erat, *cessit* in ducem.

artem et usum] i. e. scientiam et experientiam.

addidere] Quaecunque alicui affectionem vel statum aliquem animi excitant, quo antea non fuit, ea hunc statum illi *addere* dicuntur, ubi Germani simpliciter dicunt *geben, verleihen*; cf. c. 25, 4. *Metum addiderant.* Hist. I, 76, 1. *Fiduciam addidit.* II, 4, 4. *Tantum his vigoris addiderat.* III, 9, 6. *Epistolae addidere fiduciam.* IV, 3, 5. *Addidere alacritatem litterae.* IV, 33, 4. *Error Romanis addit animos.* Sall. Cat. 58, 1. *Verba virtutem non addere.*

intravitque] Germ. *ergriff.*

ingrata] i. e. invisa, invidiosa, parum accepta *(missliebig)*; cf. c. 31, 4. *Virtus — subiectorum ingrata imperantibus.*

temporibus] Ablativus est, pariter ut *quibus.*

quibus sinistra] De omisso *esse* verbo in enunciatione relativa v. ad Sall. Hist. Fr. III, 1, 9. p. 201. — *Sinistra*, i. e. *iniqua, invida suspiciosa;* cf. Ann. I, 74, 2. *Sinistros sermones habuisse.* VI, 32, 4. *Sinistram famam.* Hist. I, 7, 3. *Utraque caedes sinistre accepta* Qua sinistra interpretatione militaris gloriae quomodo correptus fuerit Agricola, c. 39. narratur.

erga eminentes] Haec neque pendent ex *sinistra*, neque pertinent ad *interpretatio*, sed adverbialem habent praedicati definitionem, quam germanice sic reddas: *hervorragenden Persönlichkeiten gegenüber*; cf. annotat. nostr. ad Sall. Iug. 105, 4. ed. II. *Spes* (sc. fuit) *amplior, quippe victoribus, et adversum eos, quos saepe vicerant.* id. Hist. Fr. I, 49, 1. *Clementia et probitas vostra — plurimum timoris mihi faciunt advorsum tyrannidem L. Sullae.* Infra c. 9, 5. *Procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores.* c. 16, 6. *Eadem inertia erga hostes.* Germ. 23, 2. *Adversus sitim non eadem temperantia.* 46, 5. *Securi adversus deos.* Hist. I, 4, 3. I, 20, 2. Patet in hac sententia *erga* non ita esse positum, ut inimicum vel adversarium animum prodat, quem sensum ne *adversus* quidem habet, sed simpliciter relationem indicare, quae alicui rei cum re vel persona est, qui usus primitiva *loci* potestate utriusque particulae nititur.

interpretatio] Supple *eius*, sc. mil. gloriae cupidinis.

VI. Hinc ad capessendos magistratus in urbem digressus Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam, sibi iunxit, idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit. Vixeruntque mira concordia per mutuam caritatem et 2
invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est. Sors quaesturae 3

VI. 1. *hinc*] i. e. deinde, tum; cf. c. 14, 4.

ad capessendos] i. e. ad *suscipiendos ex ordine*, quae sententia non magis ex plurali numero substantivi quam ex summi studii notione, quam verbum habet, prodit; cf. Ann. XIV, 40, 1. *Valerius Fabianus capessendis honoribus destinatus.*

digressus] Ita Vat. *Δ. degressus Γ.*

Domitiam Decidianam] De eius patre et universo genere nihil constat.

natalibus] *Natales* argentea aetas dixit pro *loco* sive *genere*; cf. Tac. Hist. I, 49, 3. *Claritas natalium.* II, 76, 4. Ann. XI, 21, 2. *Dedecus natalium.* Plin. Epp. VIII, 18, 8. *Mulier natalibus clara.* X, 3, 5.

id matrimonium] i. e. eo matrimonio parta affinitas, quod vernacula non est *Ehe*, sed *Heirath*, *Verbindung*.

decus ac robur fuit] i. e. et splendorem attulit et maiora ad honores adipiscendos adminicula. *Decus* cernebatur in eo, quod per uxorem illustrem claris domibus innexus et ipse incipiebat esse condicione splendidiore; *robur* positum in eo, quod magnarum affinitatum gratia et potentia sublevatus faciliorem nanciscebatur ad honores aditum. Ceterum haec non dicta sunt in Domitiae ipsius laudem, sed ad celebrandam eius *familiae* dignitatem et splendorem.

2. *per mutuam — anteponendo*] Vat. *Δ. appetendo.* Explicatur his verbis, quibus rebus *mira concordia* effecta sit.

nisi quod — culpae est] Loci multum ab editoribus tentati obscuritas nimiâ breviloquentiâ constat, praeter solitam in particulis *nisi quod* ellipsin etiam iis sententiis, quibus membrorum nexus conficitur, omissis. Quibus recte suppletis hic sensus perquam commodus prodit: *vixeruntque mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo* (*ut ambiguum esset, uter plus conferret ad coniugii felicitatem*), *nisi* (*Domitiae propterea priores deferendae sunt*) *quod* (*quum bonae uxores rarissimae sint*) *in bona uxore tanto maior laus* (*coniugii feliciter acti*), *quanto in mala plus culpae est* (*si coniugium parum feliciter cedit*). In promptu est Tacitum hac observatione socrui etiamtum viventi (cf. c. 44, 4. 46, 3.) gratificari voluisse. Quod ut modeste faceret, laudem tectius generali sententiae inclusit. — De *nisi quod* particulis cum ellipsi positis, quibus superior sententia *cogitatione addenda* confirmatur, ita tamen, ut simul aliquid inde excipiatur, cf. Ann. I, 33, 3. *Atque ipsa Agrippina paulo commotior* (*quod sane in vitio ponendum*), *nisi* (*hoc vitium levius videtur*) *quod castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat.* XIV, 14, 5. *Nero notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus* (*quod et imperatori et equitibus flagitiosum fuit*), *nisi* (*equitum flagitium minus*

provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit. Quorum neutro corruptus est, quamquam et provincia dives ac parata peccantibus, et proconsul in omnem aviditatem pronus quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filia, in subsidium simul
4 et solatium; nam filium ante sublatum brevi amisit. Mox

magnum est) quod merces ab eo, qui iubere potest, vim necessitatis affert. Germ. c. 9, 2.

3. *Sors quaesturae — dedit*] i. e. quaestor factus *sorte* Asiam prov. *obtinuit, ubi* Salv. Titianus procons. *fuit.* Quippe quod attributum verbi esse debebat, in *subiectum* cessit; cf. c. 7, 1. 22, 1. 30, 3. 37, 7.

Salvium Titianum] Plenum nomen est *L. Salvius Otho Titianus,* Fuit imperatoris Othonis frater natu maior; v. Sueton. Otho. c. 1, extr. Tac. Hist. I, 75, 2. 77, 2.

neutro] Ablativus neutro genere positus, quia Salvius in *rebus* corrumpentibus censetur.

prov. dives] sc. *esset.* — De re cf. Cic. Epp. ad Q. Fr. I, 1. *Praeclarum est summo cum imperio fuisse in Asia triennium sic, ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cuiusquam, nulla condicio pecuniae, quibus rebus abundat ista provincia, ab summa integritate continentiaque deduxerit.*

parata peccantibus] i. e. magistratibus peccantibus *facilem ministram se praebens* (Germ. *entgegen kommend*); quippe multi provincialium obsequio servili in magistratus ipsi inhonestum commodum quaerebant.

quantalibet facilitate] i. e. *connivendo* ad omnem quaestoris fraudem. — Vat. *Δ. quantilibet felicitate.*

redempturus esset — mali] i. e, *paratus esset ad redimendam* dissimulationem mali, quaestore invicem eius peccata celante. cf. Hist. I, 72, 2. *Pessimus quisque — adversus publicum odium privatam gratiam praeparat, unde nulla innocentiae cura, sed vices impunitatis.* ibid. II, 56, 3. *Valens — alienae etiam culpae dissimulator.* Plin. Epp. IX, 13, 21. *Senatus invidia flagrabat, — quod severus in ceteros senatoribus solis dissimulatione quasi mutua parceret.*

auctus est] *Augeri liberis* dicuntur, quibus liberi *nascuntur,* quippe quibus domus fit amplior. cf. Cic. Epp. ad Attic. I, 2. *Filiolo me auctum scito!*

in subsidium] sc. *honorum adipiscendorum.* Nam lege Papia Poppaea iis, qui matrimonio inito liberos procreassent, praerogativae quaedam in petendis honoribus concedebantur; cf. Ann. II, 51, 1. III, 56, 3. Plin. Epp. VII, 16, 2. *Ille me in tribunatu liberorum iure praecessit.*

simul et solatium] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *et solatium simul.* cf. 7, 4. *Ita successor simul et ultor electus.*

4. *inter quaesturam ac tribunatum*] Vat. *Δ. i. q. et trib.* Vat. *Γ. inter praeturam q. ac trib.*

ipsum etiam] Ita Vat. *Γ. Δ.*; vulgo *etiam ipsum.* Gradationi *ipse* pronomen inservit; nam *quies* illa non solum per medium quaesturae ac tribunatus tempus, *quo negotiis vacabat* Agricola, obtinuit, sed *adeo* per tribunatum, *qui alias negotiorum afferebat occupationem,* duravit. cf. Germ. 38, 3.

inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae tenor et silentium; nec enim iurisdictio obvenerat. Ludos et 5 inania honoris medio rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior. Tum electus a Galba ad dona templorum recognoscenda, diligentissima conquisitione

inter quaesturam et trib. pl.] Pertinent haec verba attributi vi ad *annum*, pariter ut genitivus *tribunatus*.

transiit] Vat. *Γ. transit* (Germ. *durchlebte er*). Qui *transit* aliquam rem, ei non immoratur, nihil ex ea attingens atque curans, quod planius declaratur verbis *quiete et otio*, v. ad Sall. Fr. Hist. I, 49, 9. ed. II. Illa enim constat studiose evitando ea, quae animum commovere et perturbare possint, hoc nihil, quod alicuius momenti sit, agendo; cf. c. 21, 1. 40, 4. 42, 2.

inertia] sc. non naturalis, sed *quaesita*; quippe sapientia non erat *esse* inertem, sed inertiae *speciem induere*.

tenor] Vat. *Γ. Δ. certior*. Emendavit Rhenanus. *Tenor* est *continua* alicuius rei *ratio*; cf. Plin. Paneg. 91, 6. *Congruens tenor vitae*. — *Tenor et silentium* per ἓν διὰ δυοῖν dictum pro *tenor silentii*, i. e. *continuum silentium*. — *Silentium* h. l. eius erat, qui nihil aut in curia aut in foro agere posset; v. ad c. 3, 3.

iurisdictio] Iurisdictionem inter cives habebat praetor urbanus, inter cives et peregrinos praetor peregrinus; ceteri, quorum numerus illo tempore fluctuat inter duodecim et sedecim, quaestionem exercebant, quae pauciorum erat negotiorum; praeterea ludorum edendorum habebant curam, alii aliis attributis, quae sub Caesaribus paene unicae erant praetorum partes, cf. Dio Cass. LIV, 2. Ann. XIV, 20, 3.

5. *Ludos et inania honoris*] *Inania honoris* tamquam attributum vocis *ludos* est. Quare verba per hendiadyn significant: *ludos, quibus edendis constabat inanis praeturae honor*, sive: *ludorum inanem editionem cum honore* (i. e. praeturae munere) *coniunctam*. Cur ludi *inanes* dicantur, patet ex annot. praecedente.

medio rationis — duxit] Ita Vat. *Γ. medio luxuriae — duxit* Vat. *Δ.* — *Duxit* verbi interpretatio non repetenda ex *ludorum* notione, sed *viae*, quae inest in *medio* vocabulo. Quoniam enim is, qui *ducit* aliquid *media* inter duas res *via*, efficit, ut illud transeat ita, ut in neutram partem offendat, neutri adhaereat, loci sensus est: ludorum editionem ita peregit, ut media quasi via incederet, sive *mediam quandam viam teneret inter id, quod ratio iubet* (i. e. simplicitatem a luxuria remotam = *vernünftige Sparsamkeit*) et *abundantiam* (i. e. effusionem); quae sententia paulo insolentius proposita sequentibus per epexegesin illustratur.

famae] Praegnanti sensu est *famae secundae* (cf. 8, 3. 9, 5. 18, 5.), quae h. l. est *splendoris exhibiti*. Cui quum Agricola *propior* dicatur, hoc significatur, non tam luxuriose quidem eum fecisse ludos, quam multos insanos, qui summa profusione opes familiares attererent, si modo splendidi dicerentur, sed tamen *non illaudatos fuisse eius ludos*. Ceterum com-

fecit, ne cuius alterius sacrilegium res publica quam Neronis sensisset.

VII. Sequens annus gravi vulnere animum domumque eius affixit. Nam classis Othoniana licenter vaga, dum Intemelios (Liguriae pars est) hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis suis interfecit, praediaque ipsa et magnam
2 patrimonii partem diripuit, quae caussa caedis fuerat. Igitur

parativus nititur omisso membro comparativo, velut *quam reprehensioni*; cf. c. 25, 5. Ann. III, 30, 2. Sall. Hist. Fr. II, 49.

propior] Vat. Δ. *proprior*.

dona templorum] sc. quae per Neronis rapinas et incendio urbis in alienas manus pervenerant. DUEBN. cf. Ann. XV, 45, 1. *Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciae eversae —; inque eam praedam etiam dii cessere, spoliatis in urbe templis egestoque auro, quod triumphis, quod votis omnis populi Romani aetas — sacraverat.* Sueton, Ner. c. 32. *Templis compluribus dona detraxit simulacraque ex auro vel argento fabricata conflavit, in his penatium deorum, quae mox Galba restituit.*

recognoscenda] Rapta *conquirere* et, quo dominis restituerentur, *recognoscere* vel *cognoscere* antiqui moris erat; cf. Liv. XXXVIII, 38, 12. V, 16, 7. Cic. in Verr. IV, 33, 73.

ne — sensisset] Sensus est: ne penes quem civem raptum aliquod simulacrum remaneret; nam quae Nero ablata absumpserat, ea restitui non potuerunt. — *Sensisset* non refertur ad id tempus, quo rapta conquirebat Agricola, sed quo rapina facta erat a Nerone. Restitutis enim, quae restitui poterant, et in integrum statum repositis, nullum res publica sacrilegium (olim) *senserat*, i. e. passa erat, *nisi Neronis*, a quo nihil repeti poterat. cf. Plin. Panegyr. c. 40, 4. *Idem effecisti, ne malos principes habuissemus*, i. e. effecisti, ne, quos malos principes ante te *habueramus*, habuisse videremur. — *Alterius*, quod vernaculâ est *eines zweiten*, Tacitus dixit, non *alius*, quo gravius notaret *solum* Neronem restare, qui sacrilegium fecisset; cf. Ann. XV, 25, 2. *Corbulo — gerendae rei praeficitur, ne cuius alterius inscitia rursum peccaretur, quia Paeti piguerat.* Liv. I, 17, 4. *Nemo alteri concedere in animum inducebat.*

cuius] Vat. Δ. *cuivis*.

VII. 1. *annus*] v. ad c. 6, 3. 22, 1.

classis Othoniana etc.] De ea v. Hist. II, 12. Disciplina soluta neque provisis adversus licentiam praesidiis classiarii rapinae in regionibus maritimis studebant.

Intemelios] Vat. Γ. Δ. *in templo*; margo Γ.... *templum*; Ursinus in notis *in Temelium*. Correxit Lipsius. cf. Tac. Hist. II, 13, 1. *Irritatus eo proelio Othonis miles vertit iras in municipium Albium Intemelium.* Strabo IV, 6, 1. Plin. H. N. III, 5, 48. — *Intemelios*, i. e. fines Intemeliorum.

praediaque etc.] *Pvaedia* quum discernantur a *patrimonio*, illorum direptio haud dubie constitit omnibus iis abigendis, quae ad rem rusticam pertinerent, velut copiis frumentariis, gregibus, armentis. *Patrimonium* videtur significare splendidam supellectilem ceteraque abundantiae instrumenta, quibus dives domus instructa fuit. — Plu-

ad sollemnia pietatis profectus Agricola nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus, ac statim in partes transgressus est. Initia principatus ac statum urbis Mucianus regebat, iuvene admodum Domitiano, et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. Is missum ad delectus agendos 3 Agricolam integreque ac strenue versatum vicesimae legioni, tarde ad sacramentum transgressae, praeposuit, ubi decessor

ralis *in praediis* significat *in uno praediorum.*

2. *ad sollemnia pietatis*] i. e. ad *sollemne funus* (cf. Ann. XII, 69, 4. XV, 64, 4.) faciendum, quod pietas exigebat; ad iusta pie solvenda.

nuntio — deprehensus] i. e. nuntium inopinatum ac praeter exspectationem accepit (germ. *wurde überrascht durch*).

affectati] i. e. *prompte appetiti*; nam qui *affectat* imperium, eo non iam potitur, sed *potiri studet*, vel *animum ad potiundum acriter appellit*, quod germ. est: *Schritte thun zu etwas*; cf. Liv. I, 50, 4. *Cui enim non apparere affectare eum imperium in Latinos?* Tac. Germ. 37, 6.

ac statim] De iunctura enuntiationum v. ad. c. 4, 2.

in partes] sc. *eius*; cf. Hist. I, 13, 5. II, 85, 1. IV, 70, 2.

transgressus est] Ita Vat. *Γ. deprehensus est — transgressus.* Vat. *Δ.*

statum urbis] i. e. res urbanas.

Mucianus] *M. Licinius Crassus Mucianus*, praecipuus Vespasiano affectandi imperii auctor (Hist. II, 76.) et consiliorum adiutor (H. II, 80.), prius quam hic urbem ingressus cuncta simul in se traxerat (Hist. IV, 11.), summamque vim tenebat (H. IV, 39, 2.).

iuvene admodum] Ita Vat. *Γ. Δ.*; vulgo perperam *admodum iuvene*; nam quum *iuvene* praedicatum sit non attributum, in eo vis sententiae inest. cf. Dial. 1, 3. *Quos — iuvenis admodum audivi.* Caussa enim, cur Mucianus solus statum urbis regeret, affertur, quod Domitianus propter adolescentiam (duodevicesimum annum agebat) rebus moderandis adhuc impar erat, ac praeterea licentiae se dabat. De eo cf. Hist. IV, 2, 1. *Nomen sedemque Caesaris Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus; sed stupris et adulteriis filium principis agebat.* Titi mentio fieri non potuit, quia is tum in Asia agebat; cf. Hist. II, 1, 2.

tantum — usurpante] De *tantum* adverbio praemisso v. ad Germ. 29, 2. — *Usurpante* Germ. est *sich zu Nutze machte.*

3. *ad delectus agendos*] Agebantur hi delectus haud dubie in Italia.

integre] i. e. *ita, ut pretio non corrumperetur* ad vacationem militiae nonnullis concedendam (*unbestechlich*).

strenue] i. e. haud segniter (*rührig*).

vicesimae legioni] sc. in Britannia agenti (Hist. III, 22, 2.), cui nomen erat *victrici.* Praeterea ibi erant *secunda et quarta decima* (Hist. III, 44, 2. Ann. XIV, 37, 3.) ac *nona* (Agric. c. 26, 1. Ann. XIV, 32, 4.).

tarde ad sacramentum transgressae] cf. Hist. III, 44, 2. *Britanniam inclitus erga Vespasianum favor, quod illic secundae legioni a Claudio praepositus* et *bello clarus egerat, non sine motu adiunxit ceterarum.*

ubi] i. e. *apud quam*; v. ad Sall. Cat. 3, 3. ed. II.

seditiose agere narrabatur; quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat, nec legatus praetorius ad co-
4 hibendum potens, incertum, suo an militum ingenio. Ita successor simul et ultor electus rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos quam fecisse.

VIII. Praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus, placidius quam feroci provincia dignum est. Temperavit Agricola vim

decessor] Novo modo ita dicitur, *qui proxime praefuerat.* Is fuit *Roscius Caelius*, de quo v. Hist. I, 60. *Praeerat Trebellius Maximus, per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque. Accendebat odium eius Roscius Caelius legatus XX legionis, olim discors; sed occasione civilium armorum atrocius proruperat. Trebellius seditionem et confusum ordinem disciplinae Caelio — obiectabat, cum interim foedis legatorum certaminibus modestia exercitus corrupta*, etc.

seditiose agere] Ita dicitur Caelius, non quo vere seditionem moverit, sed quod, dum Trebellio discors est, *in sua legione disciplinam labi passus est*, neque modestiam parendi sustentavit; v. annot. praeced.

legatis — consularibus] sc. *Trebellio Maximo* eiusque successori *Vettio Bolano. — Legati consulares* sunt *praesides totius provinciae; legati praetorii* singulis tantum *legionibus praeerant.*

nimia] *Nimium* quum sit id, quod modum excedit, *nimius alicui* dicitur is, qui ab illo amplius contineri et coerceri non potest, quod Germani dicunt *über den Kopf gewachsen;* cf. Vell. II, 32, 1. *Esse Cn. Pompeium nimium iam liberae reipublicae.*

legatus praetorius] sc. Caelius.

suo] sc. invalido, ignavo ac sine auctoritate, quippe qui, quibus modo nimium indulserat, eos iam ad modestiam reducere non valeret.

militum] sc. nimis ferocium ac renitentium.

ingenio] *Ingenium* quum h. l. praegnanti sensu intelligatur *ingenium malum*, sensu vix differt a *culpa.*

4. *successor — ultor*] *Successor* superioris legati; *ultor* seditiosorum militum.

moderatione] *Moderatio* eo constabat, quod, quum milites punire et posset et deberet, dissimulando egit, ita turbidos tractans, quasi nihil delictum esset, ac *pudore* eos ad officium reduxit; cf. Sall. Iug. 100, 5. *Et sane Marius — pudore magis quam malo exercitum coercebat.* Hist. II, 29, 5. *Valens utili moderatione non supplicium cuiusquam poposcit.* Quae ars delicta sine poena corrigendi quum perpaucorum sit, propterea moderatio Agricolae dicitur *rarissima.*

VIII. 1. *feroci*] i. e. bellicosae, excitatae, ad arma pronae; cf. 11, 5.

quam — dignum est] Generalis est sententia, non de sola Britannia accipienda: quam ferox provincia *meretur*, sive: quam in feroci prov. *convenit.*

vim suam] sc. *militarem*, qua aliquid contra hostes moliri poterat, Bolano mollitie sua et segnitie nihil audente. — *Ardorem*, i. e. pugnandi cupiditatem (*glühende Kampfbegierde*).

suam, ardoremque compescuit, ne incresceret, peritus obsequi eruditusque utilia honestis miscere. Brevi deinde Bri- 2
tannia consularem Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum. Sed primo Cerialis labores modo et discrimina, mox et gloriam communicabat; saepe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex eventu praefecit. Nec Agricola umquam in suam famam ge- 3
stis exsultavit; ad auctorem ac ducem ut minister fortunam

ne incresceret] Absolute positum significat: ne rebus strenue gestis legatum consularem obscuraret ac famâ super eum assurgeret, vel nimius ei fieret.

peritus obsequi] *Peritus* (Germ. *verstehend*) cum infinitivo iunctum analogiam sequitur synonymorum participiorum, velut *doctus, sciens;* v. ad Sall. Iug. c. 46, 5. ed II. Tac. Dial. 10, 8. *obnoxius offendere.*

utilia honestis miscere] *Utile* erat in officio strenuum esse, *honestum* duci obsequi.

2. *consularem*] i. e. *legatum* consularem.

Petilium Cerialem] Fuerat is iam antea in Britannia sub Suetonio Paulino (cf. c. 5, 1.) legatus legionis nonae (cf. Ann. XIV, 32, 4.). Reversus, quum per aliquot annos exercitui in Germania praefuisset, in Vespasiani partes transgressus est (Hist. III, 59, 3. 78—80.) ac deinde Britanniae praepositus; cf. c. 17.

virtutes] sc. Agricolae.

spatium exemplorum] i. e. plenam occasionem fortium factorum edendorum, quae alii ut exempla imitarentur; cf. 34, 1. — *Spatium* dixit Tacitus, quia Agricola sub Bolano quasi in angustum compulsus se continebat, iam vero his vinculis exsolutus *ingenium in promptu habere* potuit, ut loquitur Sall. Cat. 7, 1. cf. Ann. XIII, 8, 1. *Laeti, quod Domitium Corbulonem retinendae Armeniae praeposuerat, videbaturque locus virtutibus patefactus.* cf. infra c. 22, 1.

labores modo] Ita Vat. *Γ. Δ.* vulgo *modo labores.*

communicabat] sc. *cum eo*, i. e. *in partem vocabat* eum primo laborum — mox etiam gloriae.

in experimentum] i. e. *ut eum experiretur;* v. ad § 3.

ex eventu] *Ex* h. l. pariter temporis potestate est *post eventum*, atque caussae vi significat *quum eventum habuisset;* v. ad Sall. Cat. 12, 2. ed II. *Eventus* autem praegnanti sensu est *prosper eventus;* cf. c. 22, 3. *Damna aestatis hibernis eventibus pensare.* 27, 2. *Prompti post eventum ac magniloqui erant.* Ann. II, 26, 2. II, 77, 1.

3. *in suam famam — exsultavit*] i. e. gloriatus est, *quo sibi famam quaereret.* Insigni breviloquentia *in* c. acc. vim habet enuntiati, quo finis sive consilium continetur; cf. c. 5, 2. *Nihil appetere in iactationem.* 10, 1. *Non in comparationem — referam.* 18, 8. *Prosperitate rerum in vanitatem usus.* 25, 1. 31, 2. 31, 5. 35, 2. 24, 4. *Unum ex regulis — in occasionem retinebat.* Germ. 24, 2. *In quaestum.* 38, 4. *In altitudinem.* — *Suam* cum vi priorem locum obtinet; non exsultavit A., ne *sibi* arrogaret, quod *alius* esset.

ad auctorem] i. e. ad eum, qui iuberet, cuiusque auspiciis res gererentur. Similis sententia est Germ. 14, 1.

ac ducem] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *et ducem.*

referebat. Ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando extra invidiam nec extra gloriam erat.

IX. Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios ascivit, ac deinde provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae imprimis dignitatis administratione ac
2 spe consulatus, cui destinarat. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura et obtusior ac plura manu agens calliditatem fori non

minister] Germ. *ein Untergebener, e. Werkzeug.*

referebat] i. e. deberi iudicabat; cf. ad c. 5, 2.

in praedicando] sc. res a se gestas, i. e. modeste de rebus a se gestis loquendo.

extra invidiam] *Extra,* ut *citra,* a Tacito et aequalibus dicitur pro *sine*; cf. Hist. I, 49, 2. *Galbae medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus.*

nec extra] *Nec*, ubi restringit praecedentem sententiam, valet *nec tamen;* cf. 18, 8. 19, 3. 22, 4. Germ. 21, 1. 45, 3. et v. ad Sall. Iug. 31, 27. ed. II. Hist. Fr. I, 61.

IX. 1. *Revertentem*] Non est idem quod *reversum*, sed *ipso reditus tempore* (*bei seiner Rückkehr*). Ad reditum enim non solum discessus ipse ex Britannia atque iter pertinet, sed etiam *adventus Romam*; cf. c. 18, 7. *Quippe cui ingredienti provinciam — labor et periculum placuisset*, ubi *ingredienti* non solum adventum, sed prima administrationis consilia complectitur; v. ad Sall. Iug. 10, 2.

inter patricios ascivit] Quod priores imperatores aliquoties fecerant, ut exstinctis veteribus patriciorum gentibus novos patricios ex equitibus aut plebeiis asciscerent, idem et Vespasianus fecit. De Claudio insignis locus est apud Tacitum Ann. XI, 25, 2. *Iisdem diebus in numerum patriciorum ascivit Caesar vetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum et L. Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis etiam, quas dictator Caesar lege Cassia et princeps Augustus lege Saenia sublegere.* cf. Suet. Caes. c. 41. Aurel. Vict. Caes. c. 9.

splendidae — dignitatis] Genitivi qualitatis sunt ad *provinciae* pertinentes; cf. infra §. 7. *Gratae spei filiam.* c. 4, 3. *Mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis.* Hist. IV. 49, 1. *Valerius Festus, sumptuosae adolescentiae.* Quare totius loci sensus hic est: muneri administrandae Aquitaniae eum praeposuit, quod munus splendidae erat dignitatis propter amplitudinem administrationis (i. e. propter negotiorum multitudinem et gravitatem), et quod iam tum, quum praeponebat, decreverat ea legatione functum consulatu ornare.

spe consulatus] germanice *durch die Aussicht auf das Consulat.* Non nitebatur autem illa spes opinione hominum, aut quadam consuetudine, ut Aquitaniae praepositus consul fieret, sed Vespasiani consilio atque voluntate.

2. *subtilitatem*] Cernitur *subtilitas* in minuta et arguta distinctione atque in captioso formularum iuris usu.

castrensis iurisdictio] i. e. iurisdictio *inter milites*, cui infra opponitur iurisdictio *inter togatos.*

secura] i. e. cui nihil timendum neque ex adversarii dolo et vafritie,

exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos,
facile iusteque agebat. Iam vero tempora curarum remissio- 3
numque divisa; ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis,
intentus, severus, et saepius misericors; ubi officio satisfactum,
nulla ultra potestatis persona. Tristitiam et arrogantiam et 4

neque ex iudicum inconstantia, favore, venali animo (*d. keine Rücksicht zu nehmen braucht*). Propter id ipsum iurisdictio dicitur *obtusior*, i. e. minus acuta et artificiosa, acuminis et argutiarum expers (*derber*).

manu agens] i. e. sine fori ambagibus celeriter res conficiens noxios sine mora plectendo (germ. *kurzen Prozess machend*).

togatos] *Togati* quum sint *cives*, qui milites non sunt (v. ad Sall. Iug. 21, 2. Eckstein ad Dialog c. 6, 5. Ann. XVI, 27, 1.), sensus verborum est: quamvis iurisdictionem *inter cives* (= *civilem*) exercens, quae multum erat diversa a castrensi.

facile iusteque agebat] i. e. in caussis iudicandis celeriter, in quo litium cardo versaretur, reperiebat, iusteque iudicabat.

3. *Iam vero*] i. e. *ad hoc autem;* cf. c. 21, 2. *Iam vero principum filios — erudire.* Hist. I, 2, 2. Germ. 14, 1. Dialog. 6, 5. 19, 4. 20, 4. 29, 3. Cic. in Verr. IV. 26, 60. De orat. I, 2, 7. I, 45, 198.

tempora — divisa] i. e. *separata inter se* (*streng geschieden*), non mixta, ut, quando negotia obiret, alienus a remissionibus, quando remissionibus se daret, immemor esset negotiorum. cf. Cic. p. Mur. 35, 74. *Romani homines, qui tempora voluptatis laborisque dispertiunt*, Liv. XXI, 4, 6. *Vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora.* WEX. *Curae* et *remissiones* eodem modo iunguntur Dial. c. 28.

conventus] Sunt et *certi dies*, quibus provinciales in oppidis a praeside provinciae constitutis conveniebant ad iudicandum (*Gerichtstage*), et ipsa *iurisdictio* his diebus ab eo, qui indixerat, exercita (*Gerichtspflege*); cf. Caes. B. G. I, 54, 2. A *conventibus*, in quibus ius dicebatur, ita differunt *iudicia*, ut illi sint iudicia non statis temporibus in provincia habita, haec ordinaria in ea urbe, ubi legatus degebat, exercita

gravis, intentus, severus] *Gravis* est, qui *dignitatem prae se fert* (*würdevoll*); — *intentus*, qui est *non dissolutus;* — *severus*, qui non ex gratia aut libidine, sed *secundum leges* agit.

et saepius misericors] Ubi per *et* adiungitur, quod cum antegressis pugnare videtur, *et* valet *et tamen*, quemadmodum in negativa sententia *nec* est *nec tamen;* cf. ad c. 8, 3. Comparativi ratio quum pendeat ex omissa sententia *quam in severo exspectares, saepius* h. l. est *haud raro;* cf. c. 19, 3. *Nec poena semper, sed saepius poenitentia contentus esse.* 38, 2. Ann. XI, 16, 3. XII, 7, 3. XII, 46, 3. Germ. 22, 1. — Addidit hoc Tacitus, quo significaret Agricolae in iudiciis severitatem tamen cum humanitate fuisse coniunctam.

nulla ultra potestatis persona] Vat. *Γ. Δ. nullam ultra potestatis personam.* Correxit Rhenanus; accusativus enim a librariis effictus, *ultra* pro praepositione habentibus; v. ad c. 11, 2. Sensus verborum est: „non amplius *in eo fuit* vel apparuit, quod potestatem sive imperium ostenderet" (*Amtsmiene*), sc. ut in aliis legatis. cf. Cic. Brut. 45, 165. *Quo magistratus personam tueretur.* Similiter Martialis V, 61. *Procuratorem vultu qui praeferat*

avaritiam exuerat; nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit.
5 Ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut per artem quaesivit; procul ab aemulatione ad-

ipso. Eadem in describendo brevitas, ut enuntiatum solo subiecto conficiatur, multis aliis locis habetur; cf. c. 16, 6. *Eadem inertia.* 43, 4. 17, 2. *Multa proelia et aliquando non incruenta.* 32, 6. *Nec quicquam ultra formidinis.* 44, 2. *Nihil metus et impetus in vultu.* Hist. I, 10, 2. de Muciano: *Nimiae voluptates, quum vacaret; quotiens expedierat, magnae virtutes.* ib. II, 6, 2. II, 29, 4. Ann. XII, 7, 3. *Palam severitas, ac saepius superbia.* II, 82, 1. *At Romae — dolor, ira.*

4. *Tristitiam — exuerat*] *Exuisse* (non *exuere*) *rem* dicitur is, qui eam rem, *quam alii habent*, in se non admisit, eaque immunem se praestitit; cf. Ann. VI, 25, 2. *Agrippina aequi impatiens, dominandi avida, virilibus curis, feminarum vitia exuerat;* — quod non est *sua vitia feminea deposuerat*, sed virilibus curis effecerat, ut feminarum vitia in ipsa non provenirent, i. e. *vitiis iis, quae vulgo feminarum sunt, vacabat;* nunquam enim Agrippina impudica aut munditiarum unice studiosa fuit, cf. Ann. I, 33, 3. I, 41, 2. II, 43, 6. IV, 12, 3. Sensus loci est: ita se removerat a tristitia, arrogantia, avaritia, *quae sunt solita rectorum provinciarum vitia*, ut nihil eorum in ipso esset. — *Tristitia* est vultus alto supercilio ad severitatem compositus, quo homines ab aspectu et congressu deterrentur (*abstossende Kälte*); cf. Hist. I, 14, 3. *Piso aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur.* IV, 2, 4. *Tristes et truces, et adversus plausus ac lasciviam insultantis vulgi immobiles.* Ann. XVI, 22, 2. — *Arrogantia* (Germ. *Hochnäsigkeit*) eorum est, qui nimium sibi sumunt ceteris omnibus despectis ac pro nihilo habitis. cf. Ann. II, 72, 3. *Germanicus, quum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et arrogantiam* (*i. e. invidiam quae ex arrogantia oritur*) *effugerat.* — *Avaritia*, commune praesidum vitium, est cupiditas extorquendi provincialibus pecunias, cum vexationibus omnis generis coniuncta.

facilitas] sc. extra negotia; *auctoritatem*, sc. in negotiis et munere obeundo. *Facilitas* est *comitas et humanitas;* cf. Sall. Cat. 54, 3.

severitas] sc. in negotiis; *amorem*, sc. in privatis rationibus et commercio hominum.

deminuit] Vat. *Γ. Δ. diminuit.* Correxit Lipsius.

Integritatem etc.] *Integritas* eius est, qui pretio non corrumpitur, cf. c. 7, 3; *abstinentia*, qui pecunias publicas non avertit (cf. Hist. I, 53, 2.). Hinc differt *exuisse avaritiam* (de quo v. supra), et *abstinentem esse.*

5. *famam*] i. e. gloriam; v. ad c. 6, 5.

saepe etiam boni] Ita Vat. *Γ. etiam saepe boni* Vat. *Δ.*

cui — indulgent] i. e. cui nimis student, cuius cupidine abripiuntur.

ostentanda virtute] Vat. *Γ. Δ. ostentandam virtutè.* Correxit Rhenanus.

aut per artem] i. e. artificiis quibusdam et machinationibus, quibus provinciarum praesides gratiarum actiones, laudationes, commendationes a provincialibus extorquebant,

versus collegas, procul a contentione adversus procuratores, et vincere ingloriam et atteri sordidum arbitrabatur. Minus 6
triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. Haud semper errat fama; aliquando et elegit. Con- 7

cf. Dio. Cass. LVI, 25. *Ἐκεῖνό τε ἀπεῖπε, καὶ τῷ ὑπηκόῳ προσπαρήγγειλε, μηδενὶ τῶν προστασσομένων αὐτοῖς ἀρχόντων — τιμήν τινα διδόναι, ὅτι τινὲς μαρτυρίας παρ' αὐτῶν καὶ ἐπαίνους προσπαρασκευαζόμενοι πολλὰ διὰ τούτου ἐκακούργουν.* Tac. Ann. XV, 21, 2. *Maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi; sed laus falsa et precibus expressa perinde cohibeantur quam malitia, quam crudelitas.* ibid. c. 22, 1. *Auctore principe sanxere, ne quis ad concilium sociorum referret agendas apud senatum propraetoribus proveconsulibus grates.*

adversus] v. ad c. 5, 4.

collegas] i. e. vicinarum provinciarum praesides; cf. Hist. I, 10, 2. de Muciano Syriae praefecto: *apud subiectos, apud proximos, apud collegas variis illecebris potens.*

procuratores] Hic pluralis pariter ut praegressae *collegas* vocis de *vicinarum provinciarum* procuratoribus intelligendus, quibuscum, fisci rationes curantibus (v. ad c. 4, 1.), facile contentio oriri poterat.

et vincere — et atteri etc.] Haec sententia ad solos *procuratores*, quippe legato dignitate multo inferiores, spectat.

atteri] Non plane est *vinci*, sed *aliqua ex parte contundi*, i. e. *detrimentum opinionis accipere, maculam contrahere* (Germ. *einen Stoss erleiden*).

sordidum] i. e. ignominiosum, viro illustri indignum.

6. *Minus triennium*] Inde ab Augusto auctore Maecenate invaluerat, ut provinciarum praesides non minus quam triennium provincias obtinerent; cf. Dio Cass. LII, 23. *Καὶ ἀρχέτωσαν μήτε ἔλαττον ἔτῶν τριῶν (εἰ μή τις ἀδικήσειέ τι), μὴ πλεῖον πέντε*, quamquam id institutum non ubique accurate observabatur.

in ea legatione] i. e. in eo munere legati pro praetore.

detentus] Quum *detineantur, qui alio properant*, in hoc vocabulo h. l. inest: maioribus destinato Agricolae eam legationem moram fecisse quominus illa statim attingeret. Respicitur autem ad § 1. *spe consulatus, cui destinarat.*

statim — revocatus est] *Statim*, quod grammatice pendet ex *revocatus est*, sententia ipsa monstrante pro adiectivo est, ad verba *ad spem consulatus* pertinente: hoc enim dicit Tacitus: ita revocatus est, ut *statim sperare consulatum* iuberetur, i. e. ad *proximam spem* cons. revoc. est. Germanice licet eodem modo: er wurde *unmittelbar zur Aussicht* aufs Cons. abberufen, pro: *zur unmittelbaren Aussicht* etc. Haud infrequens adverbii pro adiectivo attributivo usus (cf. Roth. ad Agric. 3. Excurs. XXIV. p. 215 sqq.), nitens ille elliptica dicendi ratione, h. l. adiuncta *ad* praepositione paulo fit insolentior; cf. 25. 1. Germ. 8, 1. *Monstrata cominus captivitate.* 28, 5. *Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt.*

sul gratae tum spei filiam iuveni mihi despondit, ac post consulatum collocavit; et statim Britanniae praepositus est, adiecto pontificatus sacerdotio.

X. Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos non in comparationem curae ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est; ita, quae priores nondum

opinione] sc. civium Romanorum, qui in Aquitania essent.

nullis — suis sermonibus] *Suis* dixit Tacitus, quia interposita enuntiatio ex Agricolae subiecto tacite inferendo pendet, in hunc modum: quamquam *ipse* suis sermonibus minime id agebat, ut eam opinionem excitaret. — De verbis *in hoc* v. ad c. 8, 3.

7. *errat*] i. e. *falsos* sive non *idoneos* designat honoribus gerendis.

aliquando] i. e. interdum; cf. c. 8, 2. 17, 2. 28, 3. 37, 3. 38, 2. Hist. I, 30, 4.

elegit] Praegnanti sensu est: iustum ac verum delectum egit, in eligendo eo, quem honoribus destinat, a vero non aberravit. — Tempus verbi non est aoristus, sed perfectum praesentis; cogitatio enim haec subest: *id quod experientia constat.*

consul] Quum principio a. 77. p. Chr. n. consulatum iniissent Vespasianus VIII. Titus VI., altera anni parte iis suffecti sunt Domitianus VI. et Agricola.

gratae] Vat. *Γ. grecie; Δ. grate.* — Verba *gratae spei* (Germ. *hoffnungsvoll*) indicant admodum adolescentulam fuisse Agricolae filiam, quippe tredecim annos natam (cf. c. 6, 3). *Tum* additum significat eam spem postea non irritam fuisse.

adiecto pontificatus sacerdotio] sc. quo cumulus dignitatis adderetur; cf. Hist. I, 77, 4. Ann. I, 3, 1.

X. 1. *multis scriptoribus*] De structura v. ad c. 2, 1. Intelliguntur Caesar B. G. V, 12—23. Plin. H. N. IV, 16, 30. Liv. CV. Strabo IV, 5.

non in comparationem curae ingeniive] i. e. non ut *mea* cura ingeniumve cum *illorum* comparetur; v. ad. c. 8, 3. — *Cura* est studium in cognoscendis atque perscrutandis rebus positum; cf. Cic. de Orat. III, 48, 184. *Neque vero haec tam acrem curam diligentiamque desiderant.* Tusc. V, 24. 69.

tum primum] Ita Vat. *Γ. Δ.* Wexius scripsit *tunc primum.* Utrumque, quamquam cogitandi modo diversum, permultis locis recte dici potest. Nam quoniam *tum* progressum temporis significat, *tum primum* eam vim habet, ut cogitatio a priore aliquo tempore exorsa ad certum praeteriti temporis punctum *progrediatur; tunc* vero quia fixum aliquod temporis praeteriti punctum denotat, *tunc primum* ita mente concipitur, ut cogitatio ex praesenti *regrediatur* eo ac *se recipiat.* Illud germanice est *jetzt zuerst, nunmehr zuerst*, hoc *damals zuerst;* cf. Ann. II, 27, 1. *Eius negotii initium, ordinem, finem curatius disseram, quia tum primum reperta sunt, quae per tot annos rempublicam exedere.* Agric. 10, 4. *Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta.* Ceterum cf. Prolegg. p. 19.

ita, quae] Sic Vat. *Γ. Δ.;* vulgo *itaque quae.* Vis *ita* particulae haec est, ut ad proximum enuntiatum respiciens significet perdomitâ Britanniâ iam veriorem eius descriptionem exhiberi posse.

comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Bri- 2
tannia, insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima, spatio ac coelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur; Gallis in meridiem etiam inspicitur. Septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniae Livius veterum 3
Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae

comperta] i. e. satis certa, certo auctore cognita; cf. ad. Sall. Cat. 14, 7. Iug. 17, 2. infra c. 11, 1. 43, 2.

eloquentia percoluere] i. e. verborum splendore exornavere; cf. §. 3.

rerum fide] i. e. ea fide, quam *res* conciliant, sive quae *rebus* nititur; *res* autem *eloquentiae* i. e. *verbis* opponuntur.

2. *Romana notitia*] i. e. *Romanorum* notitia; idque ipsum, attributo in subiectum mutato, dictum pro eo, quod est: *quas Romani notitiâ complectuntur*, = quarum Romani notitiam habent.

spatio] i. e. longitudine, extentione; cf. c. 24, 3.

coelo] i. e. coeli tractu, vel, ut est c. 11, 3, *positione coeli*, quam hodie dicunt *latitudinem geographicam*. — Ablativis praedicati ratio illustratur, quatenus ex spatio et coelo pendet; vernaculâ id dicitur *nach*, *vermöge*.

obtenditur] i. e. ex adverso iacet (cf. Germ. 35, 2.), *ita ut media sit inter Germaniam et Hispaniam;* quippe utramque terram veteres putabant longe ad septemptriones versus porrigi. Eadem de Hispaniae situ opinio habetur c. 11, 2.

Gallis — etiam inspicitur] i. e. Gallis *tam propinqua* est, ut meridionale litus *adeo conspicere* possint.

nullis contra terris] Ablativi vel caussalem, vel attributivam vim habent; cf. c. 16, 4. *Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis*. 34, 3. — *Contra*, cf. c. 11, 2. — Eandem rem notavit Caes. B. G. V, 14, 6. *Tertium latus est contra septemtrionem, cui parti nulla est objecta terra.*

vasto — pulsantur] *Vastum* est, quod infra §. 5. dicitur *continuum mare*, i. e. *in immensum patens;* cf. Ann. II, 24, 1. *Ita vasto, ut credatur novissimum ac sine terris, mari.* — *Apertum* valet *insulis non impeditum;* cf. Ann. IV, 67, 2. *Aestas* (Caprearum) *in Favonium obversa et aperto circum pelago peramoena.* II, 23, 2. *Aperta oceani.* Caes. B. G. III, 12, 5.

3. *Livius*] Libro CV, quo de Caesaris expeditionibus in Britanniam egit.

Fabius Rusticus] Senecae aequalis et amicus, qui sub Claudio et Nerone floruit; cf. Ann. XIII, 20, 2. XIV, 2, 2. XV, 61, 3. Caligulae et Claudii atque Neronis res composuisse videtur, unde probabiliter Britanniae mentio facta, quum Claudii expeditionem (cf. c. 13, 5.) narravit.

oblongae scutulae] Quod interpretes *scutulam*, quae fuit genus patinae planioris, trapezii formam habere dicunt, id nullo pacto neque cum aliqua insulae similitudine neque cum bipennis figura conciliari potest. Quare ut ignorata scutulae forma aliquatenus intelligatur, a notiore bipenni proficiscendum est. Quae quum ex utraque parte late promineat, media, ubi manubrium est, tenuis sit, scutula quoque similem quandam formam habuisse putanda

scutulae vel bipenni assimilavere. Et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est. Sed transgressis immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam li-
4 tore terrarum velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus
5 insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. Dispecta

est. Paulo pinguius igitur Britanniae haec figura attribuitur, quippe quae Metaris et Sabrinae aestuariis media aliquantum attenuetur.

assimilavere] Ita Vat. *Γ. Δ.*

Et est ea facies etc.] Adiunctâ per *et* sententiâ asseritur veritas narratae rei; quare sensus est: *et re vera, et sane* Brit. hanc habet faciem. Ea vis non inest in *et* particula, sed in ipsa sententia indicativo enuntiata; cf. Dial. 25, 6. Hist. I, 25, 2. *Suscepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum, et transtulerunt.* ib. I, 90, 3. *In rebus urbanis Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur; et erant, qui genus ipsum orandi noscerent.* v. ad Sall. Iug. 105, 5. ed. II. Gruber ad German. 45, 1.

unde et in universum fama est. Sed transgressis] Vat. *Γ. unde et universum fama est transgressis. Sed;* — Vat. *Δ. unde et in universum fama est transgressus. Sed;* — in *Γ. in* casu excidit, in *Δ.* scribendi lapsu *transgressus* est pro *transgressis.* — *In universum* (cf. c. 11, 3.) valet *universe,* = de universa Britanniae insula, sc. nullo Britanniae iam prius cognitae et Caledoniae facto discrimine. — Locum corruptum sanavit Doederlinus, ac Schoemannus in Ind. scholl. in Univers. Gryphisw. a. 1859—60 p. 7—8. puncto post *est* posito et *Sed* particula ante *transgressis* collocata. *Transgressi* sunt, qui trans Clodam et Bodotriam aestuaria ex Britannia in Caledoniam se contulerunt. Ne te in hac sententia offendat *transgressis* nude positum, eodem modo Tacitus infra dixit c. 15, 3. *Quantulum enim transisse militum?* 18, 1. *Media iam aestate transgressus Agricola.*

procurrentium extremo iam litore terrarum] i. e. ubi ultimum iam orbis terrarum litus esse credideris, ibi rursus procurrentium terrarum.

4. *tunc primum*] sc. Agricola Britanniam obtinente. — De *tunc* particula v. ad §. 1.

circumvecta] cf. c. 38, 5.

affirmavit] i. e. *confirmavit.* Quae enim Pythea auctore erat fama de Britannia insula, postea addubitari coepta erat, aliis probantibus, aliis negantibus, nullo novo experimento facto; cf. Dio Cass. XXXIX, 50. LXVI, 20.

incognitas] Iam ante Agricolam aliqua Orcadum notitia Romanis erat (cf. Mela III, 6, 7. Plin. H. N. IV, 16, 30.). Quare *incognitas* — *invenit* non est *novas detexit,* sed *insulas, de quibus ad id tempus non satis certa constabant, adiit planeque cognovit.* cf. c. 30, 4. *Omne ignotum pro magnifico est.* Liv. XXVIII, 44, 3. *Maior ignotarum rerum est terror; bona malaque hostium ex propinquo ingressus fines aspicias.* In hac sententia *invenire* vernacula non est *entdecken,* sed *auffinden.*

Orcadas] Hodie *the Orkney isles.*

5. *Dispecta*] i. e. ex longinquo visa, ita tamen, ut accurate disgnosci

est et Thyle, quia hactenus iussum, et hiems appetebat. Sed mare pigrum et grave remigantibus; perhibent ne ventis quidem proinde attolli; credo, quod rariores terrae montesque, caussa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus ne- 6
que quaerere huius operis est, ac multi rettulere. Unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum

posset; *dispicere* enim significat *intenta* vel oculorum vel mentis *acie aliquid videre*. cf. Ann. III, 22, 2. *Haud facile quis dispexerit in illa cognitione mentem principis.* XIII, 27, 2. *Dispiceret quisque merita, tardeque concederet, quod datum non adimeretur.* Hist. IV, 55. 4. Cic. de Div. II, 39, 82. *Imbecilli animi verum dispicere non possunt.*

Thyle] Ita Vat. Γ.; *Tyle* Vat. Δ. Vulgo *Thule*. Opinione veterum fuit insula omnium terrarum remotissima ad septemtriones versus, unde apud Virg. Georg I, 30. audit *ultima Thule*. Quae communis antiquitatis fama utrum de *Islandia* sit intelligenda, quae plurimorum est sententia, an de *Norwegia*, an de chersoneso Cimbrica, vix ad liquidum perduci poterit. Hoc tamen non dubium videtur, quin Taciti Thyle nulla ex his terris sit, sed maxima ex Schetlandicis insulis, cui nomen *Mainland*, quam classis Romana pro Thyle celebrata habuit.

quia hactenus iussum] Ita Vat. Γ. Δ. Explicatur his verbis, cur nihil aliud actum sit, quam ut *dispiceretur Thyle*, neque vero, ut Orcades, adiretur ac domaretur. Noluerat enim Agricola classem nimis longe a littoribus Britanniae discedere, cf. c. 38, 5. *Praefecto classis circumvehi Britanniam praecipit.* Quare sensus est: dispecta quidem est, neque tamen adita, *quia non ultra progredi iussum erat.* Per se autem patet *hactenus*, quod falso de tempore intelligunt, loci sive termini potestate dictum esse; cf. Germ. 35, 1. *Hactenus in occidentem Germaniam novimus.* ibid. 25, 1.

et hiems appetebat] Ita Vat. Γ. Δ. His verbis altera caussa additur, cum Thyle tantummodo *dispecta* fuerit. *Appetere* enim absolute dictum valet *instare, appropinquare;* cf. Drakenborch. ad Liv. VIII, 28, 3. *Nox iam appetebat.* XXII, 1, 1. *Iam ver appetebat.* XXXVII, 32, 14. *Quia iam hiems appetebat.* Caes. B. G. VI, 35, 1 *Dies appetebat septimus.* Igitur, praeterquam quod Agricola nihil amplius iusserat quam circumvehi Britanniam, etiam *instans hiems* prohibebat classis praefectum, quominus Thylen adiret. — Locus ex infelici Puteolani et Rhenani coniectura vulgo sic legitur: *quam hactenus nix et hiems abdebat.*

Sed mare] Per *sed* transitur ad ea. quae praeterea narranda restant. Usitatius foret *ceterum*.

pigrum] Haec desumpta sunt ex narrationibus de maris prope Thylen natura, quod alii *concretum*, *cronium* (Plin. H. N. IV, 16, 30.), alii *pigrum ac prope immotum* (Tac. Germ. 45, 1.) dicunt. WEX.

remigantibus; perhibent etc.] Vulgo sine interpunctione. Sed duo enuntiata distingenda; quare *est* post *remigantibus* supplendum.

proinde] *Proinde*, quod est rarior forma quam *perinde*, sensu ab ea

huc atque illuc ferre, nec litore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et iugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

XI. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum.
2 Habitus corporum varii, atque ex eo argumenta. Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germani-

non differt. Ad sententiam supplendum *atque alia maria.*

quod — montesque] sc. sunt. — *Terrae* h. l. sunt *insulae;* cf. Ann. II, 24, 1.

continui] v. ad §. 2.

6. *dominari*] i. e. extendi, omnia complecti.

fluminum] Intelliguntur *flumina in ipso mari* (*Strömungen*), de quibus Mela III, 3. *Mare* (in sinu Codano) *aquis passim interfluentibus ac saepe transgressis vagum atque diffusum facie amnium spargitur.* — Quod mare dicitur *multum fluminum huc atque illuc ferre*, planius foret *multis fluminibus — ferri.*

resorberi] i. e. rursus refluere.

influere] sc. in ipsam terram, quo aestuaria efficiuntur.

ambire] Non vulgari eaque transitiva potestate *ambire* hic significat *circumire, circumdare, cingere;* nam ne de collibus cogites, quos mare circumfluat, ut insulae fiant, hoc obstat, quod sequentibus (*iugis ac montibus inseri*) hoc ipsum dicitur. Quare intransitivo sensu est *late diffundi ac diffluere, quoquo versus se extendere, multis partibus inundationem facere.*

velut in suo] Maris propria sunt *depressiora ac profunda terrarum.* aliena montes et iuga, quae continentis et insularum sunt. Haec igitur quum invasit mare, *in regionibus, quae non suae sunt, dominatur tanquam in suis. — In suo* Germ. est *auf seinem Eigenthum, auf s. Gebiet;* cf. Cic. Epp. ad Attic. XIII, 2. *Ariarathes — pedem ubi ponat in suo, non habet.* Similem nostri loci sententiam habet Seneca Nat. Quaest. III, 30. *Non vides, ut aestus fines suos transeat, et in possessionem terrarum mare inducat?*

XI. 1. *ut inter barbaros*] Ex comparatione rei cum alius rei natura, per *ut* facta, prodit *caussae* significatio; cf. ad Sall. Iug. 107, 6. ed. II. infra c. 18, 6. Germ. 22, 2. 45, 3. Dial. 19, 3. Barbari igitur quum originum suarum incuriosi sint, propterea parum de iis compertum.

compertum] v. ad c. 10, 1.

2. *Habitus*] i. e. externa species (*d. Aeussere*); cf. §. 3. 44, 2. Germ. 4, 1.

argumenta] sc. originis.

rutilae — comae] Idem de Germanis tradit Tac. Germ. 4, 2. *Truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora.*

colorati] Ita dicuntur, quos sol *fuscavit* (*gebräunt*), pallidis vel candidis oppositi; cf. Cic. de Orat. II, 14, 60. *Quum in sole ambulem, fieri natura, ut colorer.* Seneca Ep. 108. *Qui in solem venerit — colorabitur.* Virg. Georg. IV, 293. *Usque coloratis amnis devexus ab Indis.* Non igitur huc pertinet, quod Caesar tradit B. G. V, 14, 2. *Omnes se Britanni vitro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem.*

cam originem asseverant. Silurum colorati vultus, torti plerumque crines, et posita contra Hispania Iberos veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt. Proximi 3
Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio coeli corporibus habitum dedit. In universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas, su- 4
perstitionum persuasiones; sermo haud multum diversus; in

torti] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *et torti,* quod, quum tria sint subiecta, nullo pacto ferri potest.

contra Hispania] Vat. *Γ. Δ. contra Hispaniam.* Correxit Muretus. Vitium ortum eo, quod scribae *contra* adverbium pro praepositione habuerunt; cf. 9, 3.

occupasse] Ita Vat. *Δ.*; *hitasse Γ,* sed punctis notatum, et in margine *occupasse.* Vulgo *habitasse.*

3. *Proximi Gallis* etc.] i. e. *ii ex Britannis, qui Gallis proximi sunt,* Gallis etiam *similes* sunt. cf. Caes. B. G. V, 14, 1. *Ex his omnibus longe sunt humanissimi, qui Cantium incolunt, quae regio est maritima omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine.*

originis vi] Vat. *Γ. Δ.* corrupte *originis usu.* Correxit Rhenanus.

procurrentibus in diversa terris] *Terrae* sunt Gallia et Britannia; *in diversa* significat *in oppositam et contrariam partem;* cf. ad Sall. Fragm. Hist. I, 6. et ad Cat. 5, 8. Ann. XIII, 57, 3. XIV, 30, 1. *Diversa acies.* Quare sensus est: procurrente Gallia ad Britanniam versus, Britannia ad Galliam, ita, ut paene se attingant (cf. 10, 2.).

positio coeli] v. ad c. 10, 2.

habitum] Si quid supplendum est, non cum Ernestio supplebis *eundem,* aut cum Walchio *eum,* sed *suum,* sc. Gallorum similem.

tamen] Spectat haec particula ad suppressam sententiam fere talem: quamquam Gallicae originis argumentum a similitudine habitus sumptum non admodum firmum est, *tamen* etc. cf. ad c. 3, 4.

in universum — aestimanti] i. e. si quis omnes rationes in considerationem vocet; cf. Germ. 6, 5. *In universum aestimanti plus penes peditem roboris.*

vicinam insulam] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *vicinum solum.*

4. *deprehendas*] Germ. *man trifft an.*

persuasiones] Vat. *Γ. Δ. persuasione,* quod aperte falsum est. Nam *sacris* continetur externus deorum cultus atque oculis subiectus; *superstitionum persuasiones* sunt varia dogmata de rebus divinis, quae homines *animo* imbiberunt et amplectuntur. Quare absonum est ex his, quae recondita sunt, ea cognoscere velle, quae iam per se aperta et in promptu sunt, quamquam inverso modo ex sacris quaedam coniectura fieri potest de persuasionibus. Neutrum dixit Tacitus, sed hoc significavit: „Britannorum, qui Gallis sunt proximi, *eadem atque Gallorum sacra* deprehendas, *easdem superstitionum persuasiones.*“ Nam utroque demum conficitur plena religionis similitudo. Recte igitur vir doctus apud Walchium p. 198. emendavit *persuasiones,* quae vox ἀσυνδέτως priori additur; v. ad

deposcendis periculis eadem audacia, et, ubi advenere, in
5 detractandis eadem formido. Plus tamen ferociae Britanni
praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. Quod Britannorum olim victis evenit; ceteri manent, quales Galli fuerunt.

XII. In pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur; honestior auriga, clientes propugnant. Olim regibus

c. 15, 2. — De re ipsa cf. Caes. B. G. VI, 13, 11. *Disciplina (druidum) in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur.* — *Sacra*, Britannis et Gallis peculiaria, haud dubie intelligenda *hostiae humanae*, quibus utrique litabant; cf. Caes. B. G. VI, 16, 3 sqq. Tac. Ann. XIV, 30, 2. — *Superstitiones* in universum dicuntur externarum gentium religiones a Romanorum more abhorrentes; cf. Orell. ad Ann. XIII, 32, 2. XV. 44, 3. Germ. 43, 4. Earum superstitionum quae *persuasiones* fuerint, colligitur ex Caes. B. G. VI, 14, 5. *Imprimis hoc volunt persuadere, non interire animas.* Omnino totus locus de druidibus consulendus.

in deposcendis periculis etc.] cf. Caes. B. G. III, 19, 6. *Ut ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.*

ubi advenere] cf. Sall. Cat. 23, 6. *Ubi periculum advenit.*

detractandis] Ita Vat. Δ. cf. Sall. Fragm. Hist. III. 77, 2. Vat. Γ. *detrectandis.*

5. *ferociae*] i. e. bellicosi animi, rudis et impetuosae fortitudinis; cf. c. 8, 1. 31, 4.

praeferunt] i. e. ostendunt, conspiciendum praebent; cf. Ann. XIII, 3, 1. *Quamquam oratio a Seneca composita multum [cultus praeferret.* XIII, 45, 2. *Sabina Poppaea modestiam praeferre, et lascivia uti.*

floruisse accepimus] cf. Caes. B. G. VI, 24, 1. Sall. Cat. 53, 3. Germ. 28, 1.

pariter ac] i. e. *simul cum.* Usitatius est *pariter cum;* cf. ad Sall. Iug. 68, 1. ed. II.

Quod] Planius foret *id quod.*

Britannorum olim victis] i. e. iis ex Britannis, qui olim (sc. sub Claudio) victi sunt; quibus *ceteri* (sc. non victi) opponuntur.

manent] i. e. sunt etiamnum tales.

Galli] Non est subiectum, sed subiecti, quod in verbo inest, attributum (*sie als Gallier*). Sensus est: quales tum fuerunt, quam recentes ex Gallia in Britanniam venerant. Nam universa disputatio eo spectat, ut et meridionalis Britanniae incolas Gallos fuisse doceatur.

XII. 1. *robur*] sc. eorum est. cf. Germ. 30, 3. Inde sequitur etiam equitatum eos habuisse, sed minus validum. cf. c. 36, 4.

curru] Hi currus armati apud Melam III, 6, 5. dicuntur *covinni;* qui inde pugnabant, *covinnarii* vocantur; cf. infra c. 35, 2. 36, 3. Apud Caesarem dicuntur *essedae*, B. G. IV, 32, 5. V, 9, 3, atque *essedarii* IV, 24, 1. V, 15, 1.

propugnant] i. e. desuper pugnant; v. ad Sall. Iug. c. 67, 1.

parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur, nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius quam quod in commune non consulunt. Rarus dua- 2
bus tribusque civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus; ita singuli pugnant, universi vincuntur. Coe- 3
lum crebris imbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium

factionibus] i. e. fraudulentis coitionibus potentiae obtinendae caussa per proceres factis; v. ad Sall. Iug. 8, 1. ed. II.

studiis] sc. non principum, sed *suis*. *Studia* enim eorum sunt, qui alios sequuntur iisque dediti sunt. cf. Ann. II, 43, 4. *Divisa et discors aula erat tacitis in Drusum aut Germanicum* **studiis**.

trahuntur] Ita Vat. *Γ*. *Δ*. Qui *trahuntur*, non possunt subsistere, quo sunt loco, sed trahentes sequi coguntur. Quare ad *trahuntur* cogita *quo illi volunt*, i. e. in diversas partes.

pro nobis utilius] Per se sufficiebat *nobis utilius;* sed oppositionem quaerens Tacitus *pro* addidit, quae vox *adversus* particulae responderet. Hist. II, 65, 3. *Contumeliosa in Vitellium et* **pro** *se ipso popularia.* Sall. Iug. 84, 1. *Magnifica pro se et illis dolentia.* 88, 4. *Urbes, quae* **pro** *hostibus et* **adversum** *se opportunissimae erant.* 98, 2. *Noctem* **pro** *se esse rati.* Non potuisset h. l. ita dici, nisi etiam extra oppositionem dativi loco *pro* poni posset; cf. Hist. III, 7, 3. *Decorum* **pro** *caussa ratus.* III, 9, 5. I, 5, 3. Ad sententiam cf. Germ. 33, 3. *In urgentibus imperii fatis nihil iam praestare Fortuna maius potest, quam hostium discordiam.*

in commune] Ut *in universum* est *universe*, ita *in commune* dictum pro *communiter;* cf. Ann. II, 38, 2. *Quod* **in commune** *conducat.* Hist. II, 54, 4. *Nec ultra* **in commune** *congressi sibi quisque consulere.* IV, 67, 4. Germ. c. 40, 3. Hist. I, 68, 1. *Non in unum consulere.*

2. *tribusque*] Ita Vat. *Γ*.; *tribusve* Vat. *Δ*. Bene Wexius Prolegg. p. 30: „scriptores, si numerum aut non possunt accurate indicare, quia nesciunt, aut non volunt definire, quia perinde est, quot fuerint, tum dicunt δύο ἢ τρεῖς, *duo tresve*; at ubi illi dicunt δύο καὶ τρεῖς, *duo tresque*, tum *duae* observantur *eiusdem rei species*, quarum ad alteram prior, ad alteram alter numerus referendus est. — Igitur si *tribusve* legis, erit: raro paucae aliquot, sive duae sive tres, civitates conveniunt; sin *tribusque*, tum dicit Tacitus: rarus est duarum, rarus trium civitatum conventus.“ Simplicius cape sic: duabus, *et aliquando* tribus. cf. Liv. IX, 18, 13. *Denos* **vicenosque** *dies quidam dictaturam, nemo plus quam annum consulatum gessit.*

conventus] Dubium est, utrum sit *congressus deliberantium*, an *consociatio virium.* Fortasse utrumque.

singuli pugnant etc.] Asyndeta enuntiatorum positio concessivam rationem habet hoc sententiarum nexu: ita singuli *pugnant quidem*, *sed* univ. *vincuntur*; vel: ita *quamquam* sing. pugnant, *tamen* univ. vincuntur. Quippe singulis *deinceps victis*, postremo universi succumbunt.

3. *foedum*] i. e. triste, obscurum, obtectum, sine serenitate et splen-

4 lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exsurgere sed transire affirmant. Scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque coe-
5 lum et sidera nox cadit. Solum, praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fecundum; tarde mitescunt, cito proveniunt, eademque utriusque rei caussa, multus humor terrarum coelique. Fert Britannia

dore; cf. Sall. Fragm. Hist. Inc. 73. *Nubes foedave re lumen.* Tac. Hist. I, 18, 1. *Foedum imbribus diem.*

abest] Germ. est: *kömmt nicht vor.* De ipsa re cf. Caes. B. G. V, 12, 7. *Loca sunt temperatiora quam in Gallia remissioribus frigoribus.*

nostri orbis] sc. dierum. — *Orbis* angustiore potestate dictum pro *parte* vel *tractu orbis terrarum;* cf. Germ. 2, 1. Plin. H. N. XII, 12, 26. *In nostro orbe.*

et extrema — brevis] Fama tum de brevitate noctium tum de sole non occidente ex remotioribus ad septemtriones terris in Britanniam translata.

4. *per noctem*] i. e. per id tempus, quo in aliis terris nox est.

occidere etc.] sc. *solem*, quod huc trahendum ex verbis *solis fulgorem.*

transire] Qui ita affirmarent, cogitasse putandi sunt solem quasi in circulum agi, et mare vix ex aliqua parte tangere, neque in id immergi. Idem tradit auctor Germ. 45, 1.

Scilicet extrema etc.] Haec non ex ipsa rei natura, sed ex ea, quam Tacitus sibi finxit, opinione explicanda. Terram enim non globum esse, sed orbem cogitat, cuius extrema pars, quia plana sit et humilem umbram faciat, tenebras non in altum mittat. Nox vulgaris autem quum ei effecta videatur montium umbra, quae a terra profecta coelum attingat et universum mundum impleat, verba „*infraque* coelum et sidera nox cadit" hoc significant: nox in extremis et planis terrae partibus, quum tenebrae coelum et sidera non attingant, proprie *nox non est,* eoque fit, ut, quum liber sit ad coelum prospectus, etiam sol nocte conspici possit.

infraque] *Que* quum adiiciat, quod cum aliqua re coniunctum est et cohaeret, haud raro obtinet vim consecutivam, ut sit *eoque*; v. ad c. 18, 4.

5. *praeter oleam*] i. e. exceptâ oleâ etc. cf. Caes. B. G. V, 12. Sensus idem est, ac si dixisset: *solum impatiens oleae* etc., eaque caussa est, cur in sequentibus *patiens* primum locum obtineat.

patiens frugum, fecundum] *Solum patiens frugum* est non ita sterile, ut nullas proferre possit (cf. Germ. 5, 1. *Terra frugiferarum arborum impatiens*), sed multas et bonas proferre non necesse est; at *fecundum* uberes fert fruges. Quare gradatio asyndeto continetur in hunc modum: „solum non modo frugibus gignendis non inutile, sed adeo fecundum." Sunt autem *fruges* h. l. de omni genere *frumenti* intelligendae, ut ex sequentibus *proveniunt* patet.

mitescunt] sc. *fruges*, quod sine negotio repetitur ex *frugum*; neque obstat eodem referenda vox *fecundum* postposita.

eademque — caussa etc.] Noli cum Duebnero et Orellio haec sic

aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. Gignit 6
et oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur; nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint, colligi. Ego facilius crediderim naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam.

XIII. Ipsi Britanni delectum ac tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt, si iniuriae absint; has aegre tole-

intelligere; *humore terrae cito proveniunt, humore coeli tarde maturescunt.* Immo utroque fit utrumque.

pretium victoriae] i. e. *quae* sunt *praemia victorum;* sive: *propter quae operae pretium est Britanniam vincere.* cf. Ann. I, 3, 4.

6. *et oceanus*] *Et* additum breviloquentia nititur; haec enim subest plenior sententia: non solum *terra* fert res pretiosas, *sed etiam oceanus* iis non caret; gignit enim margarita.

liventia] i. e. in plumbi colorem nigricantia, candore destituta; cf. Plin. H. N. IX, 35. *In Britannia parvas et decolores margaritas nasci certum est.*

artem abesse legentibus] i. e. legentes sine arte esse, nulla arte uti (*verständen d. Sache nicht*).

in rubro mari] Intelligitur sinus Persicus. v. Nipperdey ad Ann. II, 61.

avelli] sc. conchas margaritorum, sive margarita ipsa.

expulsa sint] sc. vi fluctuum maris sedibus suis.

naturam] Praegnanti sensu est *bonam naturam*, quemadmodum etiam Germani, quum simpliciter dicunt *die Qualität*, intelligunt *die gute Qualität.* Inverso modo c. 7, 3. *ingenium* positum pro *malo ingenio.*

avaritiam] i. e. ardentem ea habendi cupiditatem, ut, si bona essent, nulla difficultas obstaret, quominus illa colligeremus. Ceterum *deesse* per zeugma refertur ad *avaritiam*, ita ut ad hanc vocem cogitetur *abesse.* Nam quae in aliqua re esse *debent*, ea, si non adsunt, ei *deesse* dicuntur; quae in aliqua re esse *possunt*, ea, si non adsunt, *abesse* dicuntur. cf. Cic. Brut. 80, 276. *Hoc unum* (sc. ars permovendi animos) *illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit; si opus erat, defuit.* Naturae igitur bonitas, i. e. candor atquae splendor, si in margaritis Britannicis non est, iis *deest*, quia ad iustam speciem necessario requiritur; avaritia ubi in Romanis non apparet, iis *abest*, quia minime est necessaria; cf. supra §. 3. c. 13, 1.

XIII. 1. *ipsi Britanni*] Per *ipsi* pronomen *terrae* opponuntur *incolae*, ut, quum antea dictum esset, quae *terra* emolumenta Romanis praebeat (*pretium victoriae*), iam adiiciatur, quid ex *incolis* ad illos redeat. Germ. 15, 2. 2, 1.

iniuncta imperii munera] i. e. munera, quae *ab imperantibus* iniunguntur, praestanda. Quae ea munera sint, intelligitur ex c. 31. 2.

obeunt] Germ. *leisten.* — Quoniam neque *delectus* neque *tributa obeuntur*, per zeugma ex hoc verbo ad *delectum* cogitandum est *patiuntur*, ad *tributa* vero *conferunt.*

2 rant, iam domiti ut pareant, nondum ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non 3 tradidisse. Mox bella civilia, et in rem publicam versa principum arma, ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. Con- 4 silium id divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum. Agitasse Gaium Caesarem de intranda Britannia satis constat,

si — absint] Coniunctivo, qui non repetendus est ex mente Britannorum, significatur iniuriarum absentiam valde dubiam ac raram fuisse. — De ipsis iniuriis cf. c. 15. c. 19, 5. et Calgaci orationem c. 30—32.

domiti ut pareant etc.] Quoniam *parere* et *servire* gradu differunt, *domiti* quoque alio modo intelligendum est ad *parere* relatum, alio ad *servire*. Quare supple *eatenus* vel *tantum*. Ceterum notandum asyndeton in sententia adversativa; cf. c. 18, 6. 45, 3.

2. *Igitur*] Hac particula non concluditur aliquid aut consectarium esse dicitur ex praecedentibus, sed absoluta explicatione interposita *transitur ad id, quod auctori fuit propositum*. Quod ut recte intelligatur, tenendum hoc est. Tacitus, quum c. 9, 7. narravit Britanniae praepositum fuisse Agricolam, hoc agit, ut, *qualis eius terrae condicio ante Agricolam fuerit*, planum faciat (cf. c. 18, 1. *Hunc Britanniae statum, has bellorum vices — Agr. invenit*). Huic explicationi *praemittit* quaedam de situ atque forma Britanniae deque maris eam circumfluentis natura (c. 10.). His adiungit pauca de incolarum origine et moribus (c. 11. 12, 1—2.). Denique docet, quae terra pro natura sua proferat, quamque utilitatem Romanis victoribus praebeat (c. 12, 3—6. 13, 1.). His profligatis venit iam ad id, quod huic digressioni ansam dedit, ut, quomodo Romani paulatim in possessionem Britanniae venerint, breviter narret. Eam narrationem, quum proximis verbis (*iam domiti — serviant*) praeparasset, per *igitur* plene ingreditur.

Britanniam ingressus etc.] cf. Caes. B. G. IV, 23—36. V, 8—23.

potest videri] i. e. de Caesaris expeditione ita potest iudicari, eum ostendisse etc.

3. *bella civilia*] sc. exorta sunt.

etiam in pace] sc. quae sub Augusti imperio insecuta est.

consilium — praeceptum] Ita Vat. *A*.; Vat. *Γ*. *consilium — praecipue*. Quippe Augustus dicebat, *posse* se Britanniam subigere, sed *nolle*, quia *non utile* esset; cf. Ann. I, 11, 3. *Addiderat* (in rationario imperii) *consilium coercendi intra terminos imperii;* Tiberius aiebat, *posse* se, sed *non licere* sibi, quia *patris praeceptum* obstaret; simulabat enim primis imperii annis pietatis caussa nunquam se a patris consiliis discedere, cf. Ann. I, 77, 2. IV, 37, 3. *Qui omnia facta dictaque eius vice legis observem.*

4. *agitasse — constat*] cf. Germ. 37, 6. Sueton. Calig. c. 19. *Ut Germaniam et Britanniam, quibus imminebat, — territaret.* ib. c. 44. 46. Dio Cass. LIX, 25.

ni velox ingenio mobili poenitentiae, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor 5 iterati operis, transvectis legionibus auxiliisque et assumpto in partem rerum Vespasiano; quod initium venturae mox fortunae fuit. Domitae gentes, capti reges, et monstratus fatis Vespasianus.

XIV. Consularium primus Aulus Plautius praepositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius; redacta-

ni velox ingenio mobili poenitentiae] Ita Vat. *Γ. ni velox ingenii, mobilis poenitentiae* Vat. *Δ.* Coniunge: *ni velox poenitentiae* (i. e. velox ad poenitentiam) *ingenio mobili* (i. e. propter ingenium mobile, cf. Ann. VI, 45, 4. *Commotus ingenio*, de eodem Caligula). *Ingenium mobile* de inconstantia dicitur; plane eodem modo apud Sall. Iug. 88, 6. legitur *ingenii mobilitate.* Ex sequenti *fuissent* supple *fuisset.* v. ad Sall. Cat. 47, 2. ed. II. ad Hist. Fr. II, 50, 4. p. 163. *Poenitentiae* genitivum esse nemo dubitabit, qui vel exiguam Taciti partem legerit. — De adversativa sententia enuntiati condicionalis v. ad c. 4, 5.

ingentes — conatus] v. Sueton. Calig. c. 43. Germ. c. 37, 5. Hist. IV, 15, 2.

frustra — fuissent] cf. ad Sall. Cat. 20, 2.

5. *auctor iterati operis*] Vat. *Γ. Δ. auctoritate operis.* Vitium, primo neglecto compendio *er* syllabae (ʼ), deinde duobus vocabulis in unum conflatis ortum, correxerunt Wexius et Doederlinus. *Opus* intelligendum de magni moliminis conatu Britanniae invadendae et subigendae. Eum conatum primus ausus est Caesar, *iteravit* Claudius. — *Auctor* h. l. dicitur, qui rem *suscipit ac perficit*, quod patet ex sequentibus *transvectis legionibus* etc. Claudius enim opponitur Caligulae, qui tantummodo *agitaverat* consilium, neque *traiecerat* legiones, sed directa acie in litore oceani dispositas conchas legere iusserat; cf. Sueton. Calig. c. 46.

assumpto — Vespasiano] cf. Hist. III, 44, 2. *Illic secundae legioni a Claudio praepositus et bello clarus egerat.* Suet. Vesp. c. 4. *In Britanniam translatus tricies cum hoste conflixit, duas validissimas gentes superque viginti oppida et insulam Vectem — in ditionem redegit partim Auli Plautii, consularis legati, partim Claudii ipsius ductu.* — De Claudio ipso cf. Suet. Claud. c. 17. Dio Cass. LX, 19.

quod] sc. Vespasianum in partem rerum assumpsisse.

venturae mox fortunae] sc. in subigenda et debellanda Britannia. Vespasianus enim non solum virtute sua effecit, ut Romani firmiter ab eo inde tempore in Britannia consisterent, sed militia Britannica sua impulsus, ubi imperio potitus est, eius terrae subigendae cogitationem non dimisit ex animo, et magnis ducibus Cereali, Frontino, Agricola eo missis (cf. c. 17.) postremo ditionis Romanae fecit.

Domitae gentes] Vat. *Γ. Δ. fuit Domitiae gentis.* Correxit Puteolanus.

monstratus fatis] *Fatis* ablativus

que paulatim in formam provinciae proxima pars Britanniae.
2 Addita insuper veteranorum colonia. Quaedam civitates Cogidumno regi donatae (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit), vetere ac iam pridem recepta populi Romani
3 consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges. Mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. Didium Veranius excepit, isque intra annum

est. Sensus: *a fatis conspicuus redditus est et quasi praesignificatus tum Vespasianus, qui aliquando princeps futurus esset.* Quippe ex eius virtute et strenuis factis, quibus tum omnes superabat, prudentes coniecturam capere poterant, ad summa eum perventurum. Continetur haec sententia magis *fatis* quam *monstratus* voce, quae per se tantum eminentiam quandam indicat; cf. Hist. I, 88, 1. *Dolabella — vetusto nomine et propinquitate Galbae — monstratus.* Germ. 31, 3.

XIV. 1. *A. Plautius*] Britanniae praefuit ab anno 44–47. p. Chr. n.; inde ovans in urbem rediit, teste Tac. Ann. XIII, 32, 2. Suet. Claud. c. 24.

Ostorius Scapula] Legatus fuit praetorius ab anno 47—51; cf. Ann. XII, 31, 1; XII, 35; XII, 39.

veteranorum colonia] cf. c. 16, 1. Ea fuit *Camulodunum* (hodie *Colchester*); cf. Ann. XII, 32, 4. XIV, 31, 4.

2. *vetere — consuetudine, ut haberet*] Vat. *A. Γ. ut, vetere — consuetudine, haberet*, quae scriptura aperte falsa est. Quamquam enim colonia per Ostorium condita fuit, tamen Tacitus de eo et Plautio coniunctim loquitur (*uterque bello egregius*), ceteramque narrationem, neutrius ratione habita, indefinite per passivum (*redacta — addita — donatae*) exsequitur, ut *haberet* nullo pacto ad *Ostorium* subiectum referri possit; et si posset, absonum foret *ipsi* tribui, quod *populi Romani* erat, reges servitutis instrumenta habere. Locum sanavit Rhenanus, *ut* particula in locum suum, unde mota fuit, reposita. Iam verba *vetere — consuetudine* universe caussam afferunt, cur civitates regi donatae sint; enuntiatum autem consecutivum (*ut haberet — reges*), cuius subiectum est *populus Rom.*, ex praecedente casu obliquo assumendum (cf. c. 12, 4. 39, 1.), per epexegesin explicat, qualis illa consuetudo fuerit; cf. annotat. nostr. ad Sall. Iug. 25, 10.

3. *Didius Gallus*] cf. Ann. XII, 40, 4. *Per ministros agere et arcere hostem satis habebat.* XIV, 29, 1. *In Britannia neque A. Didius — nisi parta retinuerat, et successor Veranius modicis excursibus Siluras populatus, quin ultra bellum proferret, morte prohibitus est.* Legatus fuit ab anno 51—57. p. Chr.

aucti officii] i. e. amplioris rerum agendarum atque administrandarum campi (German. *Wirkungskreis*). *Officium* enim de ipsa rerum administratione dicitur; cf. c. 25, 1.

Veranius] Consul fuit a. 50. p. Chr. cf. Ann. XII, 5, 1; legatus a. 58.

extinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas 4
res habuit subactis nationibus firmatisque praesidiis; quorum fiducia Monam insulam, ut vires rebellibus ministrantem, aggressus terga occasioni patefecit.

XV. Namque absentia legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpre-

4. *Suetonius Paulinus*] v. ad c. 5, 1.

biennio] i. e. per biennium; cf. Hist. I, 48, 1. *Piso quatriduo Caesar.*

subactis nationibus etc.] Ablativi non significant *postquam subegit nationes*, sed *eo quod subegit nationes.* Non sunt igitur, qui vulgo dicuntur, absoluti, sed vulgares instrumenti, quod facile senties, si pro *subactis nationibus* substitueris *subactione* (sit venia verbo) *nationum*, etc. cf. c. 22, 1. *Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit vastatis usque ad Tanaum nationibus*, i. e. *vastatione — nationum.*

firmatisque praesidiis] i. e. praesidiis firmis positis. *Firmare* enim non solum significat *id*, *quod iam adest*, *neque satis firmitatis habet*, *prorsus firmum reddere*, sed etiam *novum aliquod firmiter instituere*; cf. c. 35, 1. *Ruentes ita disposuit, ut peditum auxilia — mediam aciem firmarent* (Germ. *ein festes Centrum ausmachten*). Ann. I, 51, 2. *Vicesima legio terga firmavit*, i. e. effecit, ut terga satis firma essent (*bildete einen gesicherten Rücken*).

Monam] Hodie *Anglesea.*

ut — ministrantem] *Ut* quia comparativam vim habet, caussam affert non in facto positam, sed mente tantum et cogitatione conceptam; quare sensus est: quia, *ut dicebat*, vires reb. ministraret. cf. c. 16, 1. 26, 1.

vires] Ita Vat. *Γ. Δ.*; ex Puteolani mutatione multi legunt *viros.*

occasioni] Praegnanti sensu *occasio* est *ex insperato oblata copia aliquid audendi*, quod h. l. intelligas de invadendis et circumveniendis Romanis; cf. c. 18, 1. 24, 1. Germ. 30, 2.

XV. 1. *agitare — mala*] i. e. *disserere mala*, quemadmodum Ann. I, 4, 2. *bona libertatis disserere* legitur. — Ad hoc bene Wexius: „*Agitantur*, quae omnes norunt, *conferuntur*, quae singulis nota cum reliquis communicantur; cf. Liv. III, 34, 4. *Versarent in animis secum unamquamque rem, agitarent deinde sermonibus, atque in medium, quid in quaque re plus minusve esset, conferrent.* Cic. Epp. ad Famm. VI, 21, 5. *Utinam liceat aliquando — inter nos conferre sollicitudines nostras.* ad Attic. I, 20. *Quum erimus congressi, tum, si quid res feret, coram inter nos conferemus.*"

interpretando] i. e. Romanorum malignam iu inferendis iniuriis montem et consilium eruendo.

accendere] sc. *eas.* — *Iniuriae accenduntur*, quum verbis irritantibus efficitur, ut graviores etiam et acriores videantur, quam re vera sunt; cf. Ann. I, 69, 3. *Accendebat haec* (sc. Tiberii suspicionem et odium in Agrippinam) *onerabatque Seianus.* Liv. IV, 58, 11. *Haec sua sponte agitata insuper tribuni plebis accendunt.*

ex facili] i. e. *facile*, more argenteae aetatis ex graeca dicendi consuetudine repetito; cf. Hand. de Particc. Vol. II. p. 653 sqq.

tando accendere. Nihil profici patientia, nisi ut graviora tam-
2 quam ex facili tolerantibus imperentur. Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret. Aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam; alterius manum, centuriones, alterius servos vim et contumelias mi-

Hist. III, 49, 3. *Satisfactum bello ratus, et cetera ex facili.*

2. *e quibus — saeviret*] Relativum enuntiatum non attributivam, sed finalem vim habet, hoc sensu: binos imponi, *eo quidem consilio, ut* ex iis legatus — *saeviret.* Scilicet ita Britanni *interpretabantur*, quo iniurias accenderent.

sanguinem] Germ. *Leib u. Leben;* sc. legatus, cuius erat iurisdictio etiam in caussis capitalibus, ius habebat gladii, sontesque supplicio afficiendi.

procurator in bona] v. ad c. 4, 1.

aeque — aeque] Bis positum *aeque*, quo plane idem atque par utrique subiecto praedicatum additur, non correlativum est, sed per anaphoram repetitum, quae in commotiore oratione copulae locum obtinet; cf. statim post: *nihil — nihil;* §. 6. *qui — qui.* c. 9, 5. *Procul ab — procul.* c. 18, 1. *Hunc Britanniae statum, has bellorum vices — invenit.* §. 6. *qui — qui — qui.* 25, 2. *Quum simul terra, simul mari bellum impelleretur.* Ovid. Met. XII, 36. *Et pariter Phoebes, pariter maris ira recessit.* Apud Hor. Epp. I, 1, 25—26 *aeque* ter repetitum habes.

Alterius manum, centuriones] Ita s Vat. Δ. *alterius manum, centuriones* Vat. Γ. Prius *alterius* pertinet ad *legatum.* Quae dicitur eius *manus* (*Schaar, Dienstpersonal*), sunt milites ex cohortibus delecti et a duce asciti, quibus uteretur accensis ad iussa exsequenda et varia ministeria obeunda. Singulus eorum generibus praeerat *centurio*, pariter ex ceteris delectus. Hanc manum cum centurione suo, *qui quasi a latere ducis essent*, plus sibi sumpsisse adversus subiectos quam ceteros milites, haud absurde coniicias ex Britannorum querelis et odio. De iis intelligendus locus c. 19, 3. *Nec ex commendatione aut precibus centurionem, milites ascire, sed optimum quemque fidissimum putare.* Qui ibi dicuntur *milites*, nostro loco *manus* vocantur. Neque offendendum in asyndeto duarum vocum, quod haud infrequens est, ubi utrumque vocabulum ad eandem rem pertinet; cf. c. 11, 2. *Rutilae comae, magni artus Germanicam originem asseverant.* ib. §. 4. *Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasiones.* 12, 5. *Solum — patiens frugum, fecundum.* 15, 5. *Plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse.* 25, 4. Ann. XIV, 31, 4. *Exturbabant agris captivos, servos appellando.*

alterius servos] *Alterius* est *procuratoris.* Eius ministri ad cogenda vectigalia fisco debita *servi* vocantur, sive quia plerumque servi erant, sive etiam contemptus caussa, quod ne milites quidem essent.

vim et contumeliam miscere] i. e. utrosque et vim et contumeliam exercere. Germ. *verübten durcheinander.*

exceptum] Germanice *entrückt.* Sensus est: nihil esse, quod cupiditas et libido *non attingat.*

scere. Nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. In proe- 3
lio fortiorem esse, qui spoliet; nunc ab ignavis plerumque et
imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi delectus,
tamquam mori tantum pro patria nescientibus. Quantulum
enim transisse militum, si sese Britanni numerent? Sic Ger- 4
manias excussisse iugum, et flumine, non oceano defendi;
sibi patriam, coniuges, parentes, illis avaritiam et luxuriam
caussas belli esse. Recessuros, ut divus Iulius recessisset, 5
modo virtutem maiorum suorum aemularentur. Neve proelii

3. *In proelio — spoliet*] Nimia brevitate significata potius quam explicata est sententia, quae plene sic se habet: spoliari miserum esse; si quis vero in proelio spolietur, quia fortiori succubuerit, id ferendum esse; at nunc ab ignavis — eripi domos, quod non esse ferendum.

nunc] v. ad c. 1, 4.

ab ignavis — et imbellibus] Ita cum contemptu dicuntur *veterani* in Camuloduno colonia. Similiter Calgacus loquitur c. 32, 6. *Vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et iniuste imperantes aegra mancipia et discordantia.*

eripi domos] cf. Ann. XIV, 31, 4. *In coloniam Camulodunum recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris.*

tanquam mori tantum — nescientibus] Imperfecta sententia, quam ex opposito sic expleas: „tanquam *alia omnia pati parati essent*, solam mortem ob ignaviam refugerent.“ Scilicet qui *mori pro patria sciunt*, tantas contumelias non perferunt.

Quantulum enim etc.] *Quantulum* Vat. *Γ. Δ.*, non *quantum*, ut in edd. est. cf. Germ. 28, 1. — *Enim* refertur ad supplendam sententiam talem: *non ita esse; non recusare se pro patria depugnare, nec eventum defuturum.* v. ad Sall. Cat. 52, 34. ed. II. Cui cogitationi iam subiicitur: *Quam exiguum enim esse numerum* Romanorum, qui ex continenti in insulam transierint.

si sese Britanni numerent] i. e. si reputare velint, quantum ipsi numerum, in unum coniuncti, efficiant.

4. *sic*] sc. coniunctis viribus.

Germanias] Quia Tacitus Britannos hyperbolice loquentes facit, ex trito sui temporis usu (cf. c. 28, 1. Hist. I, 49, 4.) plurali utitur, quamquam tantummodo inferioris Germaniae pars intelligitur.

et flumine — defendi] Quia flumen minus hostes arcet quam oceanus, sensus enuntiati per *et* adiuncti est: *quamquam minore praesidio* fluminis quam oceani defendantur; vel: *quamquam* flumine *modo*, non oceano defendantur.

illis] i. e. *hostibus*; cf. 32, 1.

caussas belli esse] cf. c. 32, 3.

5. *divus Iulius*] Solitam Romanis appellationem *divi* Tacitus etiam Britannis tribuit, in referenda eorum oratione suam personam illorum cogitationibus immiscens. Alii reconditius quiddam quaerentes Iulium a Britannis cum acerba cavillatione *divum* vocari volunt, coll. Ann. I, 59, 4, qui locus sane totus ad cavillationem compositus est, noster non item.

aemularentur] Transitur tacite in aliud subiectum.

Neve] Huius particulae ratio eo constat, quod praecedens concessi-

unius aut alterius eventu pavescerent; plus impetus, maiorem
6 constantiam penes miseros esse. Iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent; iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare. Porro in eiusmodi consiliis periculosius esse deprehendi quam audere.

XVI. His atque talibus invicem instincti, Boudicca, generis regii femina, duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum; ac sparsos per castella mi-

vum enuntiatum *adhortationis* vim habet, cui novum idque dehortans consilium adiicitur.

eventu] Praegnanti sensu est *improspero eventu;* cf. c. 29, 3.

impetus etc.] i. e. agendi vigor, *Energie;* cf. c. 44, 2. — *Penes*, quod significat aliquid alicuius proprium esse, h. l. Germ. est *auf Seiten.* — Sententia ipsa elata est per imperfectam comparationem, cuius omissum membrum sic expleas: *quam penes superbos dominos.* Ceterum nota asyndeton in sententia caussali; his enim verbis caussa affertur, cur non pavescerent.

6. *Iam*] Haec particula mutatum rerum statum indicat tali fere sensu: post longum miseriarum tempus *eo iam ventum*, ut etiam dii misereantur, etc. v. ad Germ. 15, 3.

relegatum] Ita dicitur, cui ex aliquo loco discedere vel redire non licet, germ. *gebannt* (non *verbannt*); cf. Caes. B. G. V, 30, 3. *Nec reiecti et relegati longe ab ceteris — intereant.* Cic. Tusc. II, 8, 20. *Saeva terris gens relegata ultimis.* infra c. 23, 2. *Summotis velut in aliam insulam hostibus.*

quod difficillimum fuerit] Quum quia Romani prohibebant, dum aderant, tum quia ipsis Britannis „rarus ad propulsandum commune periculum conventus," ut ait Tacitus c. 12, 2.

porro] Hac particula ad id, quod primum est, adiungitur alterum; sensu igitur parum differt ab formula *ad hoc;* cf. c. 31, 4. *Neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus.* cf. Germ. 44, 4. Dial. 23, 4.

consiliis] *Consilia* h. l. non sunt *captae sententiae* (Pläne), sed *consultationes, deliberationes.*

periculosius esse deprehendi] sc. secundum illud Muciani dictum in Hist. II, 77, 4. *Qui deliberant, desciverunt;* i. e. iam descivisse putantur, iam pro rebellibus habentur.

audere] Absolute dictum h. l. valet: facinus magnum atque arduum suscipere et aggredi; cf. Hist. I, 60, 3. IV, 57, 4. Sall. Hist. Fr. I, 49, 20. IV, 20, 20.

XVI. 1. *instincti*] Reflexive dictum valet *quum se instinxissent;* cf. Hist. IV, 24, 4. *His inter se vocibus instinctos flammavere insuper allatae a Vespasiano litterae.*

Boudicca] Vat. *Γ. Voadicca;* Vat. *Δ. Voaduca.* Forma nominis non satis certa. Apud Dion Cass. LXII, 4. est *Βουνδουίκα;* in Tac. Ann. XIV, 31, 2 in cod. Med. *Boodicia;* ibid. c. 35, 2. *Bouducea.* Quod scripsimus, praeivit Haasius.

neque enim] Vat. *Δ. nec enim.*

sumpsere — bellum] v. ad Sall. Hist. Fr. IV, 19, 5. p. 315. — D

lites consectati, expugnatis praesidiis ipsam coloniam invasere ut sedem servitutis. Nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria. Quod nisi Paulinus cognito provin- 2
ciae motu propere subvenisset, amissa Britannia foret; quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus

hac Britannorum defectione egit Tac. Ann. XIV, 31—39.

consectati] i. e. quaerentes ac petentes (Germ. *Jagd machend auf*); cf. Caes. B. G. VI, 35, 8. *Quid vos hanc miseram ac tenuem sectamini praedam?*

coloniam] Camulodunum; cf. Ann. XIV, 31, 32.

ut sedem] i. e. quae *eorum opinione* sedes erat; v. ad c. 14, 4.

in barbaris] Haec verba vi *attributi* pertinent ad *saevitiae genus*, quod grammatice sic solvendum: *quod in barbaris est*, = *barbaricum* sive *barbarorum*. Si sensum modo respicis, licet supplere *usitatum, solitum*. — De re ipsa cf. Ann. XIV, 33, 4. *Caedes, patibula, ignes, cruces — festinabant.*

ira et victoria] Abstractum pro concreto, ut saepissime; cf. c. 20, 2. Ceterum *ira et victoria* non per hendiadyn dictum pro *irati victores*, sed utrumque per se constat. Potissima enim crudelitatis caussa fuit *ira;* eam adiuvabat accedens *victoria*. Quare sensus est: nihil — omiserant *irati*, et ad hoc *victores*.

2. *subvenisset*] v. Ann. XIV, 33.

veteri patientiae restituit] Insignis verborum brevitas hanc habet sententiam: rursus in veterem obedientiam redegit, ut imperium Romanum ac mala sua patienter ferrent.

tenentibus arma plerisque] Ablativi absoll. vim habent enuntiati concessivi: quamquam plerique (i. e. *permulti*, v. ad c. 1, 3.) arma adhuc tenebant. Quo quum praecedens sententia restringatur, licet etiam sic nexum explicare: veteri patientiae restituit, *ita tamen, ut* plerique arma adhuc tenerent, quos etc.

conscientia] sc. *mala;* cf. 39, 2. 42, 3.

proprius — timor] Vat. *Γ. Δ. propius — timor*, quod nihili est, quamvis ferendum foret *propior — timor*. Recte emendavit locum Rhenanus *proprius* reponendo pro *propius*, quarum vocum confusione nihil est in codd. frequentius. *Proprium alicui* quum dicatur, quod non ad omnes communiter, sed ad unum peculiariter pertinet (Germ. *speciell, persönlich*), *proprius ex legato timor* est, qui, quia *offenderant legati personam, ipsos prae ceteris*, tanquam maiorem poenam meritos, *exagitabat*. cf. Ann. XV, 64, 1. *Nero nullo in Paulinam proprio odio*. Hist. III, 45, 1. *Venutius super insitam ferociam et Romani nominis odium propriis in Cartimanduam reginam stimulis accendebatur*. IV, 7, 1. *Marcelli studium proprius rubor excitabat*. Plin. Paneg, 90, 2. *Malos principes rectius est ex communibus iniuriis odisse, quam propriis.*

ne (*quamquam egregius cetera*) *arroganter* etc.] Vat. *Γ. Δ. nequaquam*, i. e. *nequamquam*. Puteolanus, quem edd. vulgg. sequuntur, e coniectura dedit: *Hic quum egr. cet. arroganter*. — Codicum scriptura sanissima; enuntiatum enim per *ne* additum epexegesis est, qua verba *timor agitabat* illustrantur. — Wexius pro *ne* scripsit *ni*.

quamquam egregius cetera] Haec

arma plerisque, quos conscientia defectionis et proprius ex legato timor agitabat, ne (quamquam egregius cetera) arroganter in deditos, et, ut suae cuiusque iniuriae ultor, durius
3 consuleret. Missus igitur Petronius Turpilianus tamquam exorabilior. Et delictis hostium novus eoque poenitentiae mitior

ipsius Taciti de Suetonio continent iudicium, narrationi in parenthesi interpositum, quo Britannorum in illum crimina concedit quidem, sed ipsum excusat.

in deditos] Quoniam intelliguntur qui *arma adhuc tenebant*, sensus participii est: *in se, si sese dedidissent.*

ut suae cuiusque iniuriae] Vat. Γ. Δ. *ut suae eiusque iniuriae.* Vulgo editur ex Puteolani coniectura *ut suae quoque iniuriae.* — *Cuiusque* certa Wexii emendatio est, sed variam eamque incertam habet explicationem, prout *suae* vel ad legatum retuleris, vel cum *cuiusque* coniunxeris. Nam quum recte dicatur *meam cuiusque iniuriam ulciscor*, primum verba significare possunt: *utpote* qui ultor esset iniuriae *a quoque sibi illatae.* Tum coniunctis pronominibus hic exsistit sensus: *utpote* qui ultor esset iniuriae, *quam quisque suam haberet*, i. e. quae *cuiusque propria* esset. Praeterea duae aliae rationes supersunt, si *ut* ad *suae* pertinere statueris; tum enim sensus esse potest: *tanquam suam* ulciscens *a quoque factam* iniuriam; aut: *tanquam suam* ulciscens *quamque iniuriam.* Ex his quattuor ut primam explicationem praeferam, permoveor hoc, quod aperte his verbis caussa continetur, cur nonnullis *proprius* esset *ex legato timor.*

3. *Missus igitur Petronius*] Ita Vat. Γ. Δ.; *igitur* omisit Beroaldus et sequentes editores. Sensus particulae est: *quae quum ita essent*, sc. ut propter timorem Suetonii ab armis discedere cunctarentur. Vulgo totus locus sic scribebatur: „Quam unius proelii — restituit; tenentibus arma — proprius ex legato timor agitabat. Hic quum egregius cetera — durius consuleret, missus Petronius — exorabilior, et delictis" etc. De *Petronio Turpiliano*, qui ab anno 62—64. legatus fuit, cf. Ann. XIV, 39, 3. Hist. I, 6, 1.

Et delictis etc.] In plerisque, etiam recentioribus, edd. post *exorabilior* vel nulla vel commatis modo interpunctio est, quo quum *missus* in participium transformetur, vis enuntiati unice vergit in *tradidit* praedicatum, quae sententiae ratio praecedentibus minime convenit. Necessarium enim est, ut *missus* sit iustum praedicatum, quo non obiter, sed plene indicetur successum esse Suetonio, rebus ita postulantibus, quo cessaret provinciae status dubius. Per *et* autem additur eventus praecedentis enuntiati; cf. Hist. I, 48, 3. *Servili deinceps probro respersus est tamquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus; et Claudius postera die soli omnium Vinio fictilibus ministrari iussit.* Ann. II, 28, 3. *Statim corripit reum, adit consules, senatus cognitionem poscit. Et vocantur patres* etc. II, 69, 3. *Saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti. Et reperiebantur — carmina et devotiones* etc. v. etiam annot. ad c. 10, 3.

delictis hostium novus] i. e. delicta hostium non ante expertus ipse.

poenitentiae] i. e. poenitentibus; cf. ad §. 1. 44, 4. 45, 5.

compositis prioribus nihil ultra ausus Trebellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius segnior et nullis castrorum ex- 4
perimentis comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicere iam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus, et interventus civilium armorum praebuit iustam segnitiae excusationem. Sed discordia laboratum, quum assuetus expe- 5
ditionibus miles otio lasciviret. Trebellius, fuga ac latebris vitata exercitus ira indecorus atque humilis, precario mox

compositis prioribus] *Priora* (die vorhergehenden Zustände) sunt *turbidae adhuc et male pacatae res sub Suetonio Paulino.*

Trebellio Maximo] Britanniae praefuit ab anno 64—69. cf. Hist. I, 60.

4. *nullis castrorum experimentis*] Ablativi sunt qualitatis hoc sensu: qui nullum castrorum, i. e. armorum atque pugnarum, experimentum faceret, qui nullas expeditiones facere auderet.

curandi] *Curare* absolute positum et de re militari (v. ad Sall. Cat. 59, 3. Iug. 100, 2.) et de administranda re publica ita dicitur, ut sit *officia obire*, quae h. l. cernuntur in regenda provincia: cf. Ann. XI, 22, 3. *Duo additi* (*quaestores*), *qui Romae curarent.*

iam] v. ad Germ. 15, 3.

ignoscere vitiis blandientibus] i. e. *leniter ferre et adeo amare vitia*, quorum dulcedine paulatim alliciebantur. *Ignoscere vitiis* (dativus est, non ablat.), atque adeo *ridere vitia* (cf. Germ. 19, 2.) adhuc *Romanorum* modo fuerat in urbe corruptissima degentium; iam *barbari quoque* discebant. cf. c. 21, 3. *Paulatim discessum ad delenimenta vitiorum.*

civilium armorum] sc. inter Galbam, Othonem, Vitellium et Vespasianum, a. 69. p. Chr.

segnitiae] sc. ducis Romani expeditiones vitantis, quippe qui caussaretur non simul civili et externo bello in discrimen dandum esse imperium.

5. *discordia*] sc. in ipso exercitu Romano, et maxime inter ipsum Trebellium et Roscium Caelium legatum vicesimae legionis; cf. Hist. I, 60. supra c. 7, 3. Omnino *discordia, discors, discordare* de seditioso milite dicitur; cf. c. 31, 6. Ann. I. 38, 1. III. 40, 3.

lasciviret] Germ. *Unfug trieb.*

vitata exercitus ira] Non est ablat. absol., sed caussalis, pertinens ad verba *indecorus atque humilis*, atque ipse rursus pendens ex ablativis instrumenti. Sic enim se habet sententia: *ex vitata* per fugam ac latebras *exercitus ira indecorus atque humilis.* cf. §. 6. *nullis delictis invisus.*

indecorus] Vat. *Γ. Δ. indecoris*, forma nimis suspecta et nusquam alias a Tacito usurpata. *Indecorus* dedit Puteol.

precario — praefuit] i. e. precibus modo imperium, quod iure et potestate habebat, obtinuit, non diutius obtenturus, quam militibus placeret; cf. Hist. I, 52, 4. *Pvecarium seni imperium et brevi transiturum.*

ac velut pacti] sc. *sunt.* — Per *ac* additur sententia, qua priora plenius illustrantur. Vulgo ante *ac* semicolo interpungitur, post *salutem* commate.

salutem] i. e. vitam (Germ. *persönliche Sicherheit*). cf. Caes. B. G. I, 42, 5. *Neque salutem suam Gallorum equitatui committere audebat.*

praefuit, ac velut pacti exercitus licentiam, dux salutem; et
6 seditio sine sanguine stetit. Nec Vettius Bolanus, manentibus adhuc civilibus bellis, agitavit Britanniam disciplina. Eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum, nisi quod innocens Bolanus et nullis delictis invisus caritatem paraverat loco auctoritatis.

XVII. Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam recuperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta

et seditio sine sanguine stetit] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *haec seditio* etc. ex Puteolani mutatione. Sensus codicum scripturae hic est: et seditio ad sanguinem *non est progressa.* Quippe *stare* h. l. non significat in *statione esse*, sed ad *stationem pervenire, subsistere;* cf. Ann. XII, 22, 3: *Unde vis Agrippinae citra ultima stetit.* Hist. IV, 67, 4. *Sequanorum prospera acie belli impetus stetit.* Plin. Epp. V, 12, 3. *Nescit semel incitata liberalitas stare.* Eodem sensu dicitur *consistere;* cf. Cic. de Orat. I, 1, 1. *Si infinitus forensium rerum labor et ambitionis occupatio decursu honorum etiam aetatis flexu constitisset* (*zum Stehen gekommen wäre*). — Addidit haec Tacitus, quo *effectum* rerum praecedentium indicaret, cui nexui *et* inservit; cf. c. 17, 1.

6. *Vettius Bolanus*] Britanniae praefuit a. 70. p. Chr. Sub eo Agricola legatus vicesimae legionis fuit; cf. c. 8, 1.

agitavit — disciplina] Respicitur *agitavit* verbo ad otium et quietem, qua Britanni per aliquot annos sub Trebellio fruebantur, quamque dux Romanus neque expeditionibus susceptis neque aggrediendis vexandisque hostibus interrumpebat. *Agitare* igitur valet *exercere, vexare,* vel *nihil quietum pati*, ut Tac. loquitur c. 20, 2. (germ. *in Bewegung setzen*, *zusetzen*). Illa autem quies Britanniae quum neglecta ac paene soluta Romanorum disciplina effecta esset, *disciplinâ agitavit* significat: ita agitavit, *ut poscebat iusta rei militaris disciplina;* vel: *agitavit disciplina restituta.*

Eadem — similis] sc. ut antea sub Trebellio. De structura v. ad c. 9, 3.

erga hostes] Germ. *den Feinden gegenüber;* v. ad c. 5, 4.

castrorum] i. e. militum, qui in castris agebant. — De abrupta enuntiati forma v. ad c. 9, 3.

nisi quod etc.] Per has particulas adiungitur enuntiatum, quo ex supplenda sententia aliquid excipitur; supplendum autem hoc est: *ut uterque legatus summa vituperatione dignus esset.* v. ad c. 6, 2.

innocens] *Innocentia* quum sit abstinentia ab opibus alienis (v. ad Sall. Cat. 12, 1. Iug. 46, 1.), *innocens* dicitur Bolanus, qui *non foedus esset avaritia et sordibus*, qualis Trebellius fuit teste Tacito Hist. I, 60, 1. 2.

nullis delictis invisus] Negatio pertinet ad praedicatum; sensus enim est: *qui non invisus esset ullis delictis.* cf. c. 39, 1. *Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum iactantia — auctum, — anxius excepit.*

XVII. 1. *recuperavit*] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *reciperavit;* cf. c. 5, 4. Verbo hoc significatur: ubi Vesp. et ceteras imperii Rom. partes, quae bello civili disiunctae fuerant, et Britanniam *rursus in unum reduxit.*

magni duces] sc. ibi fuerunt; v. ad c. 9, 3.

hostium spes. Et terrorem statim intulit Petilius Cerialis, Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, aggressus. Multa proelia, et aliquando non in- [2] cruenta; magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. Et Cerialis quidem alterius successoris curam [3] famamque obruisset ****: sustinuitque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat, validamque et pugnacem

Petilius Cerialis] Britanniam obtinuit a. 71. De eo v. ad c. 8, 2.

2. *multa proelia*] v. ad c. 9, 3.
aliquando] v. ad c. 9, 7.
aut victoria amplexus est aut bello] i. e. aut victam obtinuit, aut bello percurrit et vastavit.

3. *Et Cerialis*] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo ex Puteolani mutatione *et quum Cerialis.*
alterius successoris] *Alter* quum sit, qui primum sequitur, *alter successor* est *secundus a Ceriali*, qui fuit Agricola; Frontinus enim *primus* fuerat.
curam famamque obruisset] Quae *obruuntur* aliqua re, ita maiore mole obteguntur, ut aspectui erepta prorsus evanescant; cf. c. 46, 6. *Multos veterum — oblivio obruit.* Cic. de Orat. I, 25, 116. *Ita quicquid est, in quo offenditur, id etiam illa, quae laudanda sunt, obruit.* Quare sensus est: successoris curam famamque obscurasset, i. e. copiam rerum agendarum famaeque parandae ita ei eripuisset, ut neque multum haberet, in quo curam suam ostenderet, neque eâ famam assequeretur. Coniunctivus pendet ex omisso enuntiatio. Excidit enim in antiquiore codice totus versus, cuius haec fere fuit sententia: *nisi immaturo fato obiisset*, vel, ut Wexio placet: *sed subito in medio cursu exstinctus est.* Quo tempore id factum sit, constitui nequit; hoc tamen certum videtur primis legationis annis mortuum esse, quum ingens certamen ingressus quidem esset, sed nondum confecisset.
sustinuitque molem] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo ex Puteolani mutatione *sustinuit quoque molem.* — Quum Frontinus in media Cerialis consilia ferventia coniectus omnia periculi plena et aspera invenisset, haud parva eius laus est, quod in tantis angustiis non succubuit, sed inconcussus id effecit, ut Romani detrimentum non acciperent. Hoc ipsum verbis *sustinuit molem* significatur, neque aliam ob caussam *vir magnus* dicitur. *Moles* autem h. l. dictum de *belli magnitudine et difficultate;* cf. Ann. I, 45, 1. *Sic compositis praesentibus haud minor moles supererat.* III, 43, 1. Hist. III, 46, 3. *Ne externa moles utrinque ingrueret.* II, 6, 1. II, 16, 1. Aliis locis *belli moles* dicitur de *magnis belli copiis*, de quo cf. Kiessling. ad Hist. I, 61, 2. Ann. I, 36, 1.
quantum licebat] Errant, qui haec verba referunt ad *vir magnus*, quasi etiam sub Vespasiano tempora virtutibus tam infesta fuerint, quam sub Claudio et Nerone ac postea sub Domitiano, ut viris magnis ingenium exserere non liceret. Aperte huic sententiae repugnat huius capitis initium, ubi *magni duces, egregii exercitus* ad laudem Vespasiani referuntur, repugnat laus Ceriali ob insignem virtutem tributa, repugnat etiam ipsius Agricolae exemplum, quem, quia egregium cognoverat, et magnum virum in Britannia fore confidebat, huic terrae

Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus.

XVIII. Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media iam aestate transgressus Agricola invenit, quum et milites velut omissa expeditione ad securitatem, et hostes ad occa-
2 sionem verterentur. Ordovicum civitas haud multo ante adventum eius alam in finibus suis agentem prope universam

praeposuit Vespasianus. Quare verba utique coniungi debent cum *sustinuit;* scilicet in summis undique ingruentibus periculis tam fortem acremque operam rebus Romanis tuendis praestitit, *quantum rerum status difficilis permittebat.* Quum Cerialis, morte non interceptus, ad summa fuisset *progressurus*, Frontinus certe non est *retrogressus.* — Loci veram rationem primus monstravit et expedivit Wexius.

Iulius Frontinus] De eo cf. Plin. Epp. IV, 8, 3. *Mihi vero etiam illud gratulatione videtur dignum, quod successi* (in auguratu) *Iulio Frontino principi viro.* ib. IX, 19, 6. *Frontinus vetuit exstrui monimentum; sed quibus verbis? Impensa monimenti supervacua est; memoria nostri durabit, si vita meruimus.* Exstant etiamnum eius libri de Aquaeductibus et de Strategematis.

super virtutem hostium] Haec non continuo pendent ex *eluctatus*, sed vim habent adverbialis dictionis, cum ellipsi coniunctae. Sensus enim est: *praeter quam quod cum virtute hostium luctabatur*, vel: *si discesseris a virtute hostium, quam eluctabatur.* cf. Ann. I, 59, 1. *Arminium super insitam violentiam* (sc. quae eum vecordem agebat) *rapta uxor — vecordem agebant.* XV, 72, 2. Hist. I, 51, 5. II, 30, 3. III, 45, 1. Idem usus est *praeter* particulae, de quo v. annotata nostra ad Sall. Cat. 47, 2. ed. II.

locorum quoque] Ita Vat. Γ. *locorumque* Vat. Δ.

eluctatus] i. e. *cum magna contentione vincens*, eoque ex difficultatibus obiectis se emergens (Germ. *sich durcharbeitend*); cf. Hist. III, 59, 2. *Vix quieto agmine nives eluctantibus patuit, quantum discriminis adeundum foret.*

XVIII. 1. *Hunc — has*] v. ad c. 15, 2.

media iam aestate] Haec plenae enuntiationis vim habent: *quum iam media esset aestas*, quo significatur serum id tempus fuisse.

velut omissa expeditione] sc. *hoc anno.* Sensus est: *quasi nihil hoc anno gereretur.*

verterentur] Ita Vat. Δ. *uterentur* Vat. Γ., omisso vel neglecto *er* syllabae compendio (ů). *Verti ad aliq. rem* est omissa ea re, quae nobis agenda est, ad aliam animum intendere; milites enim pugnandi studio omisso quaerebant, quomodo securitate fruerentur, hostes, pacis servandae negligentes quomodo occasionem rei gerendae invenirent; cf. Ann. XIV, 38, 2. *Omni aetate ad bellum versa.*

ad occasionem] v. ad c. 14, 4.

2. *agentem*] *Agere* dicuntur milites, qui aliquo loco *collocati sunt, ibique versantur et castra habent* (Germ. *stehen*); cf. Hist. I, 74, 2. *Otho — legatos ad eas quae Lugduni agebant, copias misit.* Ann. II, 17, 3. *Quidam agnitum a Chaucis inter auxilia Romana agentibus — tradiderunt.*

obtriverat, eoque initio erecta provincia; et quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, ac recentis legati animum opperiri, quum Agricola, quamquam transvecta aestas, sparsi 3 per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini sta-

obtriverat] i. e. subito impetu deleverat; cf. Ann. XV, 11, 1. *Vologeses — legionarios obtrivit.* Hist. IV, 76, 1.

eoque initio] Ablat. est caussalis pariter atque instrumenti.

erecta] i. e. *excitata est* (Germ. *gerieth in Aufregung*); v. ad c. 5, 3. *Erectis* opponuntur *sedata, composita, quieta*; cf. Ann. XIV, 57, 2. *Erectas Gallias ad nomen dictatorium.* Hist. II, 8, 3. *Multis ad celebritatem nominis erectis rerum novarum cupidine et odio praesentium.*

et quibus bellum volentibus erat] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *ut quibus — erat*, ex Puteolani mutatione. — Sensus est: et qui bellum volebant; cf. Ann. I, 59, 1. *Ut quibusque bellum inhibitis aut cupientibus erat.* Hist. III, 43, 2. et v. annotata nostra ad Sall. Iug. 84, 3. — Ceterum *bellum volentes* non sunt ex Ordovicibus (nam hi universi iam erecti erant), sed intelligendae sunt aliae gentes, illis vicinae.

exemplum] sc. seditionis, ab Ordovicibus editum.

ac recentis — opperiri] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *aut recentis — opperiri*, ex Puteolani mutatione. Qui probabant exemplum, simul exspectabant, qualis legatus, *qui modo advenerat*, futurus esset, parati ad erumpendum, si ille segnis et ignavus videretur, quieturi, si strenuum se ostenderet.

3. *quum Agricola*] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *opperiri. Tum Agricola*, ex Puteolani mutatione. — Apodosis praecedentium incipit a *quum* particula; totius enim loci haec conformatio est: Ordovices rebellionem iam coeptaverant, et aliae gentes ad eorum exemplum imitandum inclinabant, *quum Agricola — ire obviam discrimini statuit.*

transvecta] Insolentius verbum pro *praeterlapsa* (Germ. *vorüber gezogen*); cf. Hist. II, 76, 4. *Abiit iam et transvectum est tempus.*

numeri] Generale nomen pro cohortibus, manipulis, turmis, quod imperatorum aetate in usum venit; cf. Hist. I, 6, 3. I, 87, 1. Plin. Epp. X, 38, 2. Suet. Vesp. c. 6. Haud male Rothius vertit *die Heerestheile.*

praesumpta] sc. *animo et cogitatione;* quippe quum adhuc laborum tempus esset, nihil iam illi cogitabant quam quietem; cf. Ann. XI, 7, 1. *Quem illum tanta superbia esse, ut aeternitatem famae spe praesumat?* Caes. B. C. III, 87, 7. *Ac iam animo victoriam praecipiebant.*

tarda, et contraria etc.] Quum *transvecta — sparsi — praesumpta* non participia, sed plena praedicata sint, *erat* verbo omisso, ad haec tria enuntiata *tarda et contraria* appositio pertinet, i. e. *quae omnia tarda et contraria sunt. Tardum* autem sensu activo est *quod tarditatem affert.*

custodiri suspecta] i. e. contineri ea (= eas gentes), quae animum ad deficiendum pronum ostenderent. — Infinitivus subiectum est, *potius vid.* praedicatum.

4 tuit; contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, 5 erexit aciem. Caesaque prope universa gente, non ignarus instandum famae, ac, prout prima cessissent, terrorem ceteris fore, Monam insulam, cuius possessione revocatum Paulinum

4. *contractisque*] *Que* h. l. consecutivam vim habet, h. e. non simpliciter coniungit res varias, sed annectit ea, quae ex praecedentibus tanquam ex caussa prodierunt; v. ad c. 12, 4. 25, 4. Germ. 6, 8.

legionum vexillis] Iidem sunt, qui paulo ante dicebantur *sparsi per provinciam numeri*, sive cohortes (Ann. XIV, 38, 1. *cohortes alaeque novis hibernaculis locatae*), sive manipuli (Ann. I, 20, 1. *manipuli — Nauportum missi — vexilla convellunt*). Tales numeri a vexillo, *sub quo mittuntur* (cf. Caes. B. G. VI, 36, 3. VI, 40, 3.), ipsi *vexilla* nominantur; cf. Ann. II, 78, 2. *Piso — vexillum tironum in Syriam euntium intercipit.* Hist. II, 11, 3. *equitum vexilla.* I, 70, 3. *praemissis — Germanorum vexillis.* I, 53, 3. *vexillis inferioris Germaniae praeventus erat.* WEXIUS.

degredi] Vat. *Γ. Δ. digredi.* Correxit Acidalius; cf. c. 37, 1.

erexit] i. e. in montem subduxit; cf. c. 36, 2. *Erigere in colles aciem coepere.* Hist. IV, 71, 5. Liv. I, 27, 6. III, 18, 7.

5. *instandum famae*] i. e. famâ secundâ per victoriam adeptâ, cetera celeriter aggredienda et persequenda esse; cf. Hist. III, 52, 2. *Mucianus — ad Primum scriptitabat, instandum coeptis.* V, 15, 4. *Civilis instare fortunae.*

terrorem ceteris fore] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *fore universa*, ex Puteolani mutatione. — *Ceteris* dativus masculini est, sententia vero non generalis, ut Hist. II, 20, 3. Ann. XII, 31, 2., sed ad rem praesentem accommodata; hoc enim dicit Tacitus: *atque ex prospero primae pugnae in Ordovices eventu ceteris Britannis terrorem venturum.* Insolenter autem *prout* non duplicem eamque incertam, sed *unam* ac certam rationem inter duas res designat, siquidem non *vel* prospera *vel* mala initia comparantur cum successu *vel* prospero *vel* malo, sed ex iam facto prospero initio coniectura capitur de ulteriore prospero successu. Quare *prout* etc. germanice non est: *je nachdem der erste Erfolg sein würde* (ut Germ. 3, 2. *Terrent trepidantve, prout sonuit acies*), sed: *nach Maassgabe des factischen ersten Erfolges.* Ex quo patet *prout* h. l. significare *pro eo ut* (im Verhältniss zu dem, wie), quae primitiva est particulae potestas. Similiter apud Ciceronem legitur Epp. ad Famm. III, 3, 6. *Equidem pro eo quanti te facio quicquid feceris approbabo.*

cuius possessione revocatum] i. e. *a qua occupanda revocatum. Possessio* enim (*die Besitznahme*) h. l. descendit a *possido;* cf. Ann. II, 5, 3. *Si mare intretur, promptam ipsis possessionem.* Germ. 20, 5. — *Revocatum*, i. e. *abstractum*, cum ablativo iunctum nihil habet offensionis, analogia verborum *prohibendi* atque *separandi* eam structuram satis excusante; cf. Ann. II, 5, 1. *Tiberio haud ingratum accidit turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret.*

rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. Sed, ut in dubiis consiliis, naves 6
deerant; ratio et constantia ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt, ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare exspectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace ac dedita 7

6. *ut in dubiis consiliis*] *Dubia* sunt consilia, ubi nondum satis constat, quae ineantur. Agricola autem, *quum in Britanniam venit*, non statim de Mona expugnanda cogitabat, neque poterat cogitare, sed eventu demum motus animum in id intendit. *Certum igitur ab initio consilium non secutus* naves ad traiiciendum non praeparaverat. — De *ut* particula, qua caussa affertur ex rerum peculiari natura et condicione ducta, v. ad c. 11, 1. Hist. I, 55, 4. *Quibusdam, ut in tumultu, notabilius turbantibus.*

ratio et constantia] *Ratio* eius est, qui omnibus prudenter consideratis viam agendi invenit, *constantia* eius, qui difficultatibus non deterretur; v. ad c. 36, 1. — Ceterum nota asyndeton in sententia adversativa; cf. c. 13, 1.

transvexit] Vat. *Γ. tranvex̃.* Vat. *Δ. tranare extra.* Verum eruit Puteolanus. Supple autem *milites.*

lectissimos auxiliarium] Haud dubie intelligendi sunt Batavi, quos in exercitu habebat Agricola, ut patet ex c. 36, 1; cf. Hist. IV, 12, 3. *Batavi — auctâ per Britanniam gloriâ transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. Erat et domi delectus eques praecipuo nandi studio arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere.* Ann. II, 8, 2. *Batavi — dum insultant aquis artemque nandi ostentant, turbati.*

nota vada] Non intelligenda sunt vada inter Britanniam et Monam, sed *vada in universum*, illis *non insolita* ob parem patriae naturam. Hist. IV, 12, 2. *Batavi — insulam inter vada sitam, occupavere.*

patrius] Vat. *Γ. Δ. prius*, quod inde a Puteol. recte habuerunt pro compendio *patrius* vocis. Wexius edidit *proprius.* — *Patrius* est *a maioribus traditus, eoque in patria usitatus.* Quo differat hic usus a vulgari, sequentibus illustratur.

qui classem — exspectabant] Proprie nihil horum exspectabant; sed exspectabant, si quando Romani adventarent, *eos classi, navibus, mari adventuros*, quippe quae unica via videretur, qua ad ipsos accedi posset. Audaci igitur breviloquentia Tacitus quod obiecti attributum esse debebat (*adventum classi — effectum*) ipsum obiectum fecit. Quo magis autem pateat, quantum praesidium insulani in mari putaverint, rhetorice eadem notio in tres species diducitur, anaphora (v. ad c. 15, 2.) iunctas.

qui naves] Vat. *Γ. Δ. qui navis.*

arduum aut invictum] *Arduum* est, quod difficile superatur et perficitur, *invictum*, quod superari nequit; v. ad Sall. Iug. 2, 3. ed. II.

ut — crediderint] Non positum pro *ut* (tum) *crederent*, sed est: *ut* (nunc) *constet eos credidisse.*

insula clarus ac magnus haberi Agricola, quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem et officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset.
8 Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse; ne laureatis quidem gesta prosecutus est. Sed ipsa dissimulatione famae famam auxit aestimantibus, quanta futuri spe tam magna tacuisset.

7. *petita*] Vat. *Δ. potita.*

clarus ac magnus haberi Agricola] cf. Sall. Cat. 53, 1. *Cato clarus atque magnus habetur.* Iug. 92, 1.

ingredienti] i. e. primo adventus tempore (v. ad c. 9, 1.); unde sequitur *quod tempus.*

per ostentationem] *Ostentatio* legatorum in eo cernebatur, quod data opera vim, splendorem, ambitum sui officii provincialibus spectandam exhibebant, quo gravior et magnificentior ipsorum dignitas videretur. v. ad Sall. Hist. Fr. III, 1, 5. *Hiemem non per oppida neque ex ambitione mea egi.*

et officiorum ambitum] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *aut off. a.*, ex Puteolani mutatione. — *Officiorum* vocabulo comprehenduntur omnia quae honoris, observantiae, studii caussa ab inferioribus fiunt in superiores occurrendo, salutando, sectando, deducendo, donis atque epulis et honoribus excipiendo; cf. c. 40, 3. Hist. V, 1, 2. ac v. ad Sall. Hist. Fragm. II, 29, p. 139 sqq. — *Ambitus* est nimium has res obtinendi studium eorum, qui a provincialibus se coli volunt.

8. *Nec Agricola*] i. e. *neque tamen A.*; v. ad c. 8, 3. Negatio, quae proxime ad *vocabat* pertinet, vim suam etiam cum *usus* participio communicat; cf. c. 22, 3. *Nec Agricola umquam per alios gesta avidus intercepit.* Sensus enim est: „Agricola, qui prosp. rer. *non* in vanitatem *uteretur*, quae tantummodo erat victae gentis coercitio (*victos continuisse*), eam *non* expeditionem aut (adeo) victoriam vocabat.“ Vanitatis quippe est minores res vocabulis magnis et splendidis appellare.

laureatis] sc. *litteris*; cf. Plin. H. N. XV, 36. *Laurus Romanis praecipuae laetitiae victoriarumque nuntia additur litteris.* Tacit. Hist. III, 77, 4.

prosecutus est] i. e. *exposuit;* sc. litteris ad principem missis; cf. c. 39, 1. *Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum iactantia epistolis Agricolae auctum, — anxius excepit.*

dissimulatione famae] Dissimulatio famae eius, est, qui quum habeat famam, ita se gerit, quasi nullam haberet. Germanice est *Verläugnung, Nichtbeachtung;* cf. c. 6, 3.

aestimantibus] Dativus est, non ablativus. Sententia non generaliter enuntiatur, sed respectu eorum, qui aestimarent. Quare *aestimantibus* significat *apud aestimantes* (*in den Augen derer*, die erwogen); cf. Hist. III, 8, 2. *Quod — magni momenti locum obtinuit reputantibus illic Cecinam genitum.* IV, 17, 4. *Vere reputantibus Galliam suismet viribus concidisse.* v. ad c. 11, 3. et Roth. p. 202. §. XXII, 2.

quanta futuris spe] i. e. quanto maiora se acturum speraret, qui tam magna quasi levia tacuisset.

XIX. Ceterum animorum provinciae prudens, simulque doctus per aliena experimenta parum profici armis, si incuriae sequerentur, caussas bellorum statuit excidere. A se 2 suisque orsus primum domum suam coërcuit, quod plerisque haud minus arduum est quam provinciam regere. Nihil per 3

XIX. 1. *animorum prudens*] *Animus* et *animi* praegnanti sensu dicitur de *affectu animorum* (*die Stimmung*); cf. Hist. I, 55, 2. *Ipsis legionibus inerat diversitas animorum.* ib. I, 29, 2. *Placuit pertentari animum cohortis.* I, 36, 1. — *Prudens* pro *gnarus* Tacitus dixit praeeunte Sallustio Hist. Fr. I, 99. *Prudens omnium, quae senatus censuerat.* cf. Tac. Hist. II, 25, 1. *Celsus doli prudens repressit suos.*

experimenta] Ita Vat. Δ. *exempla experimenta* Vat. Γ.

incuriae] Ita Vat. Γ. Δ. Vulgo *iniuriae*, ex Puteolani mutatione. *Incuriae*, sc. legati, sunt *neglecta omnis generis officia*, sine quorum diligenti observatione provincia recte administrari et contineri nequit. Veritas scripturae codicum perspicitur quum eo, quod sequentibus accurate docetur, quibus rebus Agricolae *cura intenta fuerit*, tum maxime verbis c. 20, 1. *egregiam famam paci circumdedit, quae vel incuria vel intolerantia priorum haud minus quam bellum timebatur.* Segnities autem nonnullorum legatorum, imprimis Trebellii Maximi et Vettii Bolani, quam vituperanda fuerit, supra dixit Tacitus c. 16, 4 sqq. — Insolitus *incuriae* pluralis ne quem offendat, diligenti doctaque Rothii disputatione de usu substantivorum abstractorum plurali p. 111. sqq. §. IV. cautum est.

2. *primum*] Ita Vat. Δ. *primam* Vat. Γ. Sensus est: *initium curae fecit* in coercenda domo sua.

domum suam] *Domus* complectitur omnes legati ministros, quos ad varia munerum genera exsequenda circum se habebat (Germ. *das Dienstgefolge, Dienstpersonal*) Qui quum haud raro loco suo abuterentur ad quaestum faciendum et ad vim et iniuriam subditis inferendam (cf. c. 15, 2.), facile intelligitur, cur eos Agricola coercendos putaverit.

arduum] v. ad c. 18, 6.

3. *Nihil — publicae rei*] sc. *agere*, cuius verbi ellipsis est frequentissima; cf. Ann. I, 43, 1. *Melius et amantius ille, qui gladium offerebat.* IV, 38, 5. *Melius Augustum, qui speraverit.* Hist. I, 84, 1. *Vos quidem istud pro me.* Germ. 19, 3. *Melius quidem adhuc eae civitates.* Cic. Phil. I, 2, 6. *Nihil per senatum, multa et magna per populum.*

libertos] Vat. Γ. Δ. *liberos.* Correxit Puteol. — Liberti ac servi, quibus res domesticae et familiares curandae erant, quam saepe contra quam oportebat gravissima dominorum negotia gesserint, notissimum est.

publicae rei] i. e. *amtliche Geschäfte und Angelegenheiten.*

studiis privatis] i. e. suis ipsius studiis (Germ. nach *persönlichen* Neigungen).

commendatione etc.] sc. amicorum; — *precibus*, sc. eorum, qui asciri cuperent.

centurionem, milites ascire] Vat. Γ. Δ. *centurionem milites nescire.* Vulgo *centurionum milites ascire,*

libertos servosque publicae rei, non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionem, milites ascire, sed optimum quemque fidissimum putare; omnia scire, non omnia exsequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare, nec poena semper, sed saepius poenitentia contentus

ex Puteolani mutatione. Locum mirificis editorum opinionibus obscuratum primus expedivit Wexius. Non agitur de instituto rei militaris, sed de una administratione provinciae et de moderandis coercendisque iis, qui ad administrandas provinciae res adhibiti singulisque officiis praepositi essent. His officiis apparitorum, lictorum, viatorum, scribarum, praeconum, frumentariorum, qui adhibebantur ex militibus delecti, efficiebant *cohortem accensorum*, iidemque, quia a reliquis militiae muneribus liberati erant, *beneficiarii* nominabantur (Kraner Prolegg. ad Caes. B. C. §. 21. not. 2. p. 42. ed. I.); singulis autem officiis praeerat centurio. Iam, multis accensi munus expetentibus, quod et minus laboriosum esset quam iusta militia, et paulo honorificentius, et simul lucro faciendo opportunius, Agricola „non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionem, milites *ascire*," i. e. *in numerum accensorum recipere*, sed solam virtutem spectare. *Ascire* etiam legitur c. 9, 1. Ann. I, 3, 3. Hist. IV, 24, 2. IV, 80, 1. Ceterum cf. c. 15, 2., qui locus ad eandem rem pertinet. — Quod Wexius scripsit *militesve*, sensum non mutat, sed ad tollendum asyndeton non est necessarium, ut patet ex l. l.

optimum quemque] i. e. bonis artibus maxime probatum.

fidissimum] Ita Vat. Γ. Δ. Vulgo *fidelissimum*, ex Puteolani mutatione, qua non opus est. *Fidelis* enim est, qui *fidem agendo praestat*, at *fidus* dicitur, cui *fides haberi potest*, quemadmodum *infidelis* est, qui *facto laesit fidem*, *infidus*, cui propter ambiguam fidem non recte fidi potest, parum diversus a *suspecto*. Utrumque saepissime in eodem dici posse in promptu est; cf. Ovid. Met. XIII, 319. huic autem loco optime convenit *fidissimum*; in eligendis enim militibus Agricola putabat ab optimo quoque *maximam fidem exspectari posse*. cf. c. 14, 2. *Is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit*, i. e. fide nunquam suspecta. Hist. II, 46, 3.

omnia scire] sc. quae a quoque agerentur, etiam delicta.

exsequi] i. e. *ulcisci*, *punire*; cf. Suet. Iul. c. 67, 1. *Delicta neque observabat omnia, neque pro modo exsequebatur*. Eodem sensu Vespas. c. 14, 1. legitur *offensarum exsecutor*.

commodare] i. e. *praebere*, *adhibere*; Germanice apprime respondet *angedeihen lassen*, quod aeque de *venia* ac de *severitate* dicitur.

nec] i. e. nec tamen; v. ad c. 8, 3.

poena] Est ablat. instrumentalis, pertinens ad *severitatem commodare*; nisi praestat per zeugma ex sequenti verbo sententiam sic constituere; nec (*tamen*, v. ad c. 8, 3.) poenam semper exigere. — *Severitas* constabat plerumque *gravi verborum obiurgatione et castigatione*; cf. Vell. II, 114, 3. de Tiberio: *admonitio frequens*, *interdum et castigatio*, *rarissima vindicta*.

4. *saepius*] v. ad c. 9, 3.

poenitentia] sc. per castigationem effecta.

esse; officiis et administrationibus potius non peccaturos prae- 4
ponere, quam damnare, quum peccassent. Frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum mollire, circumcisis, quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. Namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro 5
frumenta ac ludere pretio cogebantur; devortia itinerum et

officiis etc.] Quinam significentur, non satis accurate definiri potest; in universum intelligendi videntur, qui superiorem quam centuriones locum obtinebant.

potius non peccaturos praeponere] Ita Vat. *Γ. Δ. praeponere potius n. pecc.* Ursinus in notis. Vis sententiae non inest in *praeponere*, sed in *potius non peccaturos*.

exactionem] Ita Vat. *Δ.*, et *Γ.* in marg.; *auctionem Γ.* et *Δ.* in marg., quemadmodum vulgo editur.

aequalitate munerum] Vat. *Γ. Δ. in aequalitate mun.* — *In*, ex *m* praecedente ortum, delevit Puteol. — *Munera* quum sint, quae subditi dominis praestare debent (*Leistungen*), *aequalitas munerum* et de frumento praebendo et de tributis intelligi potest; sed ex sequentibus patet de solo *frumento* agi. Iam quum frumentum in horrea Romanorum conferendum esset et iis, qui eius copiam haberent, et iis, qui non haberent, Agricola aliquam *aequalitatem munerum ita effecit*, ut et aestimatione frumenti facta certum pretium constitueret, quod frumenti loco dare liceret iis, qui eius inopia laborarent, et solitas in eo negotio sub prioribus legatis vexationes tolleret.

mollire] i. e. minus molestam reddere.

circumcisis] i. e. compressis, cohibitis, coercitis, sc. *iis*.

5. *per ludibrium*] i. e. quum summae libidini et iniuriae tamen species legum praetenderetur; cf. Ann. I, 10, 3. de Augusto: *abducta Neroni uxor et consulti per ludibrium pontifices, an concepto necdum edito partu rite nuberet.* — Ludibrium eo constabat, quod accipiendo frumento praepositi, si Britanni, qui frumentum non haberent, pro eo pecuniam dare vellent, eâ reiecta pertinaciter in eo perstabant, ex lege frumentum ipsum esse praebendum. Quod ut tandem efficeretur, ad desperandum adactis Britannis ipsi ex horreis suis vendebant, quod illi debebant, frumentum, nimio scilicet pretio, atque, ubi vendiderant, idem, *quod nunc iam ab emptoribus praebebatur*, rursus condebant in horrea, neque id sine nova pecunia extorta (*pretio*), ob multiplicatam videlicet operam.

horreis] sc. Romanorum.

emere ultro] *Ultro* dicitur, quum quid, quia fines excedit, vix exspectari potest; unde non differt ab *adeo*. cf. 31, 2. Germ. 28, 5. *Emere ultro* igitur de iis valet, qui, quum adessent ut frumenti *pretium offerrent*, adeo *emere* frumentum cogerentur, rerum ratione iniquitate Romanorum plane inversa.

ludere] Ita Vat. *Γ. Δ.* — Puteolanus *vendere*. Quoniam illa emptio non vera erat, sed simulata, vi extorta et ad vexandum instituta, hoc ipsum significatur verbis *ludere pretio*. Nam qui *ludunt aliqua re*, non serio agunt, sed simulant tantum ac speciem modo induunt serio agentium. Qui autem *pretium solvebant* pro frumento, non faciebant, ut frumentum in *suum* usum sibi compararent, sed coacti speciem

longinquitas regionum indicebatur, ut civitates, proximis hibernis, in remot aet avia deferrent; donec, quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret.

XX. Haec primo statim anno comprimendo egregiam famam paci circumdedit, quae vel incuria vel intolerantia prio-
2 rum haud minus quam bellum timebatur. Sed ubi aestas ad-

emptionis praebebant, eoque *ludebant pretio* (trieben Spiel mit dem Preise). Scilicet qui emebant, non solum solvere cogebantur, quantum Romani poscerent, sed etiam iniquo pretio soluto frumentum rursus in horrea deferebant.

Devortia itinerum] Vat. *Γ. Δ. divortia itin.* Correxit Lipsius; intelliguntur enim *deflexiones de via ordinaria in avia.* Continent sequentia novum vexationis genus; illud enim, de quo modo dictum, pertinebat ad eos, *qui non haberent* frumentum, et ex horreis Romanis emere cogerentur, hoc ad eos, *qui haberent*, et in remotas regiones deferre iuberentur, quo tantam longinquae vecturae molestiam pecunia redimerent.

indicebatur] cf. Hist. V, 25, 2. *Sibi non tributa sed virtutem et viros indici.*

proximis hibernis] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *a prox hib.*, ex Puteolani mutatione. Ablatt. sunt absoll., ita solvendi: *quamquam proxima hiberna essent.*

in promptu] Ita Vat. *Γ. Δ. In promptu est*, quod facile est, vel facile fieri potest. Quare *id, quod omnibus in promptu erat*, est *collatio frumenti, quam omnes Britanni facile praestare poterant*, scilicet *si recte, legitime et humaniter cum iis ageretur*, quae hypothesis supplenda est. Sed ea res in vexationem conversa *paucis* (accensis sive frumentariis Romanis) lucrosa fiebat. — Locum primus recte intellexit atque explicavit Schoemannus in Ind. scholl. Univ. Gryphisw. a. 1859—60. p. 13. Ita autem *lucrosum* fiebat paucis, quod omnibus *in promptu* erat, ut aratores, quo damnum maius evitarent, postremo paratos se ostenderent vel in universum nummos dare pro frumento, vel, si ipsum frumentum darent, certe *pretio* obtinere, ne in longinqua loca deferrent, sed ut proximis horreis inferre sibi liceret. Id ipsum enim volebant avari frumentarii Romani; *indicebant* longinqua loca, non quo frumentum eo deportaretur, sed ut pro non deportato pecuniam acciperent. Quod fraudulentum consilium elucet non solum ex *indicebatur* (nam quae indicebantur, non continuo fiebant), sed etiam ex *donec* c. coniunctivo; cf. Hist. I, 46, 3. *Locupletissimus quisque miles labore ac saevitia fatigari, donec vacationem emeret.* Eodem modo iam antiquitus vexatos esse aratores Siculos testatur Cic. in Verr. III, 82, 190. *Avariores magistratus — instituerunt semper in ultima ac difficillima ad portandum loca frumentum imperare, ut vecturae difficultate ad quam vellent aestimationem pervenirent.*

XX. 1. *famam paci circumdedit*] Quae alicui rei *circumdata sunt*, ei adhaerent et cum ea coniuncta sunt; quare verba significant: haec comprimendo *effecit, ut* pax egregiam famam *adiunctam haberet*, vel simplicius etiam: ut pax *egregiâ famâ esset*; cf. Dialog. c. 37, 7. *Catilina, et Milo et Verres et An-*

venit, contracto exercitu multus in agmine, laudare modestiam, disiectos coërcere; loca castris ipse capere, aestuaria ac silvas ipse praetentare; et nihil interim apud hostes quietum pati, quominus subitis excursibus popularetur; atque ubi satis terruerat, parcendo rursus irritamenta pacis ostentare. Quibus 3

tonius hanc illi famam circumdederunt. Hist. IV, 11, 3. *Erant — qui principatus inanem ei famam circumdarent.*

vel incuria vel intolerantia] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *vel incuria vel tolerantia*, ex Rhenani mutatione. Sensus est: vel *negligentia*, quae ministrorum vita non animadverteret aut curaret (v. ad c. 19, 1.), vel *superbia, fastu, insolentia intolerabili;* cf. Cic. p. Cluent. 40, 112. *Quis eum cum illa superbia atque intolerantia ferre potuisset.*

2. *multus*] Ita Vat. *Γ.* m. pr.; *multum* Vat. *Δ.* et *Γ.* m. sec. — Ad *multus in agmine* supple *esse*, vel *adesse*, ut dixit Sall. Iug. 96, 3. *Sulla — in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse.* Quod *multus* dicitur, ubi *multum* exspectes, universa Latinorum consuetudine nititur, ut, *ubi praedicati definitio maxime ex subiecti qualitate pendet*, adverbii loco adiectivum ponant; cf. Sall. Iug. 84, 1. *Tum vero* (*Marius*) *multus atque ferox instare.* Tac. Ann. XIII, 35, 4. *Corbulo — in agmine, in laboribus frequens adesse.* II, 57, 3. *Rarus in tribunali Caesaris Piso.* Exempla plurima v. apud Rothium p. 203 sqq. §. XXIII.

modestiam] i. e. *modestos* (cf. c. 16, 1.); intelliguntur autem *disciplinae militaris observantes;* cf. Ann. I, 49, 3. *Tramittit — octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit.* Hist. I, 60, 2. *Modestia exercitus corrupta.* II, 12, 2. *Suedius Clemens — adversus modestiam disciplinae corruptus.* II, 27, 1. *Id damnum Vitellianus — ad modestiam composuit.*

disiectos] i. e. *dissolutos*, quippe qui signa non servabant et ab ordinibus discedebant, *modestis* oppositi; cf. Hist. III, 22, 2. Ann. VI, 44, 3.

aestuaria] sc. ad vadum inveniendum; — *silvas*, ad viam aperiendam.

nihil — quietum pati, quominus etc.] i. e. continenter hostes exagitare. — Non legitimo modo *quominus* pendere ex praegressis luculenter demonstravit Rothius p. 258. §. XXIX, 4. Quippe per speciem quandam epexegesis enuntiatum per *quominus* illatum ad antecedentia refertur. Nam quum verba *nihil interim apud hostes quietum pati* per se plenam habeant sententiam, neque grammatice quicquam praeterea exspectetur, Tacitus accuratiorem explicationem additurus, quae adversativâ *sed* particulâ adiungenda erat (*sed subitis eos excursibus populari*), ita pergit, quasi imperfecta sententia praecessisset in hunc modum: *et interim hac suorum militum cura non detineri.* Eadem structurae ratio est c. 27, 3. Sall. Cat. 39, 4. Neque differt *quin* particulae usus; cf. Caes. B. G. VII, 11, 8. *Oppido potitur, perpaucis ex hostium numero desideratis, quin cuncti vivi caperentur.* Ceterum in universum Tacito obversatus est locus Sallustii Iug. 88, 2. *Marius impigre prudenterque suorum et hostium res pariter attendere, cognoscere, quid boni utrisque aut contra esset, explorare*

rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere, et praesidiis castellisque circumdatae, et tanta ratione curaque ut nulla ante Britanniae nova pars.

XXI. Illacessita transiit sequens hiems, saluberrimis consiliis absumpta. Namque ut homines dispersi ac rudes eoque

itinera regum, consilia et insidias eorum antevenire, nihil apud se remissum neque apud illos tutum pati.

irritamenta pacis] Ita Vat. *Γ. Δ. Irritare* quum sit *acriter incitare* (cf. Quintil. I, 1, 26. *irritare infantiam ad discendum*), *irritamenta pacis* significant ea, quae *acrem* pacis cupidinem iniiciunt (Germ. *starke, kräftige Reizmittel*). Germ. 19, 1. *Nullis conviviorum irritationibus corruptae.* — *Invitamenta*, quod Wexius ex Acidalii coniectura edidit, significat ea, quae *leniter* impellunt, ac suavitate sua alliciunt.

3. *quae — ex aequo egerant*] i. e. *quae liberae et sui iuris fuerant* (Germ. *unabhängig*); nam qui *ex aequo* agunt cum aliis, *non pendent* ex iis, *neque subiecti sunt;* cf. Hist. IV, 64, 5. *Sincerus et integer et servitutis oblitus populus aut ex aequo agetis, aut aliis imperabitis.*

circumdatae] sc. *sunt*, ab Agricola, i. e. praesidiis castellisque circa positis munitae sunt, ac frena quasi iis iniecta.

et tanta ratione] i. e. *et quidem t. r.;* v. ad c. 3, 3. Vulgo *et* deest ex Rhenani mutatione. Notanda autem duplex ablativorum ratio ad *circumdatae* relatorum, quorum alteri sunt instrumenti, alteri modi; cf. c. 18, 5. 28, 2. et v. annot. nostr. ad Sall. Hist. Fr. III, 82, 26. p. 291. Germ. 33, 2. 46, 3.

ut nulla] *Ut* non consecutivum est, sed comparativum, correlativae vocis *quanta* vices sustinens. Variari interdum correlativa vocabula neque a ratione abhorret, et usu comprobatur; v. annotata nostra ad Sall. Iug. 62, 9. ed. I. et ad Hist. Fr. III, 77, 16. p. 266. cf. Cic. in Verr. Act. I. c. 2, 3. *Nunquam — tanto opere pertimui, ut nunc in ipso iudicio.* Nep. Agesil. c. 4. *Tanta modestia dicto audiens fuit iussis absentium magistratum, ut si privatus in comitio esset Spartae.* Cic. Epp. ad Brut. I, 9. *Et enim alienum tanto viro, ut tu es;* quae exempla Wexio debentur.

nova pars] sc. praesidiis castellisque *circumdata fuit.* — *Nova pars* est: *quae veteri provinciae nova accederet.* Haud obscura in his verbis inest vituperatio priorum legatorum, qui novas gentes non ea, qua par fuerat, cura et ratione praesidiis castellisque circumdederant; unde saepe deficiendi conatus facti sunt.

XXI. 1. *Illacessita transiit sequens hiems*] Duo priora verba in Vat. *Γ. Δ.* et in edd. adhaerent praecedentibus: *ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transierit*, absurdâ sententiâ. Vitium, *a* scriba ortum, qui *ut* consecutivum putaret, correxit Susius (v. Ephem. litt. Ien. a. 1817. Nr. 166.). Verborum sensus est: *hiems ita praeteriit, ut Romani non lacesserentur a Britannis;* idque praeter consuetudinem factum esse putet ex c. 22, 3. — Ceterum *sequens hiems* est hiems *altera*, inter annum 79 et 80 intercedens.

absumpta] i. e. *tota impensa; absumuntur* enim res ita, ut nihil ex iis restet.

bello faciles quieti et otio per voluptates assuescerent, hortari privatim, adiuvare publice, ut templa, fora, domos exstruerent, laudando promptos et castigando segnes. Ita honoris aemulatio pro necessitate erat. Iam vero principum filios libera- 2
libus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut, qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Inde etiam habitus nostri honor, 3
et frequens toga, paulatimquē discessum ad delenimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam; idque

bello] Vat. *Γ. Δ.* vitiose *in bello*, pro quo aut cum Bosio scribendum *in bella*, aut cum Rhenano *bello*. Hoc praeferendum, quia in generali oppositione *quieti et otio* melius respondet *bellum* quam *bella*. Dativum Tacitus cum *facilis* adiectivo coniunxit, secutus analogiam vocabulorum *pronus*, *proclivis*, *promptus*, *paratus;* cf. Ann. II, 27, 2. *Iuvenem improvidum et facilem inanibus — impulit.* Hist. II, 17, 1. *Longa pax fregerat faciles occupantibus.*

quieti et otio] Cognatae significationis vocabula ita differunt, ut *quies* constet *nihil agendo*, *otium* vero *nihil grave ac serium agendo;* v. ad c. 6, 4. Dial. c. 38, 4.

voluptates] Germanice *Genüsse;* cf. Hist. IV, 64, 5. *Instituta cultumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subiectos quam armis valent.*

privatim] i. e. nullam prae se ferens potestatis personam, sed agens cum singulis ut civis cum cive.

publice] i. e. ex aerario publico, publicis opibus (Germ. *aus Staatsmitteln*).

domos] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *domus*, ex Puteolani mutatione.

castigando] i. e. graviter vituperando; v. ad c. 19, 3.

2. *Iam vero*] v. ad c. 9, 3.

erudire] i. e. erudiendos curare.

ingenia — anteferre] i. e. declarabat sibi videri Britannos tanta bonitate esse ingeniorum, ut plus ingenio quam Galli studio consequerentur. Scilicet haec honorifica oratio eo pertinebat, ut Britanni magis etiam ad liberales artes amandas et tractandas incenderentur.

qui — abnuebant] Haec mere attributivam vim habent, ad subiectum Britannorum universorum pertinentia.

3. *habitus*] i. e. externi cultus, qui in *veste* cernebatur (Germ. *die Tracht*); cf. Germ. 17, 3. infra c. 39, 2. Liv. XXIX, 17, 11. *In legato vestro — nec hominis quicquam est, — neque Romani civis, praeter habitum vestitumque.* — Ceterum supple *fuit.*

discessum] sc. a patria simplicitate et virtute. Wexius contulit Cic. de Off. I, 10, 32. *Magisque ille — ab officio discedat, si se destitutum queratur.* ib. III. 20, 79. *Marius — a fide iustitiaque discessit.*

delenimenta] Vat. *Γ. Δ. deliniamenta.* Sed constans codd. Med. scriptura est *delenimentum*, *delenire*, *delenitus*, Ann. II, 33, 4. XI, 37, 2. XIII, 44, 3. XIV, 63, 2. Hist. I, 77, 2. IV, 68, 3. *Delenimenta vitiorum* sunt, quibus vitia iucunda redduntur, ac se insinuant, animosque dulcedine sua

apud imperitos humanitas vocabatur, quum pars servitutis esset.

XXII. Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Tanaum (aestuario nomen est) nationibus. Qua formidine territi hostes quamquam conflictatum saevis tempestatibus exercitum lacessere non ausi; ponendisque in-
2 super castellis spatium fuit. Annotabant periti non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse. Nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut pactione

capiunt; *vitia* ipsa h. l. maxime intelligenda sunt de vita molli, delicata et effeminata.

balnea] Vat. *Γ. balinea*; *Δ. balneas.*

idque — humanitas] Attractio omissa, pro *eaque — hum.* vocabatur. cf. Ann. III, 38, 3. I, 49, 2. Terent. Andr. I, 5, 2. Liv. II, 38, 5.

apud imperitos] *Imperiti* absolute dicuntur, qui rem non altius introspiciunt (Germ. *Kurzsichtige*). — *Apud*, quod sententia fere idem est atque *ab imperitis*, per se significat *in circulis imperitorum, in sermonibus imp.* cf. c. 22, 4. *Apud quosdam — narrabatur.* Ann. I, 9, 2. *Apud prudentes vita eius varie extollebatur.* Hist. II, 91, 1. Germ. 11, 1.

humanitas] i. e. cultus (Germ. *Bildung*, *Civilisation*); cf. Caes. B. G. I, 1, 3.

quum] i. e. licet, quamvis. cf. Germ. 36, 4. 41, 3.

XXII. 1. *Tertius — aperuit*] i. e. tertio anno (qui fuit 80. p. Chr.) ad novas gentes penetratum; v. ad c. 6, 3. Germ. 1, 2. *Gentes ac reges bellum aperuit.*

Tanaum] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *Taum*, ut est in margine *Γ.*

Qua formidine] i. e. quarum vastationum formidine, de quo attractionis genere v. ad Sall. Cat. 8, 5. 43, 2. Iug. 54, 6.

conflictatum] Non est positum pro *conflictantem*, sive *dum conflictatur*, sed *saevarum tempestatum molestias et difficultates vix egressum*; cf. Ann. XIII, 33, 2. *Pervicaci accusatione conflictatus postremo defensionem omisit.* De ipso *conflictari* verbo cf. Ann. VI, 51, 2. Hist. III, 69, 2.

spatium] Non simpliciter pro *tempore* dicitur *spatium*, sed hoc maxime significatur, *non impeditum fuisse* Agricolam, quominus castella poneret; cf. supra c. 8, 2. Ann. I, 35, 4. *Spatium fuit, quo Caesar ab amicis in tabernaculum raperetur.*

2. *Annotabant*] i. e. observabant atque eloquebantur (Germ. *sie machten die Bemerkung*); cf. Ann. XII, 25, 2. XIII, 3, 2.

Nullum ab Agricola etc.] Haec verba, vulgo ex *annotabant* suspensa, ipsius Taciti sunt, eventum consiliorum Agricolae narrantis; quare semicolon in edd. post *legisse* positum in punctum mutavimus.

pactione] Germ. *Capitulation;* cf. Sall. Iug. 67, 3.

crebrae eruptiones] sc. *factae sunt.* De abrupta enuntiati forma v. ad c. 9, 3. Verba ipsa gradationem continent = *quin adeo.* — *Crebra* dicuntur, quae parvis intervallis se excipiunt; cf. c. 24, 1. *Gentes crebris — proeliis domuit.* Ann. II, 26, 2. *Crebris epistolis*

ac fuga desertum; crebrae eruptiones; nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. Ita intrepida ibi hiems, 3 et sibi quisque praesidio, irritis hostibus eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare tum aestate atque hieme iuxta pellebantur. Nec Agricola 4 umquam per alios gesta avidus intercepit; seu centurio seu praefectus, incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur; ut erat comis bonis, ita adversus malos iniucundus. Ceterum ex iracundia nihil supererat 5

Tiberius monebat. Germ. 22, 2. Vernacula sic reddas: *Ausfälle auf Ausfälle.*

nam — firmabantur] His verbis caussa affertur, eur praesidia in castellis non solum nullum damnum acceperint, sed etiam crebras eruptiones fecerint; quippe copiis in annum provisis quum nihil iis de inopia aut fame timendum esset, satis castellorum praesidiis alacritatis erat tum ad defensionem strenuam, tum ad crebras eruptiones.

adversus moras obsidionis] i. e. *ad diuturnam obsidionem tolerandam;* sive: *ne diuturnam obsidionem timerent.* — *Mora* de longinquitate temporis dictum.

annuis copiis] i. e. frumento et commeatibus (cf. c. 25, 2. Germ. 30, 3. Ann. I, 68, 4. Caes. B. G. IV, 4, 7.) in annum sufficientibus.

3. *intrepida — hiems*] sc. *fuit.* — *Intrepida* dicitur hiems, qua non trepidatur, quae sine timore et perturbatione transigitur; cf. c. 21, 1. *Illacessita transiit — hiems.* v. ad c. 30, 2.

quisque] Non *miles*, sed *castelli praefectus*, ita quovis castellum suum tuente, ut non opus esset a proximis auxilium petere; cf. §. 4. *Seu centurio, seu praefectus.*

irritis hostibus] *Irriti* dicuntur ipsi *hostes, quorum conatus* fuerunt irriti, i. e. qui nihil effecerunt, attributo praedicati ad subiectum relato; cf. Ann. XV, 7, 1. *Legati — revertere irriti.* XV, 25, 3. *Irriti remittuntur* (legati).

eventibus] v. ad. c. 8, 2.

pensare] Simplex verbum pro composito *compensare*; cf. Ann. II, 26, 1. *Laetus animi, quod adversa maris expeditione prospera pensavisset*, et v. Doederlini Prolegg. ad Vol. II. p. 27 sq. Roth. ad Agric p. 164. §. XII, 5.

iuxta] i. e. *pariter;* v. annot. nostr. ad Sall. Cat. 2, 8, 37, 8.

4. *Nec*] i. e. *neque tamen*; v. ad c. 8, 3. Sententia sic cohaeret cum praecedentibus: quamquam tam prosper erat tertii anni eventus, tamen Agricola sibi soli totum non tribuit, sed quum multa ad strenuos castellorum defensores pertinerent, hos debita laude sua non fraudavit.

avidus] sc. *gloriae.* Non valet autem hoc adiectivum ad naturam subiecti, sed ad caussam praedicati declarandam; quare sensu non differt ab eo, quod est *aviditate intercepit.* De negationis ratione v. ad c. 18, 8.

seu — praefectus] sc. *rem bene gesserat*, quod eruendum ex praecedentibus *per alios gesta;* nam *seu — seu* particulae verbum postulant; cf. c. 43, 3. — Ceterum *centuriones* sunt legionum romanarum, *praefecti* cohortium auxiliarium; v. annot. nostr. ad Sall. Iug. 46, 7. Tac. Ann. XII, 35, 2.

secretum, ut silentium eius non timeres; honestius putabat offendere quam odisse.

XXIII. Quarta aestas obtinendis, quae percucurrerat, insumpta, ac, si virtus exercituum et Romani nominis gloria
2 pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus. Namque Clota et Bodotria, diversi maris aestibus per immensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur, quod tum praesidiis firmabatur; atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

testem] h. l. non tam est *qui testatur*, quam *qui agnoscit*. — *Incorruptum* Germ. est *unpartheiisch*.

apud quosdam] v. ad c. 21, 3.

acerbior] sc. *esse*.

ut erat comis bonis] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *ut erat bonis comis*. Rhenanus *ut bonis comis*, omisso *erat*. Ceterum v. ad c. 44, 5.

iniucundus] Per quendam euphemismum dictum est pro *durus*, *asper*; cf. Hor. Sat. I, 3, 85. *Quod nisi concedas, habeare insuavis.*

5. *nihil supererat secretum*] i. e. nihil residebat *in pectore reconditum*, quod postea erumperet. Nimirum omnem iracundiam semel evomebat atque aperiebat. Quare *ubi silebat*, i. e. ubi nulla iracundiae signa edebat, non erat timendum, ne sub silentio malignitas quaedam lateret, quae postea erumperet, qui fuit Tiberii mos. cf. Ann. I, 69, 3. *Accendebat haec — Seianus peritia morum Tiberii odia in longum iaciens, quae reconderet, auctaque promeret.* VI, 50, 3. *Tiberius — offensus tantoque magis iram premens.* — Vulgo interpungitur *nihil supererat, secretum ut silentium* etc. Correxit Doederlinus.

ut silentium] Ita Vat. *Γ. Δ. et silent.* Puteolanus.

offendere] sc. aperte; *odisse*, sc. tecte ac subdole.

XXIII. 1. *Quarta aestas*] Anni 81. p. Chr.

obtinendis] i. e. tuendis, firmandis ac veteri provinciae adiungendis; cf. c. 24, 5. Ann. XIII, 34, 2. XV, 8, 2. XV, 14.

percucurrerat] Ita Vat. *Γ. percurrerat* Vat. *Δ. praecurrerat* Puteol. cf. 37, 1.

si — pateretur] Sententia generalis est: si hoc omnino pateretur virtus terminum invenire, i. e. ullo termino coerceri.

inventus] sc. *erat*. — Quae sequuntur, per *namque* annexa, explicant, quibus rebus terminus ille effectus fuerit, ingentibus ab utraque parte aestuariis, ac firmato medio terrae spatio.

2. *Namque*] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *nam*, ex Puteol. mutat.

diversi maris] i. e. contrarii, oppositi maris, sc. hibernici, in quod Clota (*Frith of Clyde*) influit, et atlantici septentrionalis, quod Bodotriam (*Frith of Forth*) recipit.

revectae] i. e. revolutae, repulsae, retortae, sc. in terram.

propior sinus] *Sinus* h. l. non est mare ipsum in interiora terrae recedens, sed *litus*, quod sinu alluitur. Germ. 1, 2. *Oceanus latos sinus — complectens*, ubi v. Passov. p. 33—5. *Propior sinus* est ea sinus pars, quae meridiem versus Britanniam attingebat, ubi Romani erant; hinc *propior*, sc. Romanis.

in aliam insulam] i. e. *in adversam sinus partem*, quippe quae

XXIV. Quinto expeditionum anno nave prima transgressus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit, eamque partem Britanniae, quae Hiberniam aspicit, copiis instruxit, in spem magis quam ob formidinem, si quidem Hibernia medio inter Britanniam atque Hispaniam 2 sita et Gallico quoque mari opportuna valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit. Spatium eius, si 3 Britanniae comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. Solum coelumque et ingenia cultusque hominum haud mul-

sinu disiuncta quasi insula videatur a Britannia diversa.

XXIV. 1. *Quinto — anno*] a. 82. p. Chr.

nave prima] Ita Vat. *Γ. Δ. Prima navis* h. l. dicitur, quae hieme transacta navigationem rursus aperit; quare, quum his verbis tempus significetur, quo navigatio incipit, quemadmodum apud Horat. Epp. I, 7, 13. *cum hirundine prima* aestatis initium designatur, sensus est: *ubi primum per anni tempestatem navigari potuit, classe transgressus est in adversum Clotae litus.* Quippe Agricola, ut improvisus in Britannos incideret, noluit exercitum medio terrarum spatio inter utrumque aestuarium transducere, qua hostes eum venturum esse putare poterant, sed navibus sinum Clotae traiecit, et quidem quam maturrime.

crebris] v. ad c. 22, 2.

copiis instruxit] sc. castella posuit cum praesidiis.

in spem] i. e. spe utilitatis inde venturae; v. ad c. 8, 3.

2. *Gallico mari opportuna*] i. e. a Gallico mari non remota; quae a G. mari facile adiri potest.

valentissimam — partem] i. e. Hispaniam, Galliam et Britanniam.

miscuerit] i. e. *coniunxerit.* — Coniunctivo, qui est potentialis, continetur Taciti ipsius iudicium de Agricolae spe et consilio, cum cauta quadam approbatione prolatum. Hoc enim significat, *fieri posse, ut — misceat.* Nam quum hoc scribebat, illa spes Agricolae eventum nondum habuit.

3. *Spatium*] i. e. ambitus, magnitudo.

nostri maris] i. e. mediterranei; v. ad Sall. Iug. 17, 4.

differt] Hoc verbum numero cum proximo substantivo congruens ad omnia pertinet, cui rei non obstat interiectus pluralis; contulit Ecksteinius Ann. II, 69, 3. II, 71, 3. IV, 49, 2. Hist. II, 78, 3. Germ. 27, 1. — *A Britannia* compendiaria comparatione dictum, siquidem pro attributis, quae comparantur, ipsa res, quae illa attributa habet, ponitur; cf. Kühner ad Cic. Tusc. I, 1, 2. p. 44. ed. IV. Germ. 46, 2. *Quae omnia diversa Sarmatis sunt.* Ellendt ad Cic. de Orat. I, 4, 15. I, 6, 13. I, 44, 197.

haud multum — differt in melius] i. e. haec omnia *fere paria sunt, sed tamen paulo meliora.* Omnis enim duarum rerum differentia ita comparata est, ut altera res aut superet alteram, aut inferior sit; illud ubi fit, res ab altera *differt in melius*, idque aut *multum* aut *non multum* esse potest.

4 tum a Britannia differt in melius; aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat, ac specie ami-
5 citiae in occasionem retinebat. Saepe ex eo audivi legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse, idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur.

XXV. Ceterum aestate, qua sextum officii annum inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus

4. *in occasionem*] sc. *rei eo adiutore bene gerendae*, vel *Hiberniae invadendae;* v. ad c. 14, 4.

5. *ex eo*] sc. *ex Agricola.* Errant enim, qui pronomen ad *regulum* referunt, cui opinioni et ipsa repugnat sententia, supra fidem servilis, et vel abiectissimo mancipio indigna, et grammatica verborum ratio utique obstat. Praecedentis enim enuntiati quum subiectum sit *Agricola* (*exceperat* ac — *retinebat*), de eo sequens quoque enuntiatum dictum esse inde clarissime apparet, quod capitis 25. initium in eodem subiecto pergit non denuo illato Agricolae nomine quod necesse erat, si antegressa verba reguli potius quam Agricolae essent. Exposuit autem Tacitus propterea de hoc Agricolae iudicio, post reditum ex Britannia in sermonibus cum genero habitis (cf. c. 44, 5.) prolato, ut intelligeretur, cur ille *occasionem exspectaret;* ineptum enim hoc fuisset, nisi facile subiici posse Hiberniam putasset. Offecit interpretibus asyndeton et brevis oratio; quae si sic procederet: *nam, ut saepe ex eo audivi, sibi persuaserat* etc., plana forent omnia.

debellari] i. e. *plane devinci.* Non absolute enim positum est verbum, ut c. 26, 3., sed obiectum habet Hiberniam; cf. c. 34, 1. *Hi sunt, quos — clamore debellastis.*

obtineri] v. ad c. 23, 1.

si — arma] sc. *essent.*

velut e conspectu] i. e. quam Britanni ex adverso in Hibernia adhuc conspicerent; cf. c. 30, 3. ubi Calgacus de Caledoniis: *nec servientium*, inquit, *litora adspicientes oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus.*

XXV. 1. *Ceterum*] Adversativa huius particulae vis (cf. c. 22, 5. 37, 6. 43, 3. et v. ad Sall. Cat. 51, 26. ed. II.) h. l. in eo cernitur, quod, quum Agricola anno quinto gentes trans Clotam petisset, sexto non hac parte ulterius progressus est, *sed* ad civitates trans Bodotriam se convertit.

sextum — annum] a. 83. p. Chr.

officii] i. e. legationis, administrationis; v. ad c. 14, 3.

amplexus] Ita Vat. *Γ. Δ.*; *amplas* Puteolan., quae scriptura multas et inutiles coniecturas genuit. Ad *amplexus* non supple *bello*, quod legitur c. 17, 2., sed *animo;* sensus autem est: *quum animo intendisset universas civitates — aggredi;* nondum enim intulerat bellum, sed inferre decreverat. Quod quomodo exsecutus sit, sequentibus exponitur. Ad *universas* autem civitates pertinuisse consilium *amplexus* verbo indicatur.

universarum ultra gentium et infesta hostilis exercitus itinera timebantur, portus classe exploravit. Quae ab Agricola primum assumpta in partem virium sequebatur egregia specie, quum simul terra simul mari bellum impelleretur, ac saepe 2 iisdem castris pedes equesque et nauticus miles misti copiis et laetitia sua quisque facta, suos casus attollerent, ac modo silvarum ac montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc victus oceanus militari

ultra gentium] i. e. gentium, *quae ultra agebant;* v. ad c. 9, 6.

hostilis exercitus] Ita Vat. *Γ. Δ. hostili exercitu* Rhenanus de coniectura. — *Hostilis exercitus itinera*, generaliter dicta sunt, *quibus hostilis exercitus incedit*, quamquam, quod per se intelligitur, *hostilis exerc.* h. l. *Romanorum* est, quippe qui hostes illas regiones peterent. *Infesta* dicuntur itinera, quae plena sunt periculorum et insidiarum, ab incolis hostili exercitui paratarum. Haec igitur quia *timebantur*, sc. *a peritis* Romanorum, propterea Agricola, vitato per medias gentes itinere, secundum oram maris iter fecit classe ad expeditionem iuvandam assumpta.

timebantur] Vat. *Γ. Δ. timebant.* Correxit Puteolan. vitium neglecto compendio ortum.

in partem virium] i. e. ut pars virium esset; v. ad c. 8, 3.

egregia specie] Praegnanti sensu *species* dicitur in eo, quod ipso aspectu admirationem et stuporem movet (*imposante Erscheinung*); cf. c. 35, 2. *Acies in speciem — constiterat.* Ann. II, 6, 2. *Naves — citae remis augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem.*

2. *quum simul — compararentur*] Haec omnia arte cohaerent cum praecedentibus, quibus adiiciuntur ad illustrandam *egregiam speciem* expeditioni Romanorum coniuncta cum exercitu classe additam. Tum nova periodo ad Britannos transitur ea specie valde commotos. Deinde narratur, quid illa expeditio apud hostes effecerit.

impelleretur] Vat. *Γ. Δ. impellitur.* Vitium, ortum ex neglecto scribendi compendio (impelle'tur), correxit Rhenanus. *Bellum impellitur*, quum *incitato studio magnaque contentione geritur, ut res bene ac celeriter procedant.* Verbum *impellere* in hac re insolens et audacius a Tacito adhibitum compares cum Germanico *in Schwung bringen.*

misti] Ita Vat. *Δ. mixti Γ.* cf. c. 4, 4.

copiis] i. e. cibariis, utensilibus; v. ad c. 22, 2. Milites, qui *copias et laetitiam inter se miscerent*, i. e. qui *copias suas inter se communicarent et communiter laetitiae se darent*, quomodo dicantur *misti copiis et laetitia*, diximus ad c. 4, 4.

ac montium] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *et mont.* ex Puteol. mutatione. — *Profunda* Germ. sunt *Abgründe.*

victus oceanus] Ita Vat. *Γ. Δ.* i. e. *navigationis in oceano pericula constantiâ superata.* Vulgo *auctus ocean.* ex Puteol. mutatione.

3. *aperto maris sui secreto*] i. e. *adito mari suo, quod huc usque incognitum fuerat.* — Quod *aperto mari clausum* dicitur *perfugium*, argutius dictum est, et quan-

3 iactantia compararentur. Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tamquam aperto maris
4 sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur. Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis, oppugnare ultro castellum adorti, metum ut provocantes addiderant; regrediendumque citra Bodotriam, et excedendum potius quam pellerentur,
5 ignavi specie prudentium admonebant, quum interim cognoscit

dam oxymori speciem habet, quamquam eo mitigatam, quod *claudere* in hoc nexu positum est pro *eripere* vel *intercipere*. Aliqua ex parte simile est, quod de Lugdunensibus et Viennensibus legitur Hist. I, 65, 1. *Uno amne discretis connexum odium.*

4. *ad manus*] i. e. *ad vim;* cf. c. 33, 7.

uti mos est etc.] i. e. quod fieri solet in rebus ignotis, *ut fama sit vero maior*. cf. Ann. III, 44. XIV, 58. Pertinet autem *maiore fama* pariter ut *magno paratu* ad *conversi*, de quo asyndeto v. ad c. 15, 2. Eadem sententia recurrit c. 30, 4. *Omne ignotum pro magnifico est.*

oppugnare] Vat. *Γ. Δ. oppugnasse*; correxit Rhenanus.

adorti] *Adoriri* c. infin. praes. de conatu rei perficiendae saepissime dici multis exemplis probavit Wexius.

ultro] Germ. *die Offensive ergreifend.* cf. Hist. III, 2. Caes. B. C. III, 37.

castellum] Vat. *Γ. castellaum*. Vat. *Δ. castella.* Singulari significatur *unum aliquod castellum*, quod Agricola, dum in Caledoniam intrat, posuisse putandus est.

ut provocantes] Spectant haec ita ad praecedentia *oppugnare ultro adorti*, ut, quum illa factum nude per se indicent, haec eo respiciant, quatenus id *caussa* exstitit metus; *ut* enim valet *utpote;* cf. Hist. I, 63, 1. *Et Treviros quidem, ut socios, securi adiere.* Dial. 25, 8.

addiderant] v. ad c. 5, 4.

regrediendumque] Quae per *que* h. l. annectitur sententia, consectaria est, ac prodit ex antecedentibus, in quo nexu *que* valet *eoque;* cf. c. 12, 4. 18, 4. et v. ad Sall. Hist. Fr. I, 11. p. 15.

quam pellerentur] Coniunctivus potentialis est. Nam ut recta oratione dicitur *regredientur potius, quam pellantur*, quo significatur regrediendi actionem suspendi ex mente et iudicio pelli nolentium, ita eadem ratio in obliqua oratione obtinet. Vernaculâ est: *ehe sie sich zurückwerfen liessen.* cf. Ann. I, 35, 3. *At ille moriturum potius, quam fidem exueret, clamitans.* Sall. Iug. 106, 3. *Moriturum potius, quam — turpi fuga — vitae parceret;* ubi v. annotata. Liv. XXXIX, 10, 2. *Mori sibi et illi satius esse, quam id faceret* (Germ. *als dass sie das thun sollte*).

ignavi specie prudentium] Ita Vat. *Γ. Δ. specie ign. prud.* Puteol. Sensus est: *qui re ipsa ignavi essent, sed prudentes haberi vellent.*

5. *pluribus*] Ne putes pro *compluribus* dictum. Comparativi enim sensus, quem *plures* semper habet (cf. ad Sall. Cat. 19, 2. p. 92. ed. I.), nititur omisso membro, quo de v. ad c. 6, 5; quippe hostes *pluribus*

hostes pluribus agminibus irrupturos. Ac ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.

XXVI. Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio universi nonam legionem, ut maxime invalidam, nocte aggressi, inter somnum ac trepidationem, caesis vigilibus, irrupere. Iamque in ipsis castris pugnabatur, quum Agricola, 2
iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque assultare tergis pugnantium iubet, mox ab universis adiici clamorem; et propinqua luce

agminibus veniebant, *quam ipse habebat*, qui uno tantum agmine incederet.

ne superante numero etc.] i. e. ne *ab hostibus* numero et locorum peritia *superioribus* circumiretur; cf. c. 35, 3.

et ipse] Haec verba utrum ad ablativos absolutos an ad *incessit* pertineant, non satis certo constitui potest; utrumque enim licet. Tamen et locus pronominis et oppositionis ratio magis suadet, ut ad enuntiatum secundarium in ablativos decurtatum referamus, eo structurae genere, de quo egimus ad c. 1, 3. cf. Curt. III, 8, 24. *Tunc consistere agmen iubet, armisque ipse sumptis aciem ordinat.* Tac. Ann. XIV, 26, 1. *Atque ipse legionibus citis.* Germ. 37, 4. *Quid aliud nobis amisso et ipse Pacoro, Oriens obiecerit?*

XXVI. 1. *ut maxime invalidam*] i. e. *hanc caussam habentes*, quod maxime invalida esset; v. ad c. 14, 4 *Invalida* autem fuit non quia ante unum et viginti annos pugna ad Camulodunum paene attrita erat (cf. Ann. XIV, 32.), — nam eodem anno novis militibus suppleta est, Ann. XIV, 38, 1. nec, si olim invalida fuit, per viginti annos in eo statu permansisse credibile est, — sed quia ex illis tribus exercitus partibus quas Agricola fecerat, minimo constabat numero; cf. Ann. XIV, 58, 2. *Nec milites — aut validos numero aut animo promptos.*

inter — trepidationem] sc. *castrorum, militum.* Coniungenda esse haec verba cum *irrupere*, non cum *caesis vigilibus*, per se patet, et interpunctione indicavimus.

2. *pugnabatur*] Ita Vat. Γ. Δ. Vulgo *pugnabant*, ex Puteolani mutatione.

vestigiis insecutus] Dictio militaris, qua ablativus loci in adverbii vim abiit (germanice *auf der Ferse folgend*); cf. Liv. VI, 32, 10. *Quum Romanus exercitus prope vestigiis sequeretur.* IX, 45, 16. XXVII, 2, 10. v. Roth. ad Agric. §. XIII. p. 167 sqq.

assultare] i. e. *impetum facere*; cf. Ann. II, 13, 3. *Tertia ferme vigilia assultatum est castris.*

propinqua] i. e. adventante, = sole oriente.

fulsere signa] sc. *legionum*, quae praegressos equites sequebantur.

3. *ancipiti malo*] sc. *in castris*, militibus acriter resistentibus, et *extra castra*, Agricola instante; cf. Sall. Iug. c. 38, 5. ubi v. annot. nostr. ed. II.

rediit] Vat. Γ. Δ. *redit.*

securi pro salute] *Securus* quia sensu idem est atque *non timens* (cf. Doederlin. Synonym. Lat. Vol.

3 fulsere signa. Ita ancipiti malo territi Britanni; et Romanis rediit animus, ac securi pro salute de gloria certabant. Ultro quin etiam erupere, et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsi hostes, utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur. Quod nisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret.

XXVII. Cuius conscientia ac fama ferox exercitus nihil virtuti suae invium, et penetrandam Caledoniam inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo proeliorum cursu
2 fremebant; atque illi modo cauti ac sapientes prompti post

III. p. 120 sqq. annot. nostr. ad Sall. Iug. 88, 2.), nihil obstat, quominus eodem modo cum *pro* construatur, quo dicitur *dolere pro* aliquo, *metuere pro* aliquo, *anxium esse pro* aliquo; cf. Hist. IV, 58, 1. *Nunquam apud vos verba feci aut pro vobis sollicitior, aut pro me securior.* Seneca de Const. sap. c. 2, 1. *Pro ipso quidem Catone securum te esse iussi.*

erupere] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *irrupere*, ex Puteolani mutatione. — *Ultro erupere* dictum de *nonanis* iam, ubi animus iis redierat, de gloria certantibus, qui non solum ingressos in castra hostes fortiter opprimerent, sed *adeo* in eos, qui deinceps invadere conarentur, *eruptionem tentarent*, unde *atrox in ipsis portarum angustiis proelium.*

utroque exercitu] sc. et oppugnato in castris, et in auxilium adventante.

ut tulisse] Vat. *Γ. Δ. intulisse.* Correxit scite Puteolanus; *ut* enim poscit oppositorum ratio, infinitivum respuit structurae pariter atque dictionis insolentia et perversitas; nunquam enim dixerunt Latini *opem* vel *auxilium inferre.* — Ceterum ex verbis patet rem confectam fuisse hostesque e castris eiectos et in fugam versos, *antequam Agricola cum exercitu ad ipsa castra adesset.* Laeta enim rerum mutatio in castris effecta est sola *spe certa*, Agricolam cum legionibus mox adfuturum; quae *spes* quum oppugnatis caussa fuisset redintegrati animi et fortissimae defensionis, qui eam spem praebuerant, videri volebant *opem tulisse;* contra oppugnati, quia *sine armis legionum* ipsi hostibus superiores facti erant, contendebant *auxilio se non eguisse.*

debellatum — foret] i. e. bellum finitum foret; cf. Liv. XXIII, 40, 6. *Debellatum eo proelio in Sardinia esset, ni classis Punica — advenisset.*

XXVII. 1. *conscientia*] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *constantia*, ex Puteolani mutatione. *Victoriae conscientia* militum est de se et fortitudine sua opinio victoriâ orta; — *victoriae fama* hominum Britannorum est iudicium et late excitata ac vulgata admiratio virtutis Romanae (Germ. fere est *der Eindruck*, nec male Rothius *das Aufsehen*, *das er machte*). Utrâque *ferox* factus exercitus, i. e. *elatus et pugnandi cupidus* (*kampfmuthig, streitbegierig*); cf. c. 11, 5. 31, 4. Hist. II, 76, 3.

et penetrandam] Vat. *Γ. Δ. et penetrandum.* Correxit Puteolanus, sed *et* male omisit.

proeliorum] Vat. *Γ. Δ. proelium,* Correxit Rhenanus.

eventum ac magniloqui erant. Iniquissima haec bellorum condicio est; prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. At Britanni, non virtute, sed occasione et arte ducis 3
elusos rati, nihil ex arrogantia remittere, quominus iuventutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent. Atque ita irritatis utrimque animis discessum.

2. *illi — sapientes*] *Illi* cum irrisu et vituperatione (v. ad c. 2, 2.) dictum de iis, qui c. 25, 4. dicuntur *ignavi specie prudentium*. Quare *prompti* quoque non de vera et animis insita fortitudine intelligendum, ut c. 3, 3., sed fictam, simulatam et mentitam pugnandi cupiditatem indicat.

condicio] Germ. *die Seite*.

uni] sc. *duci*. Ita Vat. *Γ. Δ. cum* Puteol.

3. *elusos*] Deest haec vox, quae coniecturae Walchii debetur, in Vat. *Γ. Δ.* Excidisse enim aliquod vocabulum tam in aperto est, ut fere omnes editores concedant, quamquam alius aliud tentavit. Quod quale fuerit ut aliqua probabilitate assequamur, tenendum est verbis *non virtute — rati* respici ad *cladem illam in castris nonae legionis acceptam*, quam Britanni sibi persuaserant non virtute Romanorum sibi illatam; sed res fortuitas sibi offecisse. Ex arrogantia igitur quum nihil remitterent, quia *non victos se* contendebant, necesse est vel *victos*, vel *superatos* vel simile vocabulum excidisse. Ad sensum hoc sufficeret. Sed si praeter sensum etiam quaerimus et quo loco et qua caussa vocabulum necessarium excidere potuerit, nihil magis commendatur, quam quod Walchius coniecit *elusos* ante *rati* similitudine et propinquitate *ducis* interceptum esse; *du* enim et *elu* syllabae vix differunt, *cis* et *sos* autem praesertim in mala scriptura valde similes sunt, ut, vocabulis iuxta positis, facile alterum a scriba transiliri potuerit. Multo maiorem autem quam externa specie *elusus* habet sensu probabilitatem, quippe qui prorsus egregie verbis *occasione et arte ducis* conveniat. *Eludere* enim, vel absolute dictum (Ann. III, 74, 1 IV, 25, 3. XIV, 28, 1.) vel cum acc. personae aut rei coniunctum (cf. Ann. XIV, 62, 1. *Suspicio — elusa erat*. II, 52, 3. *Ne bellum metu eluderent.*), quum sit *frustrari*, *irritum reddere*, *elusi* h. l. dicuntur, qui *irriti sunt* (v. ad c. 22, 3.) ac sperato successu exciderunt. *Elusos* autem quum se dicant Britanni, quia fateri nolunt *victos se esse*, id ipsum per zeugma cogitandum est ad verba *non virtute*, quo dicendi genere nihil est frequentius apud Tacitum; v. ad c. 3, 1. 12, 6. 13, 1. Non minus frequentem esse omissionem pronominis personalis in structura acc. c. inf., vix est, quod moneatur.

occasione] Haec vox h. l. non eam vim habet, quam explicuimus ad c. 14, 4. sed significat *fortuito casu*.

arte ducis] *Ars* h. l. Britannorum mente vix differt a *dolo*, siquidem Agricola, *speculatus* hostium iter improviso adventu suo illorum conatus eluserat.

ex arrogantia] *Arrogantia* in eo cernebatur, quod maiorem sibi quam Romanis virtutem tribuebant.

XXVIII. Eadem aestate cohors Usipiorum per Germanias conscripta et in Britanniam transmissa magnum ac me-
2 morabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immisti manipulis sxemplum et rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendere; et uno remigante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum prae-

quominus — armarent] v. ad c. 20, 2.

sancirent] i. e. confirmarent.

utrimque] sc. et a Britannis et a Romanis.

discessum] sc. *in hiberna*, aestate sexti anni consumptâ. His enim verbis absolvi narrationem de rebus anni sexti, luce clarius patet ex eo, quod capite sequente *digressio* continetur de re *media aestate* facta.

XXVIII. 1. *Usipiorum*] cf. Germ. 32, 1. *Proximi Chattis — Usipii ac Tencteri colunt.* Iidem Ann. I, 51, 2. *Usipetes* vocantur, quemadmodum apud Caesarem ubique.

Germanias] v. ad c. 15. 4.

et in Britanniam] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *et* omissum, ex Puteol. mutatione.

2. *Occiso centurione* etc.] Eandem rem tradit etiam Dio Cass. LXVI, 20., in levioribus a Tacito discrepans. Illa Usipiorum cohors haud dubie ex iis copiis fuit, quibus Agricola, ut supra c. 24, 1. demonstratum est, *eam partem Britanniae, quae Hiberniam aspicit, instruxerat.*

ad tradendam disciplinam etc.] Intelliguntur *armorum doctores* et *campi doctores*, quorum illi tironibus armorum omnis generis scientiam et usum tradebant, hi eos docebant ambulare, ordines servare, laxare, contrahere, mutare, aciem dirigere, cetera omnia, quae ad militare exercitium pertinent; cf. Veget. I, 13.

immisti manipulis] Vat. *Γ. Δ. immistis manipulis.* v. ad c. 3, 3.

habebantur] i. e. *in castris erant* ex instituto militari. *Haberi* enim dicuntur omnes, qui quadam necessitate in aliqua condicione versantur; cf. Ann. XIII, 30, 1. *Praefectus remigum, qui Ravennae haberentur.* XII, 66, 2. *Locusta — diu inter instrumenta regni habita.*

uno remigante] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *remigrante*, ex Puteolani mutatione. *Remigare*, quod per se non valet *gubernare navem*, h. l. consulto positum videtur propterea, quod tres liburnicae, quibus unus modo gubernator esset, iusto et consueto modo *gubernari* non poterant. Quare *remigare* latiore sensu significat *remiges moderari*, i. e. *remigio* trium navium, haud dubie inter se remulco copulatarum, *pro rerum copia instituto naves promovere.* Ceterum *uno remigante* ablativus modi est, quo *praevehebantur* definitur; qui autem sequuntur ablativi *suspectis — interfectis*, caussam continent, cur *unus* remigaverit. Praegnanti enim sensu *unus* valet *unus tantum*, *unus modo*, cf. infra 45, 1. Germ. 19, 3. 24, 1. 45, 7. Hist. I, 89, 2. *Ex quo divus Augustus res Caesarum composuit, procul et in unius sollicitudinem aut decus populus Romanus bellaverat.* Caes. B. G. III, 14. 5. *Una erat magno usui res praeparata a nostris.*

nondum vulgato rumore] sc. *quantum illi facinus ausi essent.* Haec

vehebantur. Mox ad aquam atque utilia rapientes cum pleris- 3
que Britannorum sua defensantium proelio congressi, ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. Atque 4
ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro praedonibus habiti, primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt. Ac fuere, quos per commercia venundatos

ipsa autem caussa fuit, quod tam insolita navigatio pro *miraculo* habebatur.

praevehebantur] i. e. *praetervehebantur;* cf. Ann. II, 6, 3. *Rhenus — servat nomen et vehementiam cursus, qua Germaniam praevehitur.* Hist. II, 2, 2. *Titus — oram Achaiae praevectus.* V, 23, 3. Similiter dicitur *praefluere* pro *praeterfluere*, Ann. XV, 15, 1., *praeferre* pro *praeterferre*, Ann. VI, 35, 4. De imperf. v. ad c. 5, 4.

3. *Mox ad aquam atque utilia rapientes cum plerisque*] Vat. *Γ. Δ. mox ad aqua. Atque ut illa raptis secum plerisque.* Vulgo *mox hac atque illa rapti et cum plerisque*, ex coniectura Rhenani. — Quam in textu expressimus scripturam, haud violenta loci corrupti mutatione effectam, eam Haasius praeivit, nisi quod pro *ad aquam atque* habet *ad aquantes et quae*, bono quidem sensu, sed praeter necessitatem. Recte vero idem emendavit *rapientes* pro *rapturi*, quod olim nobis placuit. Verbis *ad aquam atque utilia rapientes* duplex continetur caussa, cur Usipii cum Britannis pugnaverint. *Ad* praepositione quum proprie vicinitas designetur, verba *ad aquam* significant *in aquatione*, i. e. *si ad aquam petendam in terram egressi essent.* Primae huic certaminis caussae adiungitur altera eaque gravior: *atque utilia rapientes.* Aufugientes enim Usipii, quum alimentorum inopia laborarent, cogebantur hic illic exscensione facta *res ad victum necessarias* rapere. Quae quum vulgo *utensilia* (Germ. *Bedürfnisse*) dicantur (cf. Ann. I, 70, 4. II, 2, 4. II, 60, 4. XV, 39, 2.), eo minus dubitari potest, quin a Tacito *utilia* appellata fuerint, quod Sallustius eodem modo locutus est; cf. Hist. Fragm. II, 50, 6. *Imperatores Hispaniae — neque manu certare possunt, neque utilia parare.* Iug. 86, 1. *Marius — commeatu, stipendio, armis aliisque utilibus naves onerat.*

aliquando] v. ad c. 9, 7.

ad extremum] Respondent haec vi *postremo* adverbii praecedentibus particulis *saepe — aliquando;* cf. Cic. Epp. ad Attic. II, 21. *Quum diu occulte suspirassent, postea iam gemere, ad extremum vero loqui omnes et clamare coeperunt.* Quare noli *extremum* coniungere cum *inopiae* genitivo, qui pendet ex *eo* voce.

mox] Refertur haec vox ita ad praecedentia, quasi *primo* praecesserit. cf. c. 26, 2.

4. *ita circumvecti*] Ita Vat. *Γ. Δ.* In multis edd. rec. *ita* omissum. Voculae, quam immerito prorsus supervacaneam dicit Orellius, sensus est: *in tantis miseriis.* Praecedentia enim in unum comprehenduntur; v. ad c. 10, 1. 22, 3. — *Circumvecti Britanniam*, sc. a parte meridionali, quae freto Gallico alluitur.

et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos indicium tanti casus illustravit.

XXIX. Initio aestatis Agricola domestico vulnere ictus. Anno ante natum filium amisit; quem casum neque, ut plerique fortium virorum, ambitiose, neque per lamenta rursus ac maerorem muliebriter tulit. Et in luctu bellum inter remedia
2 erat. Igitur praemissa classe, quae pluribus locis praedata

amissis — navibus] sc. duabus illis, quae sine gubernatore erant. *Amissis* igitur est: *aberrantibus a nave principali* (Germ. *nachdem sich — verloren hatten*).

primum — mox — intercepti sunt] Verbis *primum — mox* non significatur bis interceptos fuisse eosdem, sed alios post alios, prout pars in Suevos, pars deinde in Frisios errabundi incidissent. *Suevi* autem generali nomine (cf. Germ. c. 38, 1.) dicti videntur, qui inter Visurgim atque Albim ad oceani Germanici oram habitabant.

per commercia] cf. Germ. 24, 4.

in nostram — ripam] i. e. in sinistram Rheni ripam.

mutatione ementium] i. e. quum deinceps ab iis, qui emerant, rursus venderentur (Germ. *durch den Weiterverkauf der ersten Käufer*).

indicium] i. e. narratio rei plane incognitae. — *Casus* = *Abenteuer.*

fuere — quos — illustravit] Indicativus positus, quia nude res facta enuntiatur; sensus enim est: *nonnullos ex iis indicium — illustravit.*

XXIX. 1. *Initio aestatis*] sc. septimae, a. 84. p. Chr. cf. c. 34, 1. *Hi sunt, quos proximo anno, unam legionem — aggressos, clamore debellastis.*

ictus] sc. *est.* Vulgo sic interpungitur: „Agricola, domestico vulnere ictus, anno ante natum filium amisit," perverso cogitandi ordine, siquidem *vulnere ictus est filio amisso*, sed non *eo, quod vulnere ictus est*, vel *quum vulnere ictus esset filium amisit.* In promptu est Tacitum, ut evitaret ingratum sonum *anno ante nato filio amisso*, haec in duo enuntiata paria eaque asyndeta diremisse, quorum alterum rem indefinite significaret, alterum definitam subiiceret; cf. c. 7, 1. qui locus, si a *nam* particula discesseris, plane geminus est.

casum] = *Schicksal.*

ambitiose] i. e. ita, ut vanam stoicae fortitudinis gloriam captans dolorem dissimularet, quasi mors filii nihil ad se pertineret. *Ambitionis* enim sunt, quaecunque ad ostentationem composita sunt; cf. c. 42, 5. *Ambitiosa morte inclaruerunt.* v. ad c. 1, 2.

rursus] i. e. *contrario modo, contra;* cf. Ann. I, 80, 2. *Neque enim eminentes virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat.* Hist. I, 1, 2.

inter remedia erat] Similiter Tiberius Druso filio mortuo. Ann. IV, 8, 3. *Se tamen fortiora solatia e complexu rei publicae petivisse.* IV, 13. 1. *Negotia pro solatiis accipiens.*

2. *pluribus locis*] Germanice: an *der Mehrzahl* der Orte. cf. Hist. I, 83, 1. *Cum optimus quisque remedium praesentis licentiae posceret, vulgus et plures — ad civile bellum impellerentur.* Ann. III, 1, 2. *Pars officium in principem rati, plures illos secuti.* Sall. Iug. 13, 2.

magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Graupium pervenit, quem iam hostis insederat. Nam Britanni, nihil fracti pugnae prioris eventu, et ultionem 3 aut servitium exspectantes, tandemque docti commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. Iamque super triginta milia 4 armatorum aspiciebantur, et adhuc affluebat omnis iuventus et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello et sua quisque decora gestantes, quum inter plures duces virtute et genere

expedito] i. e. impedimentis non tardato.

Graupium] Ita Vat. Γ. Δ. Vulgo *Grampium*, ex Puteolani mutatione.

hostis insederat] Ita Vat. Γ. Δ. Vulgo *hostes insederant*, ex Puteolani mutatione.

3. *pugnae prioris*] i. e. superiore anno factae; cf. c. 26.

exspectantes] *Ultio* et *servitium* quum diverso modo animum afficiant, utrumque simul non potest *exspectari;* quare per zeugma ad *ultionem* ex verbo *exspectantes* trahendum est *quaerentes* vel *parantes;* scilicet eo animo Britanni summam rem in discrimen dabant, ut aut ultionem *explerent*, aut servitium *subirent*. — *Exspectare aliquid* h. l. est: *auf etwas gefasst sein.*

tandemque docti etc.] cf. c. 12, 1.

legationibus et foederibus] Nulla caussa est, cur haec per hendiadyn dicta putes pro *foederibus per legationes ictis.* Alias enim civitates exciebant legationibus missis, alias foederibus factis.

4. *cruda ac viridis senectus*] Dictio expressa ex Virgilio Aen. VI, 304. *Sed cruda deo viridisque senectus. Crudum*, quod proprie significat *coctione nondum mollitum*, translate dicitur id, quod *nondum fractum* est, *viribus integris et imminutis.* Idem fere inest in *viridis* voce, metaphora a virente planta vel arbore ducta.

et sua] Ita Vat. Γ. Δ. Vulgo inde a Rhenano *ac sua.*

decora] Ea putanda sunt vel *praemia* fortitudini tributa, vel *spolia* de hostibus capta.

praestans] Substantive positum = *unus aliquis praestans*, *homo praestans;* cf. c. 5, 4. *eminentes* et v. ad c. 4, 4. Eckstein. ad Dialog. c. 6, 6.

Calgacus] Ita Vat. Γ. Δ. In multis edd. est *Galgacus.*

XXX. 1. *Quotiens — intueor*] In exordio orationis, quam tribuit Calgaco, Tacito obversatus esse videtur locus ex Sallustii Catil. 58, 18. *Quum vos considero, milites, et quum facta vostra aestumo, magna me spes victoriae tenet.*

caussas belli] Eae positae in Romanorum avaritia, insolentia, crudelitate; cf. c. 15, 2 sqq. 19, 1. 5.

necessitatem] *Necessitas* est condicio talis, quae nullum malorum effugium habet (Germ. *verzweifelte Lage*); unde aut vincendum aut moriendum; cf. Ann. I. 67, 1. *Contractos in principia — temporis ac necessitatis monet.* I, 9, 2. *Octavianum necessitudine rei publicae — ad arma civilia actum.*

magnus mihi animus est] i. e. magnopere confido; *animus* enim

praestans, nomine Calgacus, apud contractam multitudinem proelium poscentem in hunc modum locutus fertur:

XXX. Quotiens caussas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensum-
2 que vestrum initium libertatis toti Britanniae fore. Nam et universi servitutis expertes, et nullae ultra terrae, ac ne mare quidem securum imminente nobis classe Romana. Ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis
3 tutissima sunt. Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris ma-

h. l. de *fiducia ac spe* dicitur; cf. Sall. Cat. c. 40, 6. *Nominat socios, praeterea multos cuiusque generis innoxios, quo legatis animus amplior esset.*

toti Britanniae] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *totius Brit.*, ex Puteolani mutatione. cf. Ann. I, 5, 2. *Auditos Marciae gemitus semet incusantis, quod caussa exitii marito fuisset.*

2. *servitutis expertes*] Ita dicuntur, qui servitutem neque receperunt adhuc, neque recepturi sunt; *expertes* igitur non differt ab *ignari.* Ceterum hic supplendum est *sumus*, in proximo *sunt*, in tertio enuntiato *est.*

nullae ultra terrae] i. e. extremas orbis terras habitamus, unde, hostibus urgentibus, non est in remotiora refugium; cf. §. 4.

securum] Quum mare efficiat, ut *accolae securi esse possint*, audaciore translatione securitas *rei* tribuitur, quae *personarum* modo est; v. ad c. 9, 2. Similiter Livius XXXIX, 1, 6. *Hostis* (erat) *levis, — qui nullum usquam tempus, nullum locum quietum aut securum esse sineret*, i. e. qui *Romanos* nullo tempore, nullo loco *quietos aut securos* esse sineret.

Ita proelium etc.] *Ita* particula quum in progressu orationis ea, quae ante dicta sunt, in unum comprehendant, vim habet iutegrae enuntiationis *quae quum ita sint;* cf. c. 10, 1. 12, 2. 31, 4.

honesta] i. e. *honorifica*, ut c. 33, 8; v. annot. ad Sall. Cat. 20, 9. p. 102. ed. I.

etiam ignavis tutissima sunt] Non est sententia generalis, sed *ignavi* intelligendi *ii ex vobis, qui ignavi sunt*, id quod patet ex *ita* voce. — *Tutum* h. l. activo sensu significat *id, quod tutos praestat;* cf. c. 31, 4. *Secretum ipsum quo tutius, eo suspectius.* Hist. I, 62, 1. *Nihil in discordiis civilibus festinatione tutius.* Germ. 36, 2. Sall. Cat. 58, 9. *Si vincimus, omnia nobis tuta sunt.* Iug. 74, 3. *Numidis in omnibus proeliis magis pedes quam arma tuta sunt.*

3. *Priores pugnae — spem — habebant*] i. e. *in prioribus pugnis — spes ac subsidium* (sc. Britannorum) *in nobis erat positum.* Quippe ita inversa est enuntiati conformatio, ut, quod attributum praedicati esse debebat, subiectum factum sit, de qua Taciti consuetudine v. ad c. 6, 3. Sententia loci haec est: prioribus pugnis si quid incommodi acciperetur, spes erat pugnantibus id *nostra* fortitudine et auxilio reparari posse; quae spes nobis nulla est.

nibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae, iique in ipsis penetralibus siti, nec servientium litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus 4
famae in hunc diem defendit, atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nunc terminus Britanniae patet. Nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium ac modestiam effugeris. Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, 5

nobilissimi] Ita Caledonii a Calgaco dicuntur, quia advenis non mixti soli aborigines sive autochthones habebantur; cf. Caes. B. G. V, 12, 1. *Britanniae pars interior ab iis colitur, quos natos in insula ipsi memoria proditum dicunt.*

iique — siti] Vat. *Γ. Δ. eoque — siti*, ut vulgo editur. Sed frustra haec cum praecedentibus conciliantur. Absurdum est enim gentem aliquam, *quia nobilissima sit, propterea* in terrae penetralibus sitam esse, nihilque egerunt, qui dicunt, res pretiosissimas in penetralibus asservari solere, unde iam apud Homerum *κειμήλια ἐν τοῖς μυχοῖς κείμενα;* quasi vero gentes rerum instar sint, quae, ne corrumpantur aut auferantur, in armariis atque scriniis conduntur. Nobis non dubium est, quin Tacitus scripserit *iique*. Tres enim caussae afferuntur, cur citeriores Britanni in Caledoniis spem ac subsidium haberent; prima erat summa illorum nobilitas; ad eam accedebat altera, *quod in remotissimis terris habitabant*; tertia erat, quod soli adhuc libertate integra utebantur. — De voce *siti* v. annot. ad Sall. Hist. Fragm. IV, 20, 17.

servientium litora] Intelligenda videntur Galliae litora. De simili sententia cf. c. 24, 5.

oculos quoque] Tecta in his inest oppositio: *non corpora modo, sed* oculos quoque; cf. c. 16, 4. *barbari quoque.* 31, 3. *etiam conservis.* Germ. 10, 3. 9, 1.

contactu] Ita Vat. *Γ. Δ.*; *contractu* Puteol. *Oculorum contactus dominationis* haud absimili modo dictum est atque Ann. III, 12, 4. *Nudare corpus et contrectandum vulgi oculis permittere.*

4. *terrarum ac libertatis extremos*] Germ. *die Letzten auf dem Erdkreis und in der Freiheit. Extremos* ad *terrarum* relatum loci, ad *libertatis* temporis vim habet. *Terrarum extremi* dicuntur, ultra quos nullae terrae sunt; *libertatis extremi*, qui libertatem diutius quam ceteri omnes retinuerunt. Utroque respicitur ad antecedentia *in ipsis penetralibus siti*, et *oculos quoque — habebamus.*

recessus] i. e. longinquitas regionis nostrae, remota a subiectis Britanniae partibus terra nostra (*zurückgeschobene Lage*).

sinus famae] Quoniam Romani, si quid fovere ac tueri vellent, sinu id recipere solebant, unde notae dictiones *in sinu esse*, *in sinu gestare*, per metonymiam *sinus* a Tacito dicitur *tutela*, *quae sinu tanquam involucro et integumento efficitur.* cf. Seneca Ep. 103, extr. *Quantum potes, in philosophiam decede; illa te sinu suo proteget; in huius sacrario eris aut tutus, aut tutior.* Quare *sinus fa-*

iam et mare scrutantur; si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens satiaverit.
6 Soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.

XXXI. Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit. Hi per delectus alibi servituri auferuntur; coniuges sororesque, etiamsi hostilem libidinem effugiant, no-
2 mine amicorum atque hospitum polluuntur. Bona fortunae-

mae significat *tutamentum*, *quod fama nobis praebebat*, quam sententiam etiam sic licet invertere: *fama, quae tanquam sinus tutans nos complexa est.* — *Fama* intelligenda est *fortitudinis et invictae virtutis*, quippe quae tanta esse putaretur, ut nullus hostis ad eos accedere auderet.

atque omne ignotum pro magnifico est] Haec verba in Vat. *Γ. Δ.* et in omnibus edd. perverse leguntur post — *patet.* Ea in locum suum reposuit Schoemannus in Ind. scholl. Univers. Gryphisw. a. 1859 — 60. p. 14. Ad ea supplendum est: *quam diu igitur ignoti fuimus, pro magnis et invictis habebamur.*

nunc terminus Britanniae patet] Haec in Vat. *Γ. Δ.* et edd. omnibus leguntur post *defendit.* Correxit Schoemannus; v. annot. praecedentem. Supple: *desiimus igitur magnifici esse.* — *Nunc*, sc. postquam Romani cum exercitu ad nos progressi sunt. — *Terminus Britanniae patet*, i. e. patet, quod antea parum constabat, ultra Caledoniam non porrigi Britanniam sed cum hac terminari.

infestiores] sc. *quam haec*, i. e. maiora nobis pericula minitantes quam fluctus et saxa. Ita Vat. *Γ. Δ.*; *inferiores* Puteol.

per obsequium etc.] cf. c. 42, 5. Ad sententiam cf. Germ. 36, 2.

5. *Raptores orbis* etc.] Dubitari nequit, quin Tacitus hic ante oculos habuerit, quae Sallustius in Historiis (Fr. IV, 19, 17. ed. I.) Mithridatem similiter Romanis obiicientem facit.

terrae, iam et mare] Vat. *Γ. Δ. terram et mare*, quod Halmius vidit corruptum esse ex *terrae, iam et mare.*

mare scrutantur] i. e. mari ad ignotas terras accedunt; cf. Germ. 34, 4. *Obstitit Oceanus in se — inquiri.*

avari] i. e. praedam sectantes et pecunias extorquentes; — *ambitiosi*, i. e. gloriam quaerentes.

6. *opes atque inopiam* etc.] i. e. *et magnis opibus inhiant, neque parvas respuunt.* Haec quoque ex Sallustio ducta videntur; cf. Cat. 11, 3. *Avaritia — neque copia neque inopia minuitur.*

ubi solitudinem faciunt] *Ubi* non loci sed temporis vim habere in promptu est. Sensus enim est: *quum* sol. faciunt, *tum id* pacem appellant.

falsis nominibus] cf. Sall. Cat. 51, 11.

XXXI. 1. *alibi servituri*] i. e. ut aliis in regionibus serviant stipendia in exercitu Romano merendo; cf. Germ. 18, 3.

etiamsi] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *et si* a Puteolano, vel *etsi* ab Ernestio. *Etiamsi* significat *si vel maxime*, quo ponitur aliquid vulgarem condicionem excedere.

nomine — polluuntur] i. e. ab iis,

que in tributum, ager atque annus in frumentum, corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis inter verbera ac contumelias conteruntur. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur; Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. Ac sicut in familia re- 3
centissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur. Neque enim arva nobis aut metalla aut

qui falso amicos se atque hospites nominant, corrumpuntur.

2. *Bona fortunaeque*] Vat. *Γ. Δ. bona fortunae quae.* Vulgo *bona fortunasque*, ex mutatione Rhenani; — *bona fortunaeque* Ecksteinius.

ager atque annus] Vat. *Γ. Δ. aggerat annus.* Correxit Fr. Iacob. Vulgo *bona fortunasque in tributum aggerant, annum in frumentum.* — In corrupta codd. scriptura *aggerat* latere *ager atque* ostendit universa sententiae ratio et periodi conformatio, in qua nullus est neque *aggerendi* neque *aggerandi* verbo locus. Ut summam arguat Romanorum avaritiam et duritiem, Calgacus *tria* affert, singula maioris gravitatis caussa duobus synonymis composita, quae pariter ab illis, ut cupiditatem suam expleant, *conterantur*, i. e. *paulatim absumantur et ad nihilum redigantur* (cf. Sall. Cat. 4, 1. *socordia atque desidia bonum otium contererе*). Conteruntur enim *bona fortunaeque*, i. e. *pecuniae*, ad tributum solvendum, conteritur *ager atque annus*, i. e. *agriculturae fructus annuus*, ad frumentum imperatum praebendum, conteruntur denique *corpora ac manus*, i. e. *homines ipsi*, ad silvas ac paludes emuniendas. — De *in* c. acc. finem denotante v. ad c. 8, 3. — *Annus* de *proventu agri annuo* legitur etiam Germ. c. 14, 4.

silvis ac paludibus emuniendis] i. e. *viis per silvas ac paludes faciendis* (*gangbar machen*), quod fiebat illis excidendis, aggeribus per has struendis. cf. Ann. I, 56, 1. *L. Apronio ad munitiones viarum et fluminum relicto.*

conteruntur] Vat. *Γ. Δ. conterunt*, ut vulgo editur. Passivum, quod Iacobus restituit, utique necessarium esse, non solum efficitur pari trium enuntiati membrorum conformatione, qua sublata tota perit sententiae vis gradatione quaesita, sed planissime eo perspicitur, quod universa iniuriam Britannis illatarum descriptio per passiva procedit *auferuntur*, — *polluuntur*, — *conteruntur*, — *petimur*, — *reservemur.* — Quae concinnitas quam non patiatur activum interponi, in oculos incurrit.

inter verbera ac contumelias] Ita Vat. *Γ. Δ.* — Vulgo *verbera inter ac cont.*, ex mutatione Rhenani. — *Contumeliae* Germ. sunt *schmähliche Behandlung.*

nata servituti] In contraria re apud Sall. Iug. 31, 11. legitur: *vos, Quirites, imperio nati.* — Vell. II, 118. *Natum mendacio genus.*

ultro — aluntur] i. e. tantum abest, ut dominos alant, ut ipsi alantur a dominis; quod contra est in Britannis.

Britannia] Quoniam *Britannia* mancipiis servituti natis opponitur, nude positum vocabulum praegnanti sensu capiendum est *Britannia libera*, vel *B. quae libera esse debet.*

emit] sc. tributum pendendo ac

4 portus sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus; et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniae tandem sumite animum, tam quibus salus quam qui-
5 bus gloria carissima est. Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, ac, nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere; nos integri et indomiti et in libertatem non in poenitentiam arma laturi, primo

vexationum levationem pecunia parando.

pascit] sc. frumentum ac ceteras res large praebendo, quibus saevi domini aluntur et luxuriant. In hoc igitur praedicato *servitutis* notio confusa cum *oppressoribus*, *servitutem parantibus*.

3. *recentissimus*] i. e. *tempore ultimus*, sive *qui postremus ceteris additur*.

etiam conservis] Ita Vat. *Γ.*; *etiam* omissum in Vat. *Δ*. Vulgo *et conservis*.

novi nos et viles] i. e. *nos, quippe qui novi et viles simus.*— *Novi* autem sunt *servitutis adhuc expertes; — viles*, ex quibus nihil lucri est, quique ob id facile perduntur. Singulae autem gentes comparantur cum singulis in familia servis. Quorum ut recentes ludibrio habentur a conservis, ita Caledonii, quia tum primum petebantur, dicuntur peti in excidium.

in excidium] Supple: *neque ob commodum aliquod*. Quippe eo cernitur *ludibrium* hostium.

neque — nobis — sunt] sc. ut ceteris Britannis.

quibus exercendis] Germanice est: *zu deren Betrieb und Ausbeutung*. Recte enim Wexius: Omnes, qui *aliqua re quaestum faciunt*, a Latinis dicuntur *eam rem exercere;* cf. Ann. XI, 7, 1. *Quosdam exercendo agros tolerare vitam.* Germ. 29, 4. — Ita autem *arva, metalla, portus exerceri a Britannis* dicuntur, ut harum rerum labores penes ipsos sint, commoda et fructus penes Romanos.

4. *porro*] v. ad c. 15, 6. Altera hac voce caussa additur, cur Caledonii *in excidium petantur*. Quae quamquam generalis sententiae formam habet, tamen singula ad Caledonios spectant. Igitur *subiectorum* est: si subiecti fuerimus.

ferocia] Germ. *trotziger Muth*; v. ad c. 11, 5.

ingrata] v. ad c. 5, 4.

secretum ipsum] i. e. id ipsum, quod ignoti sumus, quia nulli adhuc hostes terram nostram intrarunt; cf. c. 25, 3. (Germ. *die Abgeschnittenheit.*)

tutius] v. ad c. 30, 2.

Ita] v. ad c. 30, 2.

5. *Brigantes femina duce*] sc. Boudicca, de qua dictum c. 16, 1. Quod Ann. XIV, 31, 3. in ea seditione *Trinobantes* memorantur, non *Brigantes*, eo factum, quod, quum multae gentes tum rebellarent, Calgacus h. l. eam nominat, quae et plurimum inter ceteras valeret, et Caledoniis proxima esset. Omnino enim magis oratorem agit quam historicum.

exurere coloniam] v. ad c. 16, 1.

potuere] Hoc verbum insolito zeugmatis genere ad *exurere* et *expugnare* relatum significat *valuerunt*, ad *exuere* est *valuissent*.

in libertatem non in poenitentiam arma laturi] Ita Vat. *Γ. Δ.*, nisi quod *arma* vox, proximâ syllabâ

statim congressu ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.

XXXII. An eandem Romanis in bello virtutem quam in pace lasciviam adesse creditis? Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt; quem contractum ex diversissimis gentibus ut secundae 2 res tenent, ita adversae dissolvent, nisi Gallos et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostes quam

absorpta, deest. Emendavit Wexius, collato Liv. VII, 25, 6. *Latinos pro sua libertate potius quam pro alieno imperio laturos arma.* Tac. Ann. IV, 48, 3. *Thraces — tanto infensius caesi, quanto perfugae et proditores ferre arma ad suum patriaeque servitium incusabantur.* — De *in* praepositione consilium et finem actionis indicante v. ad c. 8, 3. Sensus igitur est: „arma laturi, *quo libertatem tueamur, non quo poenitentia consilii nos capiat.*“ Poenitentia enim eorum est, qui nihil efficiunt, et *irrito armorum conatu* in deteriorem condicionem deveniunt, id quod Britannis antea rebellantibus acciderat. — Puteolanus scripsit: *et in libertatem non in praesentiam laturi.* — Rhenanus: *et libertatem non in praesentia laturi.*

congressu ostendamus] Ita Vat. *Γ. congressu ondamus* Vat. *Δ. congressu unde ostendamus* Puteol.

sibi — seposuerit] sc. ceterorum opibus iam fractis. *Seponere* simili sensu legitur Germ. 29, 2. Ann. XIII, 55, 1.

XXXII. 1. *lasciviam*] cf. c. 5, 2. 16, 5.

dissensionibus] cf. c. 12, 1. 2. — De *clari* voce v. ad c. 1, 1.

2. *tenent*] i. e. *continent etiamnum*, quod patet ex opposito *dissolvent*, i. e. *non amplius tenebunt.*

nisi] Vat. *Γ. Δ. nisi si*, et sic vulgo. Delendum esse *si* recte vidit Wexius. In ironia enim, qua excipitur aliquid, quod, quia absurdum est, vel quia *fieri non potest*, alterum negaturum esse ponitur, nunquam Latini dixere *nisi si*, sed *nisi forte*, vel simpliciter *nisi*. Ubi vero *nisi si* dicitur, quod sane frequens est, excipitur aliquid, quod *fieri posse* ponitur, Germ. 2, 2.; id quod alienum est ab hoc loco.

pudet dictu] Supinum quoniam substantivum verbale est, haec locutio proprie significat: *pudorem affert eo, quod dicitur*, vel *eo, si dicitur*, quod, quamquam mente aliter conceptum, sensu vix differt a vulgari *pudet dicere.* cf. Hist. II, 61, 1. *Pudendum dictu.* Quintil. I, 2, 8. VI, 4, 7.

commodent] Vat. *Γ. Δ. commendent.* Correxit Puteolanus. *Commodare* significat *utendum praebere;* cf. Liv. XXXIV, 12, 5. *Quamquam vereatur, ne suas vires, aliis eas commodando, minuat.* Sall. Cat. 16, 2. *Ex illis testis signatoresque falsos commodare.*

diutius — quam servos] Ita Vat. *Δ. diutius tamen servos hostes quam servos* Vat. *Γ.*, unde vulgatum *d. t. servos hostes.* Sensus est: quorum hostilis animus et odium *diuturnitate* plus valet quam *nupera* servilis patientia.

3. *ac terror*] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *et terror.* Ad sensum supple: *quo tenentur.*

3 servos, fide et affectu teneri putatis. Metus ac terror est, infirma vincla loco caritatis; quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt; nullae Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi sunt; aut nulla plerisque patria aut alia
4 est. Paucos numero, trepidos ignorantia, coelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia, circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos dii nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aspectus et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit ne-

vincla] Ita Vat. *Γ. Δ.*

loco caritatis] *Loco*, quod in Vat. *Γ. Δ.* deest, ex nostra coniectura scripsimus. Nam quomodo *metus ac terror* vincla *caritatis*, quamquam infirma, esse possint, nullo pacto intelligo. *Caritatis* vincula quum firmissima sint, *metus ac terror* non dici possunt *infirma* eius vincula esse, sed *pro* eius vinculis sunt. Quod autem *pro aliqua re* est, recte dici potest *eius loco* esse. Facile autem *loco* antecedentis syllabae similitudine absorberi potuit.

timere] Absolute i. q. *in timore esse.*

pro nobis sunt] i. e. a nostra parte stant, salutemque nobis promittunt.

exprobraturi sunt] i. e. adsunt, qui exprobrent.

aut nulla — aut alia est] *Nullam* patriam habere dicuntur ex Romanis, *qui domi nihil habent, quod iis carum sit, et pro quo pugnent*, nullum larem familiarem, nullos agros, nullas coniuges atque liberos. — *Aliam* habent, qui non *Romani* sunt, sed exterarum nationum; quare, quum in Romano exercitu merent, non pro sua patria pugnant, sed pro *alieno* imperio.

4. *paucos numero*] sc. si cum Britannis comparentur; cf. c. 15, 3. De vocabulo *numero* pleonastice posito v. annot. ad Sall. Iug. 53, 4. ed. I.

trepidos ignorantia] Vat. *Γ. Δ. circum trepidos ignorantia.* Irrepsisse *circum* ex sequenti versu primus vidit Heumannus. *Ignorantiam* intellige *omnium rerum, imprimis locorum.*

ignota omnia] Germ. *lauter unbekannte Dinge*, de quo usu *omnis* vocis v. ad Sall. Cat. 59, 3. ed. II. Haec verba, quae vulgo pro obiecto *circumspectantes* verbi habentur, appositionem esse praecedentium, ipsa interpunctione significavimus.

circumspectantes] Ita Vat. *Γ. Δ. circum spectantes* Doederl. et Wexius. Praegnanti sensu *circumspectare coelum, mare, silvas* significat *pavide aspicere* sive *pavere coelum* etc.; *circumspectant* enim, qui sibi atque rebus suis non satis fidentes oculos circumferunt et quaerunt, quod tanquam certum et firmum amplectantur; cf. Cic. Tuscc. I, 30, 73. *Itaque dubitans, circumspectans, haesitans, multa adversa reverens, tanquam rate in mari immenso nostra vehitur oratio.*

vinctos dii] Ita Vat. *Γ. Δ. victos alii* Puteol. *Vincti*, quia se movere non possunt, pro *valde impeditis et quasi defixis* (cf. c. 34, 3.) dicuntur; cf. Hist. I, 79, 2. *Sarmatae — lubrico itinerum adempta pernicitate velut vincti caedebantur.*

vanus aspectus etc.] i. e. *vanarum rerum aspectus, qualis est auri fulgor atque argenti.* Per hendiadyn igitur haec continentur.

que vulnerat. In ipsa hostium acie inveniemus nostras ma- 5
nus; agnoscent Britanni suam caussam, recordabuntur Galli
priorem libertatem, deserent illos ceteri Germani, tamquam
nuper Usipii reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis; 6
vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et iniuste
imperantes aegra mancipia et discordantia. Hic dux, hic 7
exercitus; illic tributa et metalla et ceterae servientium poenae,
quas in aeternum perferre aut statim ulcisci in hoc campo est.
Proinde ituri in aciem et maiores vestros et posteros cogitate.

quod neque tegit etc.] i. e. quod neque *armorum* neque *telorum* vicem praestat.

5. *nostras manus*] i. e. copias animo in nos propensas et pro nobis pugnaturas.

agnoscent — caussam] i. e. agnoscent Britanni, in Romano exercitu militare coacti, caussam, pro qua nos pugnamus, suam caussam esse.

priorem libertatem] cf. c. 11, 5.

illos] i. e. *hostes*. cf. §. 1.

tamquam] i. e. *pariter atque, quemadmodum*, quae vis particulae obtinet, ubi non similitudinem duorum *nominum* ex uno praedicato pendentium designat, sed duo *praedicata* diversorum nominum sibi aequiparat; illud germanice est *gleichsam*, hoc *gleichwie;* cf. Cic. Tusc. V, 5, 13. *Tamquam levia quaedam vina nihil valent in aqua, sic Stoicorum ista magis gustata quam potata delectant.* de Devinat. II, 17, 38. *Id ipsum habet aliquid divini, quae cuique hostia obtingat, tanquam in sortibus, quae cuique ducatur.*

6. *ultra*] sc. *si hoc proelio vicerimus. — Formido* est, *quod formidinem facere possit*; v. ad Sall. Iug. 23, 1. ed. II. — De conformatione enuntiati v. ad c. 9, 3.

senum coloniae] De *coloniis* v. ad c. 5, 3. Eae *senum esse*, i. e. *ex senibus constare* dicuntur, quia veterani eo missi; cf. Ann. XIV, 31, 4.

aegra mancipia] Vat. *Γ. Δ. egra municipia;* margo Vat. *Γ.tetra mancipia*, illud falso, hoc recte. Verba per appositionem pertinent ad praecedentia *senum coloniae*, quae vocantur *aegra mancipia et discordantia*, i. e. *mancipia invalida* (aetate et laboribus confecta) *et discordantia* (disciplinae oblita et seditiosa, v. ad c. 16, 5.), et ad hoc in medio quasi collocata inter *male parentes* (oppidanos invite parentes et rebellandi occasionem quaerentes) atque *iniuste imperantes* (centuriones duros, immites, iniustisque imperiis milites vexantes), ut utrosque infestos habeant. Nihil igitur ex his formidinis.

7. *hic dux* etc.] Insigni praegnantium verborum brevitate hic sensus efficitur: in hac parte et dux est legitimus ac patrius, et exercitus validus, unde victoriae spes; in illa, si vincamini, exspectant vos tributa, etc.

illic] Vat. *Γ. Δ. ibi*, quod non magis dici potest ad alteram partem indicandam, quam *hic — is* pro *hic — ille* ad homines diversos designandos. Quare *illic* e coniectura scripsimus.

metalla] = labores in metallis.

quas — in hoc campo est] i. e. quarum aeterna perpessio aut prompta ultio *ex hoc campo* (= ex eventu pugnae in hoc campo conserendae) *pendet*. cf. c. 33, 7. (Nobis sunt)

XXXIII. Excepere orationem alacres, ut barbaris moris, cantu fremituque et clamoribus dissonis. Iamque agmina, et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu; simul instruebatur acies, quum Agricola, quamquam laetum et vix munimentis coërcitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit:

2 Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra Britanniam vicistis. Tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitudine ad-

manus et arma, et in his omnia. Ann. II, 46, 1. *Maroboduus — Inguiomerum tenens illo in corpore decus omne Cheruscorum — testabatur*, qui locus similem, non plane parem verbi *esse* usum habet.

proinde] i. e. quae quum ita sint; cf. c. 33, 8. Caes. B. G. V, 34, 1.

ituri] i. e. quum iam in eo sit, ut eatis.

cogitate] i. e. in animis habete; cf. Cic. in Cat. II, 9, 20. *Proscriptiones et dictaturas cogitare.* Epp. ad Attic. IV, 3, 1. ad Famm. II, 16, 19.

XXXIII. 1. *ut barbaris moris*] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *et barbari moris*, ex Puteolani mutatione. — De genitivo cf. c. 39, 1. 42, 5. Ann. I, 56, 4. Hist. I, 15, 1.

cantu, fremituque et clamoribus] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *c. fremitu et clam.*, ex Puteolani mutatione. Rhenanus scripsit *c. et fremitu clamoribusque.* — Ceterum his ipsis rebus *alacritas* prodebatur.

agmina] sc. movebantur, incedebant.

fulgores] sc. *emicabant.* Id autem fiebat maxime *audentissimi cuiusque procursu*, i. e. eo, quod audentissimus quisque procurrebat; in singulis enim, *qui moventur*, armorum fulgor magis apparet, quam in stante multitudine. — Wexius sic distinxit: „Iamque agmina et armorum fulgores; audentissimi cuiusque procursu simul instruebatur acies: quum Agricola" etc.

instruebatur] Ita Vat. *Γ. Δ.*; *instruebantur* Puteol. Haec omnia de Britannis dicta.

vix munimentis coërcitum] i. e. qui vix in castris retineretur. — *Munimentis* Vat. *Δ. monitis Γ. munimentis* in margine.

adhuc] i. e. *insuper, praeterea*, quod pertinet ad verbum *accendendum.*

2. *octavus annus*] Septem annos impleverat Agricola, octavum modo incipiebat. Pleniorem igitur numerum ut magnificentiorem praetulit in oratione ad splendorem composita; cf. c. 34, 4.

virtute et auspiciis imperii Romani etc.] Quoniam maximam partem *auxiliis* constabant Agricolae exercitus (cf. c. 35, 1.), milites admonet, pugnasse eos et virtute ea, quae Romanorum propria sit, et auctoritate atque nomine imperii Romani; cf. Liv. XXX, 14, 8. *Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est.* Eodem spectat, quod *fidem atque operam* eorum laudat, quae, ut Wexius recte observavit, solennis fuit sociorum laudatio; cf. Liv. XXXIII, 46, 6. *Eorum forti fideliqne opera in eo bello usi sunt saepe Romani.* XXIV, 47, 11. *Operaque eorum*

versus hostes seu patientia ac labore paene adversus ipsam
rerum naturam opus fuit, neque me militum neque vos ducis
poenituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum 3
exercituum terminos, finem Britanniae non fama nec rumore,
sed castris et armis tenemus. Inventa Britannia et subacta.
Equidem saepe in agmine, quum vos paludes montesve et 4
flumina fatigarent, fortissimi cuiusque voces audiebam:
quando dabitur hostis, quando acies? Veniunt, e latebris 5
suis extrusi, et vota virtusque in aperto, omniaque prona
victoribus, atque eadem victis adversa. Nam ut superasse 6
tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria pulchrum

forti ac fideli persaepe res publica usa est.

tot expeditionibus] i. e. *in tot exp.* Ablativus est temporis ac condicionis, pertinens ad *poenituit.*

adversus — naturam] cf. §. 4. 6. c. 22, 1. *Conflictatum saevis tempestatibus exercitum.*

neque — me poenituit] i. e. *et vos mihi duci, et ego vobis militibus officium praestiti*, ut loquitur Caesar B. G. IV, 25, 3.

3. *finem — tenemus*] Per zeugma *tenemus* pertinet ad verba *non fama nec rumore*, quae poscunt, ut ex illo praedicato eliciamus *cognovimus.* Bene autem Wexius: „qui *fama* aliquid cognovit, ipse non oculis vidit, qui *rumore*, non comperta audivit;“ quae quamquam re fere eodem redeunt, modo tamen differunt. Sensus igitur est: qui finis Britanniae sit, non amplius ignotum nobis, aut incertis narrationibus auditum, sed ipsi assumus ac videmus, castraque ibi posuimus.

Inventa Britannia] Quamdiu ignorabatur, quantum pateret Britannia, non plane cognita fuit haec terra; quare praegnanti sensu *Britannia* dictum pro *tota Br.;* finibus enim inventis, ipsa quanta esset, inventum.

subacta] sc. quia *victore exercitu* usque ad fines perventum est. Utrumque rhetorice augeri ab Agricola in promptu est.

4 *Equidem*] i. e. *profecto;* v. ad Sall. Cat. 51, 15. ed. H.

voces] Ita Vat. *Γ. Δ.*; Rhenanus dedit *vocem.*

acies] Vat. *Γ. Δ. animus*, quae prava lectio eo orta est, quod scriba plenam vocem *acies* pro compendio *animus* vocis (aĩus) habuit. Correxit Rhenanus.

5. *vota virtusque*] Per ἓν διὰ δυοῖν est: *optata virtutis ostentandae copia adest.*

prona] i. e. *secunda*, *facilia.* Praeivit hunc vocis usum Sallustius Iug. 114, 2. *Alia omnia virtuti suae prona esse.*

victoribus — victis] Quum Agricola, quum haec dicebat, nondum scire posset, utrum sui vincerent, an vincerentur, dativi vim habent enuntiatorum condicionalium: *si vicerimus — si victi erimus;* cf. c. 25, 3. *Tamquam aperto maris sui secreto ultimum victis* (i. e. si vincerentur) *perfugium clauderetur.* 35, 2. *Legiones pro vallo stetere ingens victoriae decus*, i. e. si victoria reportaretur. Sententiam ipsam Tacito praeivit Sallustius Cat. 58, 9. *Si vincimus, omnia nobis*

ac decorum in frontem, ita fugientibus periculosissima, quae
7 hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum
eadem notitia aut commeatuum eadem abundantia, sed manus
et arma, et in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem
mihi decretum est neque exercitus neque ducis terga tuta
8 esse. Proinde et honesta mors turpi vita potior, et incolumitas ac decus eodem loco sita sunt; nec inglorium fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse.

XXXIV. Si novae gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer; nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Hi sunt, quos proximo

tuta erunt —; sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fient.

6. *transisse*] Ita Vat. *Γ. transiisse Δ.*

in frontem] i. e. *ut aciei frons hostibus obvertatur*, quod fit, quum signis illatis hostes petuntur. *In* praepositionis h. l. eadem vis, ut c. 31, 2. *Bona fortunaeque in tributum, ager atque annus in frumentum — conteruntur.*

ita fugientibus] Vat. *Γ. Δ. item fugientibus.* Correxit Rhenanus. Frustra enim corruptae lectioni praesidium petitur ex eiusmodi locis, ubi *ut — item* brevitate quadam familiaris sermonis positum est pro *ut — ita item*, velut Cic. de. Orat. I, 26, 118. *Nullae enim lites neque controversiae sunt, quae cogant homines sicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti.* Quibus locis omnibus quum *res* sint *duae*, quibus *unum praedicatum pariter* adhibetur, nostro loco *una res* est cum duobus praedicatis, cuius alteri alterum contrarium opponitur, in qua sententia *item* prorsus alienum est; v. Wexium in Prolegg. p. 72. — Ceterum *fugientibus* significat *si fugimus.*

7. *manus*] Germ. *die Faust;* cf. c. 25, 4. Liv. XXV, 6, 21. *Tanquam nec manus nec arma habeamus.*

in his omnia] v. ad c. 32, 7.

mihi decretum est] i. e. pro certo habui, *mihi persuasum est*; v. ad Sall. Cat. 4, 1. ed. II.

terga] i. e. fugam tutam esse = tutum esse, si fugiat.

8. *eodem loco sita sunt* etc.] i. e. *artissime coniuncta sunt,* = non diversis artibus, sed simul parantur, neque alterum sine altero; nam quibus virtute incolumitas quaeritur, iidem et decus paratum habent; nec eo carent, qui — ceciderunt.

naturae fine] cf. Germ. 45, 1. *Illuc usque tantum natura,* quo loco aperte huc respicitur.

XXXIV. 1. *constitisset*] sc. *contra.* Absque hac adversi loci notione, quae non in verbo, sed in sententiae nexu inest, hoc verbum legitur c. 35, 2.

nunc] v. ad c. 1, 4.

decora] Non sunt h. l. praemia aut insignia fortitudinis, ut c. 29, 4. sed *fortia facta*, quae *recensere* i. e. deinceps enumerare atque omnia in memoriam revocare Agricola iubet; cf. Liv. XXI, 43, 17. *Nemo vestrum est, cui non idem ego virtutis spectator ac testis notata temporibus locisque referre sua possim decora.*

vestros oculos interrogate] sc. quales hostes, quam parum fortes et timendos, conspiciatis.

anno unam legionem furto noctis aggressos clamore debellastis; hi ceterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tam diu superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissi- 2
mum quodque animal contra ruêre, — pavida et inertia ipso agminis sono pellebantur, — sic acerrimi Britannorum iam

Hi sunt] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *ii sunt*, ex Puteol. mutatione. Pronominis ratio haec est: *hi*, qui constiterunt, *illi sunt*, quos — debellastis.

unam legionem] sc. nonam; cf. c. 26.

furto noctis] i. e. *insidiis nocturnis*, vel *insidiis, quas nox iuvabat;* cf. Sall. Hist. Fr. I, 86 (93). *Metu gentis ad furta belli peridoneae.* Curt. IV, 13, 9. *Meae gloriae — furtum noctis obstare non patiar.*

clamore] i. e. *clamore solo*, quo initur pugna, ita ut ad ipsa arma res non veniret.

hi ceterorum] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *ii cet.*, ex Puteol. mutatione.

ceterorum — fugacissimi] Quadam dicendi negligentia duae locutiones confusae sunt; aut enim dicendum erat *ceteris Britannis fugaciores*, aut *omnium Britannorum fugacissimi.* Apte Doederlinus contulit Plin. H. N. XXXIV, 3. *Ostracitis tota nigra et ceterarum sordidissima.* Macrob. Sat. VII, 8. *Aegyptum regionum aliarum calidissimam.*

2. *penetrantibus*] sc. *nobis.* Quamquam concedi potest Tacito obversatum esse Homeri locum Il. XXI, 573. Ἠΰτε πάρδαλις εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο ἀνδρὸς θηρητῆρος ἐναντίον, οὐδέ τι θυμῷ ταρβεῖ οὐδὲ φοβεῖται, ἐπεί κεν ὑλαγμὸν ἀκούσῃ, quum Agricolam ita loquentem faceret, tamen ad verba insolentioris structurae recte intelligenda tenendum est, sententiam non esse generalem, sed Agricolam loqui de ipso itinere exercitus sui per silvas saltusque (c. 33, 6.) facto. Patet id planissime ex codd. scriptura *pellebantur.* Non minus certum est *ruêre* perfectum, quippe cui ex altera parte respondeat *ceciderunt.* Ita enim Britannos cum silvestribus beluis comparat, ut alios fortes esse dicat, alios ignavos; quorum illos, qui impetum facere ausi sint, caesos esse, ignavos modo superesse. Ut igitur *contra ruêre* simul involvit *ac caesa sunt*, ita in verbis *acerrimi Br. ceciderunt* hoc inest, *acerrimi Br., qui contra consistere ausi sunt, ceciderunt.* Neque huic explicationi obstat *pellebantur* imperfectum. In promptu est enim, verba *pavida — pellebantur* quasi in parenthesi dicta secundarium in sententia obtinere locum, quod facile eo intelligitur, quod sensu non mutato etiam dicere licebat *pavidis et inertibus solo agminis sono pulsis.* Iam unum modo *ruêre* offendere possit propter pluralem ad verba *fortissimum quodque animal* relatum. Sed quamquam usu evaluit, ut *quisque* tantummodo substantivi loco cum superlativo coniunctum (velut *fortissimus quisque*) pluralem verbi regere soleat, tamen ratio grammatica excogitari nequit, cur non idem liceat, si *quisque* substantivo iunctum sit. Quare Tacitus audacius dicendi usum dilatasse putandus est.

contra ruêre] Ita Vat. *Γ. Δ. ruere*, omisso *contra*, Puteol. Inde Rhenanus fecit *robore.* — *Ruere* de iis, qui *impetu accurrunt*, legitur etiam c. 37, 3. Hist. II, 18, 2.

pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavorum et me-
3 tuentium. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt; novissimae res et extremus metus torpore defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et specta-
4 bilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, im-

ipso — sono] i. e. *solo s.* Apte Wexius contulit Curt. III, 8, 19. *Delituisse inter angustias saltus ritu ignobilium ferarum, quae strepitu praetereuntium audito silvarum latebris se occuluerunt.*

pellebantur] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *pelluntur*, ex Puteolani mutatione.

3. *non restiterunt*] Quae suspensa esse debebant ex verbo aliquo dicendi aut cogitandi, velut *dicam vobis*, *sciatis*, *reputetis*, ea, omisso per breviloquentiam regente verbo, directa oratione enuntiantur; cf. c. 44, 2. *Quod si habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit.* — *Non restiterunt* est: *non sponte substiterunt.* — *Deprehendi* dicuntur, qui, quum latere volunt, subito, imprudentes et inviti tenentur. Obversatus Tacito videtur Livii locus XXI, 40, 6. ubi P. Scipio ante pugnam ad Ticinum de Poenis: *Nec nunc illi*, inquit, *quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt.*

novissimae res] Ita Vat. *Γ. Δ. novissime id et extr. m. c.* Puteol. — *Novissimum* quoniam est *extremum* (cf. Germ. 24, 3.), Tacitus translate id dixit in eo, quod, quia nihil ultra est, pro gravissimo, horrendo et prorsus desperato habetur; cf. Ann. V, 7. *Quum superesse tempus novissimis* (i. e. funesto exitui) *crederent, gladio — incubuit.* XII, 20, 3. *Meritum quidem novissima exempla* (i. e. crudelissimum supplicium) *Mithridatem.* XV, 44, 5. — *Extremus metus torpore* ingeniosa coniectura est Schoemanni in Indic. schol. Univers. Gryphisw. a. 1859—60. p. 16 proposita pro vulgato, quod est in Vat. *Γ. Δ.*, *extremo metu corpora*, sine iusta verborum constructione et valde impedita sententia. Eandem rem sic expressit Ann. XIV, 30, 1. *Novitate aspectus perculere milites, ut quasi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praeberent.*

vestigiis] i. e. *locis;* cf. Hist. II, 78, 2. III, 72, 5. IV, 53, 1.

in quibus — ederetis] Coniunctivus pendet ex latente consilii sententia, quam sic fere concipias: ita volentibus fatis, ut in iis — ederetis. Germanice: *in denen ihr — zeigen solltet.* cf. Germ. 29, 1. *Chattorum populus — in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent.* Cic. de Orat. I, 1, 3. — *Edere*, per se de *victoria* dici non usitatum, excusationem habet ab adiectivo *spectabilem;* sensus enim est: in quibus pulchrae victoriae *spectaculum ederetis.*

4. *Transigite*] i. e. *finite expeditiones* (*schliesst ab mit den Feldzügen*). Sumptum vocabulum e re pecuniaria et forensi. Finita est controversia, ubi cum litigatore, debitore, creditore transegimus. ERN. cf. Cic. in Verr. IV, 16, 35. *Quod verbo transigere possum.* Tac. Germ. 19, 3. *Cum spe votoque uxoris semel transigitur.*

imponite — diem] sc. terminum. — *Magnus dies* est, quo res magna geritur; cf. Vell. II, 35, 1.

ponite quinquaginta annis magnum diem, approbate rei publicae numquam exercitui imputari potuisse aut moras belli aut caussas rebellandi.

XXXV. Et alloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. Instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo milium erant, mediam aciem firmarent, equitum tria milia cornibus affunderentur. Legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Roma- 2
num sanguinem bellandi, et auxilium, si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat ita, ut primum agmen aequo, ceteri per acclive

quinquaginta annis] Numerus rotundus, ardori rhetorico conveniens. Proprie 42 anni erant, v. ad c. 33, 2.

imputari] Vat. *Γ. Δ. imputare.* Correxit Puteol.

moras belli] i. e. bellum per tot annos tractum.

exercitui] Tecta oppositio significat culpam longinqui belli iterataeque rebellionis penes *duces* priores fuisse.

XXXV. 1. *ruentes*] H. l. est *accurrentes ad signa;* cf. 34, 2. 37, 3.

octo milium] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *octo milia*, ex Puteolani mutatione.

firmarent] v. ad c. 14, 4.

affunderentur] i. e. *adderentur*, *Affundi* dicuntur equites propter *mobilitatem* suam, stabilitati peditum oppositam.

2. *pro vallo*] Non est *in vallo*, sed extra vallum, ita ut id post se haberent, ei quasi se acclinantes.

victoriae decus] *Victoriae*, dativo positum, quum respondeat verbis *si pellerentur*, vim habet condicionalis sententiae *si vinceretur;* v. ad c. 33, 5. Similis in simili re appositio est Hist. IV, 18, 4.

decus citra Romanum sanguinem bellandi] Ita Vat. *Γ. Δ. d. c. R. s. bellanti*, Rhenanus. *Decus bellandi* etc. significat *decus positum in bellando citra Rom. sanguinem.* Quippe seposuerat legiones Agricola, ut, *si sine iis victoria reportata foret*, eo ingens decus victoriae adderetur; nam *civium* sanguini in bellando parcere summa ducis laus.

citra] v. ad c. 1, 3.

pellerentur[sc. *auxilia.*

in speciem — terrorem[De *in* praep. v. ad c. 8, 3. — *Speciem* explicavimus c. 25, 1.; h. l. vertas *um zu imponiren*

agmen aequo] Vat. *Γ. Δ. agmine quo.* Correxit Rhenanus; cf. Hist. III, 19, 3. *Posse coloniam plano sitam impetu capi.* Per zeugma ex *insurgerent* ad *aequo* cogitandum *staret.*

connexi] Ita Vat. *Δ. conuexi Γ.*; sed haec elementis vix differunt, et *convexi* absurdum est. *Connexi* significat *una serie iuncti.* Opponuntur *rari*, *dispersi*, *soluti.*

media campi] sc. inter Britannorum et Romanorum aciem. — Neutrius plur. c. genit. iuncti eadem ratio est, ut c. 25, 2. *Silvarum ac montium profunda, tempestatum ac fluctuum adversa.* Ann. I, 76, 1. *Plana urbis.*

covinnarius eques] Ita Vat. *Γ. Δ.*

iugum connexi velut insurgerent; media campi covinnarius
3 eques strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola superante hostium multitudine veritus, ne in frontem simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat, et arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem et firmus adversis dimisso equo pedes ante vexilla constitit.

XXXVI. Ac primo congressu eminus certabatur, simulque constantia simul arte Britanni ingentibus gladiis et brevibus cetris missilia nostrorum vitare vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere, donec Agricola Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad

Vulgo *cov. et eques*, ex Rhenani mutatione. Qui alias simpliciter dicuntur *covinnarii* (v. ad c. 12, 1.), hic vocantur *covinnarius eques*, quia hoc militiae genus multo magis ad equitatus quam ad peditatus naturam accedebat. Ipsi equites a covinnariis sive essedariis diserte discernuntur apud Caes. B. G. IV, 24, 1. IV, 32, 5.

3. *superante*] cf. c. 25, 5.

ne in frontem simul et latera] Vat. *Γ. Δ. ne simul in frontem simul et latera*, quod soloecum est. Aut cum I. M. Gesnero scribendum *simul in latera*, aut cum Wexio prius *simul* delendum; cf. c. 6, 3. Hoc praetulimus, quia vitium oscitantia librarii, *simvl* oculis vel mente praecipientis, ortum videtur.

porrectior] sc. quam pro numero, i. e. *nimis extenuata*.

quamquam — futura erat] i. e. quamquam ita necesse erat, ut — fieret.

promptior in spem] i. e. *proclivior ad sperandum;* cf. Ann. XV, 25, 5. *Promptus in pavorem*. XV, 61, 1. *Promptum in adulationes ingenium*.

firmus adversis] i. e. firmus *contra adversa*, quemadmodum auctor dixit Hist. II, 82, 3. *Vespasianus — egregie firmus adversus militarem largitionem*. Nostro loco similis est Ann. XI, 21, 3. *Curtius Rufus — adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus*. cf. infra c. 41, 4. *Pronum deterioribus*.

ante vexilla] cf. c. 18, 4.

XXXVI. 1. *constantia*] i. e. intrepido, non perturbato animo (Germ. *Kaltblütigkeit*); cf. c. 18, 6. 41, 3. 45, 4. Germ. 30, 3. Dial. 34, 3. — *Arte* = *Gewandtheit;* cf. Germ. 24, 1.

ingentibus gladiis etc.] Ablativi sunt qualitatis pertinentes ad *Britanni;* cf. c. 37, 5. *Partem equitum dimissis equis*. 44, 4.

atque ipsi] i. e. *adeoque ipsi*.

Batavorum cohortes] Ita Vat. *Γ. Δ.*; *per Bat. coh.* Puteolanus; *tres Bat. coh.* Rhenanus, ut vulgo editur. *Batavorum* non est genitivus partitivus, sed attributivus, adiectivi loco positus. Intelliguntur enim *omnes* Batavae cohortes, quas Agricola in exercitu habebat (*die* Bat. Cohorten), non pars aliqua ex Batavis; quod secus fuit in Tungris, quorum duas modo excitavit.

Tungrorum] Ita Vat. *Γ. Δ.*; *Tongrorum* Puteol., et sic multae edd.

mucrones ac manus adducerent; quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile, parva scuta et enormes gladios gerentibus. Nam Britannorum gladii sine mu- 2
crone complexum armorum et in arto pugnam non tolerabant. Igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora foedare, et stratis, qui in aequo astiterant, erigere in colles aciem coepere, ceterae cohortes aemulatione et impetu connisae proximos quosque caedere; ac plerique semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur. Interim equitum 3

quod] i. e. quod pugnae genus.

vetustate militiae] i. e. longis stipendiis.

hostibus inhabile] i. e. quod hostes non satis tractare poterant; cf. Hist. I, 79, 4. *Id* (sc. cataphractarum tegimen) *impetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum.*

parva scuta et enormes gladios gerentibus] Verba haec tanquam glossam uncinis inclusit Wexius, quia modo praecesserit *Britanni ingentibus gladiis et brevibus cetris.* Sed illa pertinent ad *constantiam et artem* illustrandam, haec ostendunt, cur *inhabiles* fuerint ad manus conserendas.

2. *complexum armorum*] i. e. concursum armorum inter se collisorum, ubi pugnantes sibi quasi inhaerent (Germanice *Durchkreuzung*).

in arto] Vat. *Γ. Δ. in aperto.* Vitium ex eo ortum, quod scriba compendium scribendi (apto) sibi videre visus est, ubi nullum erat. Correxit Franc. Medices apud Lipsium. De universa re cf. Ann. II, 21, 1. *Germani — genere pugnae et armorum superabantur, quum ingens multitudo artis locis praelongas hastas non protenderet, non colligeret.*

miscere ictus] i. e. *ex propinquo intendere;* nam *misceri* non possunt nisi, quae inter se attinguntur.

foedare] i. e. *lacerare* (German. *übel zurichten*); cf. Hist. III, 77, 3 *Iulianus — verberibus foedatus — iugulatur.* Virg. Aen. II, 286. *Vultus foedare.*

stratis] Vat. *Γ. Δ. tratis*; — Puteol. *tractis.* Correxit Ernestius. cf. Hist. III, 77, 2, *Sternunt inermos aut arma capientes.*

astiterant] Ita Vat. *Γ. Δ.*; — Puteol. *obstiterant.* cf. c. 35, 2.

erigere] v. ad c. 18, 4.

connisae] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *commistae*, ex Puteolani mutatione. *Conniti* h. l. valet *irrumpere, impressionem facere;* cf. Liv. III, 63, 4. *Undique omnes connisi hostem avertunt.*

aut integri] *Aut* h. l. est *aut adeo;* nam *integros*, i. e. non vulneratos (cf. 38, 1.), relinqui plus erat, quam *semineces.*

festinatione victoriae] i. e. quia milites victoriam festinabant = victoriae cupide instabant.

3. *equitum*] sc. Romanorum.

ut fugere covinnarii, peditum etc.] Vat. *Γ. Δ. equitum turmae fugē: covinnarii peditum* etc., et sic etiam Puteol. — *Ut*, vel *ubi*, excidisse vidit Doederlinus et Halmius, qui etiam interpunctionem emendarunt.

peditum] sc. Romanorum. Quippe equites in cornibus dispositi, fugatis covinnariis, iam pedites in media acie pugnantes adiuverunt.

turmae, ut fugere covinnarii, peditum se proelio miscuere, et quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant; minimeque aequa nostris ea iam pugnae facies erat, quum aegre clivo
4 instantes simul equorum corporibus impellerentur; ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvio sincursabant.

XXXVII. Et Britanni, qui adhuc pugnae expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant,

et quamquam recentem terrorem etc.] i. e. et quamquam *inopinato ac repentino impetu* Britannos terruerant, tamen et ipsi aliquantum turbabantur in densa hostium agmina incidentes et inaequalibus locis impediti.

hostium] sc. Britannorum.

minimeque aequa nostris ea iam pugnae facies erat] Vat. *Γ. Δ. mīēque equestres, ea enim p. f. e.*; Rhenanus *minimeque equestris ea p. f. e.* De *equestri pugna* hic cogitari non posse tum eo planissime patet, quod equites Romani cum peditibus coniuncti in pedites modo Britannorum impetum fecerunt, neque, covinnariis fusis, praeterea equites iis fuisse narratum est, tum quod in sequentibus tantummodo exponitur, quomodo *pedites Romani* laboraverint. Quare palmaris Wexii est emendatio *aequa nostris iam*, quam ita secuti sumus, ut *ea*, quod in codd. est, retineremus. Sensus loci est: adventu equitum Romanorum, peditum proelio se immiscentium, nostra acies iam labare coepit. — *Minime aequa pugnae facies* est, quum altera pars laborat; cf. Caes. B. G. VII, 48, 4. *Erat Romanis nec loco nec numero aequa contentio.*

aegre clivo instantes] Vat. *Γ. Δ. egra diu aut stante.* Broterius *aegre diu stantes*, quod plerique receperunt. Codicum lectionem sensu carentem bene emendavit Trillerus Obss. p. 224., nisi quod pro *stantes*, quod is habet, scribendum *instantes*, i. e. *in clivum eniti conantes*, quae est coniectura Schoemanni in Ind. scholl. Univ. Gryphisw. a. 1859—60. p. 17. Nam quum hostium maxima pars *per acclive iugum insurgeret* (c. 35, 2.), in oculos incurrit Romanos, qui illos aggrederentur, non *stetisse in clivo*, sed *clivo institisse.* Quod ipsum quum *aegre* facerent, insuper immixtis equitibus suis *impellebantur*, ut locum tenere vix possent. Continent igitur haec verba caussam, cur *minime aequa nostris ea iam pugnae facies esset.*

4. *exterriti sine rectoribus equi*] Expressit haec Tacitus ex Sallustio; cf. Hist. Fr. I, 98 (104). *Equi sine rectore exterriti aut saucii consternantur.* — *Sine rectoribus equi* sunt equi sine equitibus suis tum Britannis tum Romanis.

transversos aut obvios] i. e. *a latere aut a fronte.* Intelliguntur autem *Romani.*

XXXVII. 1. *vacui*] sc. *cura, timore, negotio*, quo sensu idem est atque *securi*; cf. Sall. Iug. 52, 6. *Postquam Rutilium consedisse iam et animo vacuum accepit.*

degredi paulatim et circumire terga vincentium coeperant, ni id ipsum veritus Agricola quattuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius accucurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. Ita 2 consilium Britannorum in ipsos versum, transvectaeque praecepto ducis a fronte pugnantium alae aversam hostium aciem invasere. Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum; sequi, vulnerare, capere, atque eosdem, oblatis aliis, trucidare. Iam hostium, prout cuique ingenium erat, cater- 3 vae armatorum paucioribus terga praestare, quidam inermes

vincentium] sc. Romanorum adversam aciem pellentium.

circumire — coeperant, ni — opposuisset] i. e. *circumire — incipiebant, et revera circumiissent, ni — opposuisset*; v. ad c. 4, 5. Roth. ad Agric. Exc. XXIX, 1. p. 254 sq.

subita belli] i. e. improvisa pericula, inopinatos casus belli; cf. ad c. 35, 2. Hist. V, 13, 5.

ferocius] Germ. *ungestümer*.

accucurrerant] Ita Vat. *Γ. occurrerant Δ.* Vulgo *accurrerant;* cf. c. 23, 1. Ann. II, 7, 3.

2. *in ipsos versum*] sc. qui Romanos circumvénire voluerant, ipsi a tergo circumventi sunt. — De dictione *vertere in* cf. Ann. XI, 37, 1.

transvectaeque] *Que* h. l. adiungens enuntiatum caussale accedit ad vim *nam* particulae; cf. Sall. Iug. 25, 5.

Tum vero etc.] In hac cladis Britannorum descriptione Tacito obversatus est locus Sallustii Iug. 101, 11. *Tum spectaculum horribile in campis patentibus; sequi fugere, occidi capi; equi atque viri afflicti, ac multi volneribus acceptis neque fugere posse, neque quietem pati, niti modo, ac statim concidere; postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus, et inter ea humus infecta sanguine.* — De *tum vero* particulis v. ad Sall. Cat. 61, 1. ed. II.

eosdem] sc. *quos modo ceperant.*

oblatis aliis] Vat. *Γ. Δ. ablatis aliis.* Correxit Rhenanus. Ad sententiam supple: *quos caperent.*

3. *catervae armatorum*] Duplicem haec habent oppositionem. Ex una parte *catervae* (i. e. conferti globi) opponuntur *paucioribus*; ex altera a catervis *armatorum* discernuntur quidam (i. e. singuli aut rari) *inermes.*

praestare] Insolenter dictum pro *praebere, dare.*

ruere] Praegnanti sensu est *contra ruere*, vel *irruere in Romanos;* cf. c. 34, 2.

passim] i. e. *variis locis confusa et mixta*, sc. erant arma etc.; v. ad Sall. Iug. 18, 3. ed. II.

et aliquando etc.] Ita Vat. *Γ. Δ.*; v. ad c. 9, 7. His verbis non continetur generalis sententia, sed continuata fugae cladisque descriptio; quippe inter universam consternationem atque caedem *hic illic nonnulli*, decoris memores, *iraque incitati virtutem ostenderunt*, neque inulti occubuerunt. Supplendum est *fuit.* Sententia ipsa expressa ex Virg. Aen. II, 367. *Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.*

aliquando] v. ad c. 9, 7.

ultro ruere ac se morti offerre; passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus, et aliquando etiam victis ira
4 virtusque. Postquam silvis appropinquaverunt, identidem primos sequentium, incautos collecti et locorum ignaros
5 gnari, circumveniebant. Quod ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo, et, sicubi artiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod vulnus
6 per nimiam fiduciam foret. Ceterum ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi non agmini-

4. *Appropinquaverunt*] Ita Vat. *Γ. Δ. appropinquarunt* Puteol. et vulgo.

identidem primos sequentium, incautos collecti et locorum ignaros gnari, circumveniebant] Vat. *Γ. Δ. itē primos sequentium incautos collecti et locorum ignari circumv.*; — Puteolanus *collecti primos sequentium incautos et locorum ignaros circumv.* Locum ingeniose sanavit Halmius. *Identidem*, quod is vidit latere in *itē*, est *repetitis vicibus* hac sententia: *ut quique erant primi in persequendo, ita eos circumveniebant;* quod quam egregie narratae rei conveniat, nisi quis sponte sentit, eum frustra docueris. In sequentibus habetur duplex et ad obiectum et ad subiectum appositio, cuius ea vis est, ut, *qua re maxime factum sit, ut Romani in persequendo circumventi fuerint*, explicetur. Ceterum vix dubitari potest, quin Tacitus ante oculos habuerit Liv. XXII, 31, 4. *In insidias temere illati, quum a frequentibus palantes, ab locorum gnaris ignari circumvenirentur, — ad naves compulsi sunt.*

incautos collecti] *Incauti* sunt *dispersi, soli euntes*, quibus opponuntur *collecti*, i. e. *conglobati, in unum coniuncti.*

5. *ni frequens*] Ita Vat. *Γ. infrequens Δ. Frequens* h. l. vices sustinet participii *adesse* verbi (Germ. *bei der Hand seiend*).

indaginis modo] i. e. *coronâ, quasi in venatione, factâ procedentes* (Germ. *nach Art eines Jagdtreibens*); cf. Liv. VII, 37, 14. *Quum praemissus eques velut indagine dissipatos Samnites ageret, caedem ingentem fecit.*

dimissis equis] Non sunt ablatt. absoll., sed qualitatis; cf. c. 36, 1. *Equites dimissis equis* germanice sunt *abgesessene Reiter.*

rariores silvas] i. e. *ubi minus densae erant silvae.*

equitem] sc. *equis adhuc utentem*, qui distingendus est ab *equite dimissis equis.*

equitem persultare] Vat. *Γ. equite persultari*; *Δ. equites perlustrari.* Correxit Rhenanus. De *persultare* c. accus. cf. Hist. III, 49, 2. *Primus Antonius — ut captam Italiam persultare.*

vulnus] i. e. *detrimentum, dammum;* cf. c. 29, 1. 45, 6.

6. *Ceterum*] v. ad c. 25, 1.

in fugam versi] sc. *sunt.*

rari et vitabundi etc.] Fugae ratio *qualis non fuisset*, quum in praecedentibus dixisset Tacitus, iam addit *qualis fuerit*, contrariis sententiis ἀσυνδέτως iuxta positis; cf. Sall, Cat. 52, 29. *Non votis neque*

bus, ut prius, nec alius alium respectantes; rari et vitabundi invicem longinqua atque avia petiere. Finis sequendi nox et 7
satietas fuit. Caesa hostium ad decem milia; nostrorum trecenti sexaginta cecidere, in quis Aulus Atticus praefectus cohortis, iuvenili ardore et ferocia equi hostibus illatus.

XXXVIII. Et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus. Britanni palantes mixtoque virorum mulierumque ploratu trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere; eligere latebras et statim relinquere, 2
miscere invicem consilia aliqua, deinde separare; aliquando frangi aspectu pignorum suorum, saepius concitari; satisque constabat saevisse quosdam in coniuges ac liberos, tamquam misererentur. Proximus dies faciem victoriae latius 3

suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur; *vigilando*, *agendo*, *bene consulendo prospere omnia cedunt*. — *Vitabundi invicem* significat *alter alterum vitantes*, in qua sententia *invicem* liberiore modo obiecti vices sustinet. Cum accusativo *vitabundus* construi notavimus ad Sall. Hist. Fr. III, 20. p. 297.

7. *Finis sequendi* etc.] De enuntiati conformatione v. ad c. 6, 3. Eodem modo Liv. XXI, 56, 7. *Finis insequendi hostis Poenis flumen Trebia fuit.*

ferocia] Germ. *das Ungestüm.*

XXXVIII. 1. *nox quidem*] *Quidem* additum, quo *nox* distinctius opponatur *diei proximo* §. 3., ubi asyndeton in adversativa sententia notandum.

gaudio] sc. de victoria reportata.

laeta] Translatum est *obiecti* attributum ad *subiectum* (cf. c. 32, 4.); proprie enim *laeti sunt victores* nocte. cf. etiam c. 21, 1.

Britanni] Vat. *Γ. Δ. Britannique.* Vitiosam particulam recte omisit Puteolanus.

trahere] sc. secum ex acie.

integros] v. ad c. 36, 2.

ultro] i. e. nulla vi urgente.

2. *miscere — separare*] i. e. consilia *in commune* inire, ac deinde rursus *pro se quisque* capere.

aliqua] i. e. pauca quaedam tenuia, vana, infirma.

deinde separare] Ita Vat. *Γ. Δ.*; *dein sperare* Puteol.

pignorum] i. e. *carissimorum*, qui sunt parentes, coniuges ac liberi; cf. Ann. XII, 2, 1. XV, 36, 3. XV, 57, 2. Germ. 7, 3.

tamquam miserarentur] i. e. furorem suum miserationem esse simulantes; occidebant enim suos, non quo eos maioribus malis liberarent, sed furore in saevam insaniam acti.

3. *Proximus dies*] *Dies*, h. l. specialiter *nocti* (§. 1.) oppositus, idem est atque *lux.*

aperuit] cf. c. 22, 1.

secreti colles] Ita Vat. *Γ. Δ. Secreti* non est participium, sed adiectivum; non enim dicitur quid *factum* sit, sed quid *conspectum* fuerit. In *secretis* quoniam homines versari non solent, Tacitus audacius *secretos colles* dixit pro *desertis atque vacuis* (Germ. *vereinsamt*).

4. *in omnem partem dimissis*]

aperuit; vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia
4 procul tecta, nemo exploratoribus obvius. Quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia neque usquam conglobari hostes compertum, et exacta iam aestate spargi
5 bellum nequibat, in fines Borestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, praefecto classis circumvehi Britanniam
6 praecipit. Datae ad id vires, et praecesserat terror. Ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit; et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo Britanniae latere lecto omni redierat.

XXXIX. Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum

Militaris dictio est, de qua egimus ad Vellei. II, 52, 4. p. 288.

spargi] i. e. *diviso exercitu variis locis simul geri*, sc. in quae loca hostes dispersi se receperant, et ubi quaerendi erant; cf. Ann. III, 21, 3. *Tacfarinas — spargit bellum, ubi instaretur cedens, ac rursum in terga remeans.*

Borestorum] Ita Vat. Γ. Δ. Vulgo *Horestorum*, ex Puteolani mutatione.

5. *circumvehi — praecipit*] cf. c. 10, 4.

praecipit] Ita Vat. Γ. Δ. Vulgo *praecepit* ex Puteol. mutatione.

Datae ad id vires etc.] Addit haec Tacitus, quo pateat, quibus rebus spes rei bene gerendae nisa fuerit. Plenior sententia est: et satis idonea vis militum praefecto permissa est ad hostes domandos, et illi iam fama territi erant, ne contra niterentur.

6. *quo*] Non est relativum, sed adverbium = *ut*.

novarum] i. e. antea non cognitarum, ac nondum domitarum; cf. c. 20, 3.

fama] sc. expeditionis feliciter peractae.

Trutulensem] Vat. Γ. *Trucculensem*, in margine *Trutulensem*; Δ. *Trutulens est*, quo confirmatur scriptura per t.

portum tenuit] i. e. in portu hibernandi caussa versabatur.

unde proximo — redierat] *Unde* non pertinet ad *redierat*, sed ad *lecto*; attractione enim duae enuntiationes ita confusae sunt, ut omisso *quo* relativo, quod cum *redierat* coniungendum est, eius loco *inde*, ad interpositam enuntiationem pertinens, relativam formam induerit. Plena igitur structura haec est: „*quo*, quum *inde* proximum Brit. latus omne *legisset*, *redierat*.“

Britanniae latere lecto] Ita Vat. Γ. Δ. Vulgo *latere Brit. lecto*, ex Puteolani mutatione. Intelligenda sunt haec verba de circumnavigatione Britanniae, quam quum inciperet exacta aestate classis, a Trutulensi portu progressa est, et ea perfecta salvis navibus eodem rediit.

XXXIX. 1. *rerum cursum*] Quoniam in cursu non subsistitur, verborum sensus est: has res *continenter* prospere gestas, feliciter procedentes ac fluentes; cf. c. 27, 1.

iactantia epistolis Agricolae auctum, ut Domitiano moris erat, fronte laetus, pectore anxius excepit. Inerat conscien- 2
tia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur; at nunc veram magnamque victoriam tot milibus hostium caesis ingenti fama celebrari. Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis 3
attolli; frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet; et cetera utcumque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque saevae cogita- 4
tionis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in prae-

Continuo proeliorum cursu. Hist. I, 48, 1. *T. Vinius cursu honorum inoffenso.*

nulla — iactantia] Negatio substantivo addita pertinet ad *auctum;* v. ad c. 16, 6.

auctum] Vat. *Γ. Δ. actum.* Correxit Lipsius, ut sensus utique poscit. Quippe Agricola litteris ad imperatorem de victoria sua missis armorum eventum non in maius auxerat, sed ad summam veritatem exposuerat; cf. c. 18, 8.

ut Domitiano moris erat] Ita Vat. *Γ. ut Domitiano erat Δ.* Attractione subiectum primarii enuntiati obiectum factum est secundarii, omisso pronomine demonstrativo, pro eo, quod est: *Domitianus*, ut *ei* moris erat, fronte laetus — excepit. — *Moris est* legitur etiam c. 42, 5. Ann. I, 56, 4. Hist. I, 15, 1. Germ. 13, 1. 21, 3.

fronte] = *äusserlich.*

2. *conscientia*] v. ad c. 16, 2.

falsum e Germania triumphum] cf. Dio Cass. LXVII, 4. Ἐστρατεύσας δ' εἰς Γερμανίαν καὶ μηδ' ἑωρακώς που πολέμιον ἐπανῆκε. Sueton. Domit. c. 6. *De Cattis Dacisque — duplicem triumphum egit.* Tac. Germ. 37, 7.

at nunc] v. ad c. 1, 4. Puteolanus scripsit *ac nunc.*

veram magnamque victoriam] Haec non continuo pendent ex verbis *inerat conscientia;* sed per zeugma inde repetendum *videbat*, vel *intelligebat*, vel *reputabat.*

3. *studia fori*] i. e. forensem eloquentiam.

civilium artium] *Civiles artes* continentur scientia rei publicae gerendae et de rebus gravioribus in senatu consultandi.

frustra — in silentium acta] i. e. *frustra ab ipso oppressa*, sc. quo suum imperium firmaret ingeniis promptorum virorum ad torporem damnatis; cf. c. 3, 3.

alius] sc. quam ipse.

et cetera] Ita Vat. *Γ. Δ. et* omisit Wexius.

utcunque] i. e. aliquo certe modo, quicunque is est (Germ. *allenfalls*); cf. Ann. XII, 50, 1. XIV, 57, 2. Plin. Epp. V, 5, 2.

dissimulare] i. e. *negligi, parum curari, omitti* (Germ. *ignoriren, über etwas hinwegsehen*); cf. c. 6, 3. 18, 8. Ann. XV, 71, 5. *Atilla, mater Annaei Lucani, sine absolutione, sine supplicio dissimulata.*

ducis boni — esse] Nota asyndeton in adversativa sententia. —

sentia statuit reponere odium, donec impetus famae et favor exercitus languesceret. Nam etiamtum Agricola Britanniam obtinebat.

XL. Igitur triumphalia ornamenta et illustris statuae honorem, et quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu iubet, addique insuper opinionem Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum
2 morte Atilii Rufi consularis et maioribus reservatam. Credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse, cum praecepto, ut, si in Britannia foret, traderentur; eumque libertum in ipso freto oceani obvium Agricolae, ne appellato

Imperatoriam, quae vox praedicatum efficit, significat: *ad imperatoris dignitatem parandam spectare;* quae caussa erat, cur haec virtus Domitiano *non dissimulanda videretur.*

4. *secreto suo satiatus*] Vis sententiae in *secreto* est, non in *satiatus. Secretum* autem est res *tacita mente agitata, tacito pectore recondita.* Qua quum *satiatus* dicitur Domitianus, hoc significatur, eum tum non palam petisse Agricolam, sed *contentum fuisse* (cf. Dial. c. 3, 4.) *odium suum atque invidiam virtutum Agricolae intra pectus coercere.* Bene igitur Orellius: „occultata simultate contentus, et eius arcano se ipse quasi pascens, neminemque praeterea eius conscium ac participem reddens.“

reponere] i. e. differre in serius tempus; cf. Ann. XVI, 5, 3. *Adversus illustres dissimulatum ad praesens odium, et mox redditum.*

impetus famae] i. e. *studia* hominum famâ rerum ab Agricola gestarum *vehementer accensa* (Germ. *der Sturm der Bewunderung*).

Nam — obtinebat] Quippe caussa reponendi odii timor erat, ne Agricola, ab imperatore offensus, exercitum sibi deditissimum contra illum duceret imperioque eum exueret.

XL. 1. *triumphalia ornamenta*] Ea erant toga picta, tunica palmata, corona laurea, sella curulis. Ad haec interdum addebatur statua, quae h. l. *illustris*, alias *laureata* (Ann. IV, 23, 1.), vel *triumphalis* (Ann. XV, 72, 2. Hist. I, 79, 5.) vocatur.

quicquid] sc. *praeterea*; supplicatio quippe et sacra.

pro triumpho] Haec dolorem quendam prodere videntur, quod ex more inde ab Augusto recepto, tanto viro, qualis Agricola fuit, leviores modo honores, qui triumphi essent parum idonei vicarii, non ipse triumphus concederetur.

addique — opinionem] i. e. et ad hoc famam divulgari.

maioribus] i. e. clarioribus et eminentioribus viris, quam qui in ceteras provincias mitterentur. Syria enim quum provincia esset opulentissima, eius praefectura tum plurimum dignitatis atque emolumenti habere putabatur, teste Herodiano II, 27.

2. *in Britannia*] Vat. *Γ. Δ. in Britanniam.* Correxit Puteolanus.

quidem eo ad Domitianum remeasse, sive verum istud, sive ex ingenio principis fictum ac compositum est. Tradiderat 3 interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio noctu in urbem, noctu in palatium, ita ut praeceptum erat, venit, exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servientium immistus est. Ce- 4 terum, ut militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus, adeo uti plerique, quibus magnos viros per ambitionem aesti-

ex ingenio] i. e. congruenter ingenio, ita ut ab ingenio non abhorreat. Germ. 9, 3. *Ex magnitudine coelestium.*

3. *Tradiderat* etc.] Id factum a. 85. p. Chr. n. De successore non constat.

quietam etc.] *Quietam* respectu Britannorum, i. e. rebellionem non agitantem ac placide parentem, *tutam* respectu Romanorum, i. e. cuius possessio firmata ac sine periculo erat.

notabilis] Germ. *Aufsehen erregend.*

noctu — noctu] Anaphorae h. l. ea vis est, ut indignitas rei notetur gravius; cf. c. 41, 1.

brevi osculo] i. e. raptim et quasi in praetereundo impertito; cf. Ann. XIII, 18, 3. *Septus turba centurionum et post breve osculum digrediens.* Similiter de Vitellio Hist. II, 59, 2. *Brevi auditu quamvis magna transibat.* De more principum eos osculandi, quibus favorem significare volebant, cf. etiam Ann. XIV, 56, 4. *His adiicit* (Nero) *complexum et oscula.*

servientium] Summam habet haec vox acerbitatem, siquidem tantus vir ac summus dux eodem loco ut vilissima aulae servitia fuit. *Servientes* autem h. l. vernacula sunt *Hofschranzen.*

immistus est] Germ. *er verlor sich unter* etc.

4. *Ceterum*] Adversativa vocis vis (v. ad c. 25, 1.) h. l. sic constat: Haec quidem invidiae signa *in aula Domitiani* experiebatur; *sed ipse* etc.

militare nomen] i. e. *nomen ducis bello clari;* v. ad Sall. Cat. 45, 2. et cf. infra c. 41, 2.

otiosos] i. e. togatos, a bello alienos.

tranquillitatem atque otium] Perhendiadyn est *tranquillitatem otii* (*stille Zurückgezogenheit*).

penitus auxit] *Penitus* est *maximum in modum, quantum potuit maxime;* cf. c. 45, 6. Dial. c. 30, 2. 32, 3. Scilicet *praeter solitam otiosorum vitam multa adhuc studiose quaesivit, quibus maiorem quandam tranquillitatem sibi circumdaret,* animumque a rebus publicis prorsus alienum ostenderet.

cultu modicus] *Cultus* dicitur de universo vitae externae genere et paratu, ita quidem, ut plerumque cum splendore quodam coniunctus cogitetur; cf. Sall. Cat. 37, 6. Iug. 5, 7. Germanice fortasse dicas: *in seinem äusseren Auftreten anspruchslos.*

mare mos est, viso aspectoque Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur.

XLI. Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est. Causa periculi non crimen ullum aut querela laesi cuiusquam, sed infensus virtutibus princeps et gloria viri ac pessimum inimicorum genus, lau-
2 dantes. Et ea insecuta sunt rei publicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent; tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania et Pannonia temeritate aut per ignaviam ducum amissi, tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti; nec iam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legio-

uno — comitatus] Ablativus *a* praepositione caret, quia non tam comitantium voluntas, quam ipsa comitatus ratio significatur; cf. Ann. XIV, 8, 4. *Agrippina respicit Anicetum, trierarcho Herculeo et Oloarito centurione classiario comitatum.*

per ambitionem] *Ambitio* h. l. intelligenda de magno et honorifico *comitatu* in egressibus, quo ambitiosi homines imprimis gaudebant. *Per* modum indicat, quo aestimatio fit. Idem dici poterat vel solo ablativo (cf. c. 5, 1. Hist. I, 13, 4.), vel *ex* praepositione.

quaererent famam] *Quaeruntur* quae vel non assunt, vel, si assunt, non comparent; quare sensus est: *ut nihil in eo reperirent, quod magnum virum proderet, et tantae eius famae responderet.*

interpretarentur] *Interpretari*, quod plerumque attributum adverbiale adiunctum habet (cf. Hist. I, 14, 3.) h. l. praegnanti sensu positum valet: *recte intelligerent, et talem agnoscerent, qualis erat.* — Obiectum verbi non est *eam* (famam), sed *eum* (Agricolam).

XLI. 1. *per eos dies*] i. e. primis post reditum diebus.

absens] Anaphora h. l. vanitas accusationum extollitur; cf. c. 40, 3.

infensus virtutibus princeps] sc. unde sperarent accusatores faciles eum aures criminationibus praebiturum. — De *virtutibus* v. ad c. 1, 1. et 1, 4.

gloria viri] sc. quae invidiam nonnullorum excitaret.

laudantes] v. ad c. 4, 4.

2. *Et ea insecuta* etc.] *Et* h. l. est *et sane;* adiungit enim sententiam hanc, *mox in ipsis reip. temporibus caussam fuisse, cur Agricola laudaretur.* v. ad c. 10, 3.

sileri] i. e. non laudari, non honorifice commemorari.

in Moesia Daciaque etc.] cf. imprimis Dio Cass. LXVII, 6, 7. et Sueton. Domit. c. 6.

militares viri] Ita Vat. *Γ. Δ.* Intelliguntur *viri fortes, strenui, rei militaris periti* (cf. Ann. XV, 26. 3. ib. XV, 10, 2. XV, 67, 2. Hist. III, 73, 2. et v. ad c. 40, 4.) a ducibus, quorum temeritate aut ignavia exercitus amissi erant, deserti ac proiecti, ut castella, quibus praeerant, tueri non valerent. *Ii* quum *expugnati* dicuntur, per metonymiam verbum, quod de *castellis* vel *praesidiis* usurpatur, ad ipsos *praefectos*, sive ii legati, sive tribuni aut centuriones erant, translatum est, ita ut *expugnati* significet *expugnatis castellis oppressi.*

de limite imperii] *Limes imperii*

num et possessione dubitatum. Ita cum damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem et constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine ceterorum. Quibus sermonibus satis 4
constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem exstimulabant. Sic Agricola 5
simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur.

vallum erat maximae longitudinis castellis crebris munitum ad arcendas hostium irruptiones in Pannonia Daciaque factas. — *Ripa* est Danubii, qui pariter pro propugnaculo habebatur.

possessione] Praegnanti sensu est: *de ipsa possessione; de totius provinciae possessione;* limites enim sive fines, pro quorum ambitu res vel maior vel minor fit, *toti rei* opponuntur; cf. Cic. Acad. II, 43, 132. *Est enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione contentio.*

dubitatum] i. e. *periclitatum;* cf. c. 5, 3. *In ambiguo Britannia fuit.*

3. *omnis annus*] i. e. *singuli deinceps anni*, qui fuere 86. 87. 88. p. Chr. n.

funeribus et cladibus] Illis *familiarum*, his *civitatis* damna significantur.

constantiam] v. ad c. 36, 1.

ceterorum] Vat. *Γ. Δ. eorum.* Correxit H. Grotius vitium ex neglecto vel omisso scribendi compendio (cōrum) ortum. *Ceteri* sunt *omnes alii*, qui vel iam victi essent ab hostibus (*inertia*), vel ad numerum eorum pertinerent, ex quibus novi duces contra hostes sumi possent (*formidine*). Omnes quippe inertes et ignavi erant.

4. *Quibus sermonibus — verberatas*] i. e. quos sermones *saepe multumque ad aures* Domitiani *pervenisse*, eique valde ingratos fuisse.

dum — exstimulabant] Imperfecto perpetuitas exstimulandi significatur (Germ. *in einem fort*); quare non est, quod in *dum* particula cum hoc tempore coniuncta offendatur.

amore et fide etc.] sc. qui *amore et fide in Domitianum ducebantur*, laudabant Agricolam, et ut dux contra hostes mitteretur suadebant, quia id Domitiano utile fore rebantur; *pessimi* laudando eo et vulgi honorificos de eo sermones referendo id efficere volebant, ut Domitianum in eum irritarent.

5. *vitiis aliorum*] *Vitia* in universum sunt vel ingenii vel morum; ad illa pertinet temeritas et ignavia ducum inhabilium, ad haec malignitas invidorum. Utraque gloriam Agricolae addiderunt, illa comparatione cum eius praestantia, haec maligna et ad perniciem composita eius laudatione.

in gloriam praeceps agebatur] Quia *praecipitia* ita deorsum feruntur, ut ipsa in cursu subsistere nequeant, *praecipitem agi* est *pessum abire*, *in perniciem dari.* Quare verborum sensus est: ita in gloriam agebatur cum sua pernicie, i. e. ut gloria ipsa certam ei perniciem afferret; quam rem supra iam

XLII. Aderat iam annus, quo proconsulatum Asiae et Africae sortiretur, et occiso Civica nuper nec Agricolae con-
2 silium deerat nec Domitiano exemplum. Accessere quidam cogitationum principis periti, qui iturusne esset in provinciam ultro Agricolam interrogarent. Ac primo occultius quietem et otium laudare, mox operam suam in approbanda excusatione offerre; postremo non iam obscuri suadentes simul terrentesque
3 pertraxere ad Domitianum. Qui paratus simulatione, in arrogantiam compositus et audiit preces excusantis. et quum annuisset, agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii in-

significavit Tacitus c. 5, 4. *Nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.* — De *perniciei* notione, quae in *praeceps* vocabulo est, v. ad Sall. Cat. 25, 3. ed. II. ib. c. 31, 9. *Quoniam — ab inimicis praeceps agor.*

XLII. 1. *Aderat iam annus* etc.] i. e. *iam ordo eum tetigerat, ut — sortiretur.* Quippe vetustissimi tantum consulares has provincias accipiebant.

Asiae et Africae] Non est *utramque simul*, sed *utrum* Asiam *an* Africam obtineret.

occiso Civica] cf. Sueton. Domit. c. 10.

nec — consilium deerat, nec — exemplum] sc. *non dubii erant*, Agricola, *quin abnueret*, ne idem pateretur, quod Civica, Domitianus, *quin idem faceret*, ut in Civica, si Agr. acciperet.

2. *cogitationum principis*] sc. cui certum erat Agricolam nullo pacto pati magnam provinciam cum imperio obtinere. — *Periti*, Germ. *eingeweiht in.*

ultro] i. e. qui, non contenti coniectando Agricolae mentem explorare, eo progrederentur, ut ambagibus missis interrogarent. Germanice est *geradezu.*

occultius] i. e. ita, ut, *quid eo spectarent*, occulerent.

quietem et otium] v. ad c. 6, 4.

in approbanda excusatione] i. e. in eo, ut Domitianum persuadendo moverent, ut excusationem acciperet; v. ad c. 5, 1.

non iam] Vat. *Γ. Δ. non tam.* Correxit Rhenanus. Sensus est: *iam non amplius, ut antea;* cf. c. 44, 5. Ann. XI, 28, 1. — *Obscuri* = *versteckt.*

suadentes etc.] *Suadentes*, sc. ut recusaret; *terrentes*, sc. si acciperet.

pertraxere] i. e. effecere, ut quamvis invitus iret.

3. *paratus simulatione*] *Paratus* h. l. non valet *instructus*, quod abl. suadere possit, sed *promptus ad sim.*, quod etiam dici poterat *paratus simulationi*, ut structura probabili habetur Ann. XII, 47, 4. Nam ut *intentus, confisus, assuetus* non solum cum dativo, sed etiam cum ablativo construitur (v. ad Sall. Cat. 2, 9. p. 14. ed. I.), ita idem fit in *paratus* voce. Igitur *paratus simulatione* dicitur, qui *simulationem in promptu habet*, sive, ut Sallustius loquitur Cat. 31, 7., qui *paratus est ad simulanda omnia.* Germ. *fertig mit der Verstellung.*

in arrogantiam compositus] i. e. *affectatam gravitatem sibi sumens*, in eo positam, quod rogari vellet id, quod ipse ardentissime cuperet.

vidia. Salarium tamen, proconsulari solitum offerri et quibusdam a se ipso concessum, Agricolae non dedit, sive offensus non petitum, sive ex conscientia, ne, quod vetuerat, videretur emisse. Proprium humani ingenii est odisse, quem lae- 4
seris; Domitiani vero natura, praeceps in iram, et quo obscurior eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur, quia non contumacia neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocabat. Sciant, quibus 5
morises t illicita mirari, posse etiam sub malis principibus

beneficii invidia] i. e. invidiâ, *quam beneficium suum haberet*, quippe quod odio potius quam gratiarum actione dignum esset.

salarium] Quantum id fuerit, non satis potest constitui; coniectura tantum fieri potest ex eo, quod Dio Cass. LXXVIII, 22. refert Aufidio Frontoni pro non accepta provincia decies centies sestertii oblatum esse.

proconsulari] Ita Vat. Γ. *procos.* Δ. Ernestius maluit *proconsulare*.

ex conscientia] v. ad c. 16, 2.

4. *odisse quem laeseris*] cf. Ann. I, 33, 1. *Anxius* (*erat Germanicus*) *occultis in se patrui odiis, quorum caussae acriores, quia iniquae.*

obscurior] i. e. ad silentium et arcanum pronior, ut perspici non posset.

eo irrevocabilior] sc. *ab ira*, i. e. *eo implacabilior.*

tamen] Refertur haec particula ad *quamquam* latens in verbis *praeceps in iram;* v. ad c. 3, 4.

inani iactatione libertatis] i. e. inutili libertatis experimento ad animos hominum advertendos facto. Germanice: *leere Thuerei mit der Freiheit.*

fatum] i. e. exitium, interitum; cf. Ann. XIII, 1, 1. *Mors Iunii Silani — paratur, non quia ingenii violentia exitium irritaverit.* — In *provocabat* nota leve quoddam zeugma, siquidem *fatum* modo *provocatur*, i. e. quasi per vim expostulatur, *fama* simpliciter *quaeritur.*

5. *illicita*] Non sunt *inhonesta*, sed vel *legibus vetita*, vel *principis voluntati et arbitrio repugnantia* (*polizeiwidrige Handlungen*), quae nemo sine periculo et poena negligere potest. Quia autem plerique eos mirabantur, qui vanae gloriae cupidine ducti illicita inciperent, ut puniti inclarescerent, eos Tacitus commonitos voluit, ne Agricolam propterea, quod illicitis abstineret, non pro magno viro haberent.

obsequiumque ac modestiam] cf. 30, 4. 8, 3. Germ. 43, 7. *Obsequium* German. reddas *Fügsamkeit.*

eo laudis excedere] Tacitus utrorumque laudem aequiparat, non alteram extollit super alteram. Et eorum quidem laudem, qui per abrupta inclaruerunt, summam esse concedit, non minorem tamen eorum esse dicit, qui obsequium ac modestiam cum industria ac vigore coniungant. Quare sensus verborum est: ad eum laudis gradum *evehi, attolli, escendere, quo* etc. Locum primus recte intellexit Schoemannus in Ind. scholl. Univ. Gryphisw. a. 1859—60. p. 18. coll. Val. Max. V, 6, 4. Plin. H. N. XXVII, 1, 1.

magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor assint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt.

XLIII. Finis vitae eius nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. Vulgus quoque et hic aliud agens populus et ventitavere ad domum et per fora et circulos locuti sunt, nec quisquam audita morte Agri-
2 colae aut laetatus est, aut statim oblitus. Et augebat misera-

per abrupta] i. e. *per praecipitia ac periculosa* (*auf gefährlichem Wege*), consiliis periculosis initis. cf. Ann. IV, 20, 4. *Dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum.*

in nullum rei publicae usum] Vat. *Γ. Δ. in ullum rei post usum.* Correxit Muretus. Restringuntur his verbis antecedentia in hunc modum: *per periculosa quidem, sed quae nihil rei publicae prodessent.* Ad sententiam illustrandam apprime facit locus Ann. XIV, 12, 2. *Paetus Thrasea, silentio vel brevi assensu priores adulationes transmittere solitus, exiit tum senatu, ac sibi caussam periculi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit.* Aliud exemplum legitur Ann. XVI, 26, 3—4.

ambitiosa morte] i. e. morte ad famam sibi comparandam quaesita; v. ad c. 29, 1. — De duobus ablatt. ad idem praedicatum relatis, quorum alter (*quo*) est instrumenti, alter (*amb. morte*) modi, v. ad c. 20, 3.

XLIII. 1. *nobis*] i. e. *proximis*, uxori, filiae, mihi; cf. c. 46, 1. *Nosque, domum tuam, — voces.*

extraneis] i. e. *alienis*, non ignotis quidem, sed tamen familiaritate non coniunctis; cf. Sueton. Claud. c. 4. Germ. *Fernerstehende.*

ignotis] cf. Ann. III, 1, 2. ubi similis omnium ordinum cura in Germanici morte describitur.

cura] Germ. *Theilnahme.*

hic aliud agens populus] i. e. *populus, qualis nunc est, eorum, quae fiunt, incuriosus.* Nam ut formulâ *hoc age, hoc agite*, homines iubentur in id animum intendere, quod praesens est, ita *aliud agere* dicuntur, qui non attendentes ad id, quod in manibus est, aliena sequuntur, vel negotia sua, vel voluptates, vel omnia alia cogitantes. Germ. maxime respondet *zerstreut.* — *Vulgus et populus* ita differunt, ut *vulgus* sint infimi generis homines, *populus* vero cives honesti quidem, sed mediocritatem nunquam egressi; cf. Hist. I, 89, 1. *Vulgus et magnitudine nimia communium curarum expers populus.* Dialog. c. 7, 5. *Vulgus imperitum et tunicatus hic populus.*

locuti sunt] sc. *eum;* cf. Ann. XVI, 22, 2. *Nunc te, Nero, — civitas loquitur.* Hist. IV, 12, 1. *Caesos exercitus — non ut mala loquebantur.*

2. *Et augebat*] Vat. *Γ. Δ. oblitus est. Augebat.* Emendavit Froehlichius apud Halmium. De *et* par-

tionem constans rumor veneno interceptum. Nobis nihil comperti, affirmare ausim. Ceterum per omnem valetudinem 3
eius, crebrius quam ex more principatus per nuntios visentis, et libertorum primi et medicorum intimi venere, sive cura illud sive inquisitio erat. Supremo quidem die momenta 4
ipsa deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente sic accelerari, quae tristis audiret. Speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit, securus iam odii, et qui facilius dissimularet gaudium quam metum. Satis con- 5
stabat lecto testamento Agricolae, quo coheredem optimae

ticula novum enuntiatum cum asseveratione de veritate rei factae annectente v. ad c. 10, 3. 41, 2.

constans] i. e. nunquam cessans aut refutatus.

Nobis nihil comperti etc.] Ita Vat. *Γ. Δ.* Supple *esse;* accusativus enim c. inf. est, pendens ex *affirmare ausim.* Tacitus enim, qui, ut ex sequentibus patet, de veritate rumoris non dubitabat, tamen, quum certa argumenta deessent, rem noluit pro certo affirmare, sed caute modo significavit. Hoc enim dicit: „ego nihil affirmare possum nisi hoc, nobis nihil comperti esse;" in quo cogitandum lectoribus relinquit: *unde non consequitur rumorem falsum esse.*

comperti] i. e. quod certo documento constet; v. ad c. 10, 1.

3. *Ceterum*] v. ad c. 25. 1.

principatus per nuntios visentis] i. e. principum, qui non ipsi visunt, sed sui vicarios mittunt visendi gratia.

medicorum intimi] sc. qui aptissimi essent ad dolosa consilia de tollendo Agricola exsequenda; cf. Ann. IV, 3, 4. *Sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liviae, specie artis frequens secretis.*

sive — sive] cf. c. 40, 2.

inquisitio] cf. Ann. II, 69, 3. *Missi a Pisone incusabantur ut valetudinis adversa rimantes.*

4. *momenta ipsa*] Ita Vat. *Γ. Δ. ipsa* omisit Puteolanus. Significatur verbis *illud ipsum temporis punctum, quo iam animam agebat* (Germ. *die letzten Augenblicke*).

cursores] sc. non Romae erat Domitianus, sed in *Albana villa*; cf. c. 45, 2.

constabat] Vat. *Γ. Δ. constabant.* Correxit Rhenanus. Vitium falsa constructione ortum.

sic accelerari] i. e. tanta festinatione ei nunciari.

animo vultuquo] Non est ἓν διὰ δυοῖν, sed utrumque vocabulum suam vim retinet, ut Hist. I, 85, 3. *Animum vultumque conversis.* IV, 31, 3. *Dixit sacramentum, non vultu neque animo satis affirmans.* — *Animo dolor simulatur*, si quis silet, iocis atque verbis laetis abstinet, voluptates intermittit, tristia loquitur; *vultu fictus dolor* oculis maxime totiusque oris habitu ad tristitiam composito proditur.

securus iam odii] Haec verba caussam afferunt, cur Domitianus *animi vultusque dolorem* per speciem ostendere potuerit; quippe odio expleto, *cuius, quamdiu vivebat Agricola, impotens erat*, iam valebat omnem simulationem in-

uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum
6 velut honore iudicioque. Tam caeca et corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi heredem nisi malum principem.

XLIV. Natus erat Agricola Gaio Caesare tertium consule Idibus Iuniis; excessit quarto et quinquagesimo anno, decimo
2 Kalendas Septembres Collega Priscoque consulibus. Quod si habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit; nihil metus et impetus in vultu; gratia oris

duere. Quare *securus iam odii* significat: *de odio iam non amplius cogitans.*

metum] sc. qui odii caussa erat.

5. *coheredem*] Quum Tacitus non dicat, quantam hereditatis partem Domitianus testamento acceperit, putandus est *ex dimidia parte* heres scriptus esse.

velut honore iudicioque] i. e. quasi *honor* esset, quae re vera erat ignominia, quippe mālignum principis animum testans, et quasi *iudicium* esset (i. e. vera animi persuasio, cf. Hist. I, 15, 3. I, 32, 1. I, 52, 1.), quae erat necessitate expressa cautio ad unam certe partem bonorum suis servandam.

6. *a bono patre* etc.] i. e. bonum patrem non privare suos parte bonorum principe herede scribendo, nisi metu mali principis ad id impellatur. Metus enim plerisque erat, ne rescisso testamento omnia bona in fiscum redigerentur; cf. Ann. XVI, 11, 1. *Nec defuere, qui monerent magna ex parte heredem Caesarem nuncupare, atque ita nepotibus de reliquo consulere.*

XLIV. 1. *natus erat*] Plusquamperfecto utitur Tacitus, quia non hic incipit narrationem, sed ea absoluta regreditur ad singula nonnulla repetenda.

quarto et quinquagesimo anno] *Vat. Γ. Δ. VI° et L^mo anno.* C. Caesar quum tertium cos. esset a. 40. p. Chr., Collega Pompeius autem et Corn. Priscus consulatum gererent a. 93., necesse est alterutrum numerum falsum esse. Probabiliter igitur Broterius coniecit VI° depravatum esse ex IV°. De universa re cf. doctam et accuratam Wexii disputationem in Prolegg. p. 199 sqq.

2. *habitum*] v. ad c. 11, 2.

decentior — fuit] De structurae ratione v. ad c. 34, 3. coll. Liv. XXI, 40, 5. Quid sit *decentior* et *sublimior* sequentibus enuntiatis illustratur, ita ut singula membra per chiasmum sibi respondeant. *Decens* Germ. est *anmuthig*, *edel*, *sublimis imponierend.*

nihil metus et impetus in vultu] Ita Vat. *Δ. nihil impetus in vultu Γ.* et in margine *metus* Al'., quo patet in Vat. *Δ.* genuinam scripturam esse, in Vat. *Γ. et metus* casu excidisse. Vulgo *nihil metus in vultu* ex Puteolani mutatione. Sensus est: *nihil erat in vultu, quod metum aliis incuteret, nihil quod ipsius agendi vigorem et alacritatem proderet.* cf. c. 15, 5. *Plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse.* Cic. Epp. ad Attic. II, 21. *Timeo — ne omni animi impetu*

supererat. Bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis 3
ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit; quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito quid aliud astruere fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat, spe- 4

dolori et iracundiae pareat. p. Coel. 31, 76. *De impetu animi loquor.* Plin. Epp. II, 19, 2. *Neque me praeterit, actiones, quae recitantur, impetum omnem caloremque ac prope nomen suum perdere.*

supererat] i. e. abunde ei erat; cf. c. 45, 7. Germ. 6, 1. 26, 3. Hist. I, 83, 2. I, 51, 2.

facile crederes etc.] i. e. habitus bonum virum *commendabat*, magnum *non redarguebat;* quippe non repugnares magnum esse affirmanti, quamquam nihil in eo erat, quod eam opinionem excitaret atque ultro obiiceret.

3. *ipse quidem*] Germ. *er für seine Person*, i. e. si a ceteris omnibus, quae mortem eius tristem fecerunt, discedas.

medio in spatio integrae aetatis] Plane haec respondent Germanico: *mitten in seinen besten Jahren. Integra aetas* enim est, qua quis nullum adhuc virium detrimentum accepit.

sita sunt] Ita Vat. *Γ. sunt* deest in *Δ.*

bona — impleverat] i. e. plane assecutus erat; cf. Plin. Epp. II, 1, 2. *Perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium privati hominis implere t.* VIII, 13, 1. *Vides, cuius debeas implere vestigia.*

consulari] Ita Vat. *Γ. Δ.* Vulgo *consularibus*, ex mutatione Puteolani. cf. 9, 7.

triumphalibus] cf. c. 40, 1.

4. *non gaudebat*] i. e. non multum iis tribuebat, haud magnum iis pretium statuebat; cf. Germ. 5, 2. 15, 3.

speciosae] i. e. satis amplae, haud contemnendae; id aliqua ex parte probatur c. 6, 1. 7, 1.

contigerant] Vat. *Γ. Δ. non contigerant*, quem errorem oscitatio librarii, cui *non* ex praecedente verbo haerebat, genuit. Correxit Rhenanus, ita postulante oppositionis ratione. Nimiis enim opibus, quas neque habebat neque cupiebat, opponuntur *speciosae*, quas habebat et in iis acquiescebat.

Filia atque uxore superstitibus etc.] Sensus est: Quum hoc ei contigisset, ut filiam atque uxorem superstites haberet, neque immatura earum morte afflictaretur, potest adeo videri beatus futura effugisse, qui tum, quum obiret, incolumi esset dignitate, etc. Caussam beatitudinis igitur ponit Tacitus in eo, *quod Agricola, quoad vivebat, filia atque uxore non orbatus fuit*, usque ad mortem dignitatem, famam, affines et amicos retinens, quae ipsa, licet magna, non eam vim habere potuissent, ut beatus videretur, si antea amissis pignoribus suis graviter afflictus fuisset. Verborum structura ita comparata est, ut *filia atque uxore superstitibus* sint ablativi absoluti iique caussales, ad plenum praedicatum *potest videri beatus futura effugisse* pertinentes, *incolumi dignitate* etc. abll. qualitatis (cf. c. 36, 1.) ad declarandam subiecti condicionem effugiendi.

ciosae contigerant. Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus incolumi dignitate, florente fama, salvis af-
5 finitatibus et amicitiis futura effugisse. Nam sicuti durare in hanc beatissimi seculi lucem ac principem Traianum videre quondam augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solatium tulit evasisse postremum illud

incolumi dignitate] sc. *senatoria*, quae mox incredibiliter deformata est; cf. c. 45, 2.

affinitatibus et amicitiis] v. ad c. 16, 3. 45, 5.

5. *durare in hanc — lucem*] Vat. *Γ. Δ. durare in hac — luce.* Correxit Acidalius. *Durare in* vel *ad aliquam rem* significat *vitam producere* vel *continuare usque ad aliquod tempus, aliquod tempus attingere;* cf. Ann. III, 16, 2. *Qui nostram ad inventam duraverunt.* Dialog. c. 17, 7. *Corvinus in medium usque Augusti principatum — duravit.*

seculi] v. ad c. 3, 1.

quondam] Vat. *Γ. Δ. quod;* quam vocem neglecto scribendi compendio ex *quondam* esse ortam recte coniecit Ritterus.

augurio votisque — ominabatur] *Augurio ominari* sensu non differt a simplici *augurari*, quod in eadem sententia legitur Hist. I, 50, 5. *Erant, qui Vespasianum et arma orientis augurarentur;* est igitur *animo praesagire atque coniicere.* Per zeugma dictum *votis ominabatur* pro *votis expetebat.* Duae enim res diversae in unum enuntiatum contractae sunt; quippe *et augurabatur* fieri posse, ut ipso adhuc vivente praesens condicio miserrima in laetiorem statum mutaretur, *et vehementer optabat*, ut eam felicitatem sub Traiano principe videret, quem aliquando imperio potiturum esse non dubitabat.

apud nostras aures] i. e. nobis audientibus; v. ad c. 21, 3.

sicuti — ita] i. e. *quamquam — tamen*, quo sensu *ut — ita* dici tritissimum est; neque tamen *sicut* inusitatum; cf. Dialog. c. 37, 5. *Quae mala sicut non accidere melius est, — ita, quum acciderent, ingentem eloquentiae materiam subministrabant.* Liv. XXI, 35, 3. *Elephanti sicut — magna mora agebantur, ita tutum ab hostibus — agmen praebebant.* XXI, 39, 7. *Convenerantque duces, sicuti inter se nondum satis noti, ita iam imbutus uterque quadam admiratione alterius.*

festinatae] i. e. *contra naturam acceleratae.* Tangit hac voce Tacitus aperte suspicionem veneni.

grande solatium tulit evasisse] Quoniam *solatium* aegritudinem tollit vel minuit, qui *solatium fert*, i. e. *accipit, habet*, hoc consequitur, ut minus miserandus sit. Quare sensus est: *ita ob festinatam mortem minus infelix putandus est, quia evasit etc.* Structura verborum talis est, ut *grande solatium* accusativus attributivus sit, *evasisse* obiectum. — Iam universi loci sententiam sic cape: nam quamquam quondam mihi significabat, putare se meliora tempora non remota esse, quae et ipse attingere posset, atque principem Traianum fore, quem videre valde cuperet, tamen, hac spe deceptus, in festinata morte minus miserandus videtur, propterea quod evasit postremum illud tempus.

tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit.

XLV. Non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum, et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exilia et fugas. Una adhuc victoria 2 Carus Metius censebatur et intra Albanam arcem sententia

non iam] v. ad c. 42, 2.

spiramenta] Sunt *pausae*, quibus *spiritus* rursus duceretur, quibus *respirarent* homines (Germ. *Ruhepuncte*); cf. Ammian. Marc. XXIX, 1. *Sumptum est de quibusdam sine spiramento vel mora supplicium.* — *Temporum* videtur etiam ad *intervalla* referendum.

continuo] Adiectivum est.

uno ictu] Vix dubitari potest, quin Tacitus ad Domitianum transtulerit, quod de Caligula refert Seneca de ira III, 19. *Homo, qui de toto senatu trucidando cogitabat, qui optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua — in unum ictum et unum diem cogeret.*

exhausit] i. e. perdidit, confecit, nobilissimis viris interfectis.

XLV, 1. *obsessam curiam* etc.] sc. ad senatores terrore cogendos, ut saevi principis voluntati obedirent. Res de Domitiano non aliunde nota est; sed idem a Nerone factum tradit Tacitus Ann. XVI, 27.

clausum] Ita Vat. Δ. *clusum* Γ.

eadem strage] Haec ad sequentia pertinent, non ad praegressa.

consularium] Eorum indicem habet Sueton. Dom. 10.

feminarum] cf. Plin. Epp. III. 11, 3. VII, 19.

2. *una adhuc*] i. e. dum in vivis erat Agricola adhuc unâ tantum, non tam multis, quae mox insecutae sunt. — *Censebatur* verbo haec efficitur sententia: una victoria Cari Metii *numerabatur*.

Carus Metius] Famosus sub Domitiano delator; cf. Plin. Epp. VII, 27, 14. VII, 19, 5.

intra Albanam arcem] Ita dicta Domitiani villa ad montem Albanum, ubi secessum agitabat; cf. Dio Cass. LXVII, 1. Iuvenal. IV, 145. Plin. Epp. IV, 11, 6. Panegyr. c. 48, 3. In illa villa, tanquam in arce munita, caedem atque stragem virorum atque feminarum illustrium agitabat *instigante Messalino*. Hinc est, quod Tacitus dicit *intra Alb. arcem sententia Mess. strepebat* i. e. *furebat;* vis sententiae enim quum sit in *intra* voce, sensus est: Albana arce adhuc continebatur, *nondum*, ut paulo post, *in curiam egressa.*

Messalini] Homo fuit nequissimus et sanguinarius; cf. Plin. Epp. IV, 22, 5.

Baebius] Vat. Γ. *Bebius*. Δ. *Boebius*. cf. Hist. IV, 50, 3. *Baebius Massa e procuratoribus Africae, iam tunc optimo cuique exitiosus, et in caussas malorum, quas mox tulimus, saepius rediturus.*

tum reus erat] Ita Vat. Δ. *iam tum reus erat* Γ., et sic vulgo. Quum ea, quae Agricola vivo adhuc tolerabilia erant, opponantur iis, quae post eius mortem prorsus intolerabilia facta sunt, haec sententia verbis subest: Massa Baebius, *qui paulo post delator maxime timendus accusationibus in plurimos saeviit*, tum *adhuc* talis erat, qui in ius vocari posset. Quare *iam*, temere a librario in Vat. Γ. illatum, ferri nequit. — De Baebii

Messalini strepebat, et Massa Baebius tum reus erat. Mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus, nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. 3 Nero tamen subtraxit oculos suos, iussitque scelera, non spectavit; praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et aspici, quum suspiria nostra subscriberentur, quum

accusatione, quam auctoritate senatus Plinius cum Herennio Senecione peregit, v. Plin. Epp. VII, 33, 4.

nostrae duxere — manus] i. e. *nos ipsi senatores*, non viles delatores, *duximus* etc. Toti autem senatui tribuit, quod unus vel pauci fecerunt; cf. Plin. Epp. IX, 13, 2. *Inter multa scelera multorum nullum atrocius videbatur, quam quod in senatu senator senatori, praetorius consulari, reo iudex manus intulisset.* Fuit autem Helvidius filius Helvidii Prisci, de quo dictum c. 2. 2. Eius caedis caussam refert Sueton. Dom. c. 10. hanc, quod *scenico exodio sub persona Paridis et Oenones divortium suum* (*Domitiani*) *cum uxore taxasset.*

nos Maurici Rusticique visus etc.] Ita Vat. Γ. Δ.; in margine Γ. et in notis Ursini legitur: *nos Mauricum Rusticumque divisimus*, quae verba, ut coniectura, nullam fidem habent. In codicum scriptura ex *perfudit* per zeugma ad *visus* cogitandum est *perculit*, vel *afflixit;* cetera verba, quibus poetice res augetur, hunc sensum habent: nos Senecionem innocentem *interfici vidimus.* — *Mauricus* et *Rusticus* fratres erant, quorum ille a Domitiano relegatus est (cf. Plin. Epp. III, 11, 3. I, 5, 10.), hic interfectus (cf. supra c. 2, 1. Plin. Epp. ll. ll., Suet. Dom. c. 10.). Uterque Plinii amicus fuit; cf. Epp. I, 14. II, 18. IV, 22, 3. VI, 14. — De *Senecione* v. ad c. 2, 1.

visus] i. e. *aspectus*, *spectaculum*, sc. *quod illi a furente principe damnati oculis nostris praebuerunt;* cf. Cic. de N. D. I, 5, 12. *Multa esse probabilia, quae visum haberent quendam insignem.* Vellei. II, 94, 2. *Tiberius — visu praetulerat principem.* Plin. H. N. XXII, 6. *Visuque ipso animos invitaverant.*

3. *tamen*] Refertur particula ad suppressam sententiam concessivam huiusmodi: Nero *quamquam multa foeda patraverat*, vel *quamquam saevus*, *tamen* etc.; v. ad c. 3, 4. Ann. IV, 7, 3.

subtraxit etc.] Ita Vat. Γ. Δ. *suos* omisit Puteol. cf. Ann. III, 53, 1. *In hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit.*

praecipua etc.] De nexu cum praecedentibus v. ad c. 13, 1.

videre] sc. eum, tale monstrum. Egregie in eam sententiam Cicero Epp. ad Famm. VI, 1, 2. *Oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur, nec avertere a miseriis cogitationem sinunt.* ib. VII, 30, 2. *Audire tolerabilius est, quam videre.* — *Aspici*, sc. ab eo.

subscriberentur] *Subscribendi* vocabulum proprium in accusando. Quare sensus est: *quum suspiria nostra notarentur, ut caussam delationibus praeberent.*

quum — sufficeret etc.] *Sufficere alicui rei* est *parem esse rei, satis valere ad aliquid, sustinere aliquid, non defatigari aut frangi aliqua re* (Germ. *etwas aushalten*); cf. Hist. IV, 8, 2. Curt. VI, 8, 16. *Rex non*

denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat.

Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, sed 4 etiam opportunitate mortis. Ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti, tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiaeque eius praeter acerbitatem parentis erepti 5 auget maestitiam, quod assidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu complexuque non contigit. Excepissemus certe 6 mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. Noster hic

coenare modo, sed etiam familiariter colloqui cum eo, quem damnaverat, sustinuit. Hoc igitur dicit Tacitus: quum nemo alius *ferre* potuisset tot pallidorum hominum aspectum, Domitianus saevo illo vultu *sustinuit adeo denotare pallores*, i. e. *sustinuit pallida hominum ora cum cura contemplari, observare et inquirere*, sc. si quis insigniores tristitiae notas proderet, quibus corripi et ad supplicium trahi posset.

denotandis] cf. Ann. III, 53, 1. *In hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum — ipse etiam viderem eos ac velut deprehenderem.* — In hac sententia *denotare* Germ. est *ins Auge fassen.*

tot hominum] i. e. senatorum, qui frequentes adesse et immanitatem Domitiani spectare atque audire cogebantur.

ille] i. e. notus et famosus; cf. Plin. Panegyr. c. 48, 4. *Ira in oculis, — in ore impudentia multo rubore suffusa.* Sueton. Dom. c. 18. *Fuit vultu ruboris pleno.*

quo se] Vat. *Γ. Δ. a quo se.* Correxit Lipsius.

contra pudorem] Quum constans et perpetuus esset Domitiano rubor, ut nunquam pudor, subito rubore indicatus, prodi posset, *rubore quasi arcebat pudorem.*

4. *Tu vero felix* etc.] cf. Cic. de Orat. III, 3, 12. *Ego vero te, Crasse quum vitae flore tum mortis opportunitate divino consilio et ortum et exstinctum esse arbitror.*

ut perhibent] Vat. *Γ. Δ. ut perhiberent.* Correxit Puteolanus.

constans et libens] i. e. neque, perturbatus (v. ad c. 36, 1. Ann. XV, 63, 2. XVI, 19, 1.) neque repugnans (Germ. *ergeben u. willig*).

pro virili portione] i. e. *quantum in te esset.* Eadem dictio, pro qua olim dicebatur *pro virili parte*, legitur Hist. III, 20, 2.

tanquam — donares] *Donantur* ea, quae quis non habet. Quare hac voce ad scelus Domitiani alluditur, quippe cui innocentia, *qua carebat*, quasi donaretur.

5. *filiaeque eius*] Ita Vat. *Γ. Δ. eius* omisit Rhenan. Transit Tacitus ex allocutione in narrationem, ad illamque demum §. 7. se recipit.

valetudini] i. e. aegroto; v. ad c. 16, 3.

vultu] sc. eius. — *Complexu* = *complectendo eo.*

6. *Excepissemus*] Vat. *Γ. Δ. excepissem.* Correxit Puteolanus.

Noster] i. e. proprius nobis et ad nos solos pertinens dolor, communi omnium dolori oppositus.

vulnus] cf. c. 29, 1. 37, 5.

dolor, nostrum vulnus; nobis tum longae absentiae condicione
7 ante quadriennium amissus est. Omnia sine dubio, optime parentum, assidente amantissima uxore superfuere honori tuo; paucioribus tamen lacrimis comploratus es, et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui.

XLVI. Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum
2 voces, quas neque lugeri neque plangi fas est. Admiratione

tum longae absentiae condicione] Vat. *Γ. tam longa absentiae cond.*, *Δ. tam n̄ rę absentię cond.;* in margine *Γ. tum l. abs. c.* Enuntiato hoc caussa affertur praecedentis, omissâ caussali particulâ. Proprius enim Tacito atque uxori dolor eo effectus est, quod Agricola non *tum* demum orbati sunt, *quam mortuus est*, sed quod iam multo prius eum amiserunt. Nam quum obiret a. 93. p. Chr., Tacitus autem a. 89. Romam relinqueret, neque eum reviseret, anno 93. iam *ante quadriennium genero et filiae amissus erat.* In hac sententia ut *tam* ferri non potest, ita *tum*, sive coniectura est Pomponii Laeti sive felicius e codice suo eruta lectio, unice verum; aliter enim *ante quadriennium* soloecum foret. — *Longa absentia* probabiliter de provinciae praetoriae administratione (cf. Prolegg. p. 4.) ultra solitum tempus extracta intelligenda est. Cuius rei quum satis gravis caussa fuisse videatur, quam Tacitus *condicionis* vocabulo significat, *condicio* fere idem est quod *necessitas.*

amissus est] Ita Vat. *Γ. Δ. amissus es* Rhenanus, quod falsum esse patet ex verbis *filiaeque eius.*

7. *superfuere*] v. ad c. 44, 2.

comploratus] Ita Vat. *Γ. Δ.*; in marg. *Γ. compositus*, quod, licet in edd. vulgatum sit, neque fide externa commendatur, et ad affectum animi declarandum multo est deterius.

desideravere] cf. Cic. p. Rosc. 5, 13. *Desideraverunt te oculi mei.*

aliquid] i. e. *partem tuorum*, filiam et generum.

XLVI. 1. *ut sapientibus placet*] i. e. ut philosophi statuunt; cf. c. 2, 2. 4, 2. Ann. XVI, 19, 2.

infirmo] i. e. quod *animi infirmitatem* prodit (Germ. *schwächlich*).

ad contemplationem etc.] Similiter Seneca moriendi certus Ann. XV, 63, 1. *Uxorem rogat oratque, temperaret dolori, ne aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solatiis honestis toleraret.*

lugeri — plangi] *Lugere* est dolorem animo sentire; *plangere* dolorem pulsando corpore prodere.

fas est] i. e. *decet.*

2. *quam temporalibus laudibus*] Vat. *Γ. Δ. temporalibus laudibus* omisso *quam.* Restituendum esse monuit Ursinus in Notis, ut ait, ex vet. cod. — *Temporales laudes* sunt *fluxae et paulo post oblivione interiturae. Temporale* enim imperatorum aetate dicebatur, quod *ad certum modo idque breve tempus valebat;* cf. Seneca Quaest. N. VII, 23. *Omne, quod caussa temporalis accendit, cito intercidit.* Quin-

te potius quam temporalibus laudibus, et, si natura suppe-
ditet, aemulatione decoremus. Is verus honos, ea coniunctis- 3
simi cuiusque pietas. Id filiae quoque uxorique praeceperim,
sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dicta-
que eius secum revolvant, formamque ac figuram animi magis
quam corporis complectantur; non quia intercedendum putem 4
imaginibus, quae marmore aut aere finguntur; sed ut vultus

til. VII, 2, 10. *Adiiciunt quidam peritorum πάθος temporale esse.* Recte autem temporalibus laudibus, quippe quae sermonibus quotidianis Agricolae tribuantur, opponitur *admiratio*, quae, ubi vera est, perpetua et constans sit necesse est.

si suppeditet] i. e. si sufficiat, si ita valeat; si vires ad id sint.

aemulatione decoremus] Vat. *Γ. militum decoramus. Δ. multum decoramus.* Hoc quoque loco Ursinus in Notis veram scripturam ex vet. cod. protulit. Ad *decoremus*, quod insignem dignitatem habet, cf. Ennium apud Cic. Tuscc. I, 15, 34. *Nemo me lacrumis decoret nec funera fletu faxit.* Virg. Aen. XI, 24. *Ite, ait, egregias animas — decorate supremis muneribus.* Sall. Cat. 12, 3. *Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant.*

3. *formamque*] Vat. *Γ. Δ. famamque.* Correxit Muretus; ineptum enim, proximis, qui Agricolam penitus nossent, praecipi, ut, quae *fama* sit de figura eius animi, i. e. quae vagi sermones hominum de ea circumferant, complectantur; ineptius etiam, quod *famam figurae corporis* non complecti iubentur. *Forma ac figura* saepissime dicitur de *universa* alicuius rei *natura*, ut vernaculum *Wesen und eigenthümliche Gestaltung*, *Eigenthümlichkeit*; cf. Cic. Tuscc. I, 16, 37. *Animorum formam aliquam atque figuram quaerebant.* de Finn. V, 12, 35. de Orat. III, 45, 179. Plin. Panegyr. c. 55, 11. *Formam principis figuramque non aurum melius vel argentum quam favor hominum exprimat teneatque.* Ad sententiam cf. quae Tiberius Ann. IV, 38, 1 – 2. magis honeste quam vere de se loquitur.

4. *intercedendum*] Verbum *intercedere* proprie de tribunis usurpatum, transfertur ad omnia, quae quis fieri *vetat* vel *prohibet.*

finguntur; *sed*] Male in multis edd. post *finguntur* commate interpungitur; mutatâ enim structurâ pro suspenso enuntiato, quod concinnitas membrorum postulat, primarium infertur, quod non sine maiore incisione fieri potest. cf Cic. Epp. ad Famm. X, 12, 3. *Senatui maiora visa sunt* (tua consilia) *quam erant exspectata; non quo unquam de tua voluntate dubitasset; sed nec quantum facere posses, nec quo progredi velles, exploratum satis habebat.* Id. ib. XIII, 1, 15. de Orat. II, 72, 295. Brut. 21, 83.

5. *mansurumque est*] Aliquantum hoc differt a *manebit.* Hoc enim rem simpliciter et indefinite reiicit in tempus futurum; neque infrequens est haec praesentis et futuri coniunctio (cf. Drakenb. ad Liv. XXXIX, 40, 8. Vell. II, 66, 5.); illud indicat, rem iam nunc ita comparatam esse, ut eam mansuram esse sponderi possit.

fama rerum] i. e. *historiâ, rerum gestarum memoriâ.* Ablativus non pendet ex *in*, sed est instrumen-

hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis aeterna, quam tenere et exprimere non per alie-
5 nam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. Quicquid ex Agricola amavimus, quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum fama
6 rerum. Nam multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruit; Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.

talis ad *manet mansurumque est* pertinens.

6. *obruit*] Vat. *Γ. Δ. obruet.* Palmaris emendatio Hauptii in Mus. Rhen. a. 1845. Vol. III. p. 152. *obruit.* Non auguratur enim Tacitus de varia sorte futura multorum veterum et Agricolae, quorum illi in oblivionem venturi, hic superstes futurus sit, sed cur ea vis sit *famae rerum*, ut Agricolae immortalitatem praestet, ostendit. Scilicet ut alicuius memoria ad posteritatem perveniat, opus est, ut fama rerum eum amplectatur eumque posteris tradat. Quibus id non contigit, latent in perpetuum neque ulli noscuntur aut celebrantur. Nam multi veterum, *virtute sua magnam gloriam meriti, ac digni quorum memoria apud posteros vigeat*, tamen *velut inglorii et ignobiles* in obscuro latent, *quia fama rerum iis non succurrit, neque quisquam de eorum vita, moribus rebusque gestis memoravit.* At Agricolae id non accidet; iam enim, quum posteritati narratus et traditus sit, non verendum est, ne memoria eius ut multorum veterum intercidat; durabit et superstes erit. In planissima hac sententia patet cardinem versari in oppositione verborum *oblivio* et *narratus et traditus*, quae res neglecta editoribus fraudi fuit. *Oblivio* autem fit tum, quum res memorandae non memorantur, quod multis veterum *accidit*, non *accidet.* Ad sententiam ipsam cf. Sall. Fragm. Hist. I, 57 (62). *Sertorius magna gloria tribunus militum in Hispania T. Didio imperante, magno usu bello Marsico paratu militum et armorum fuit, multaque tum ductu eius curata primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum incelebrata sunt.* Tac. Ann. III, 65, 1. *Exsequi sententias haud institui, nisi insignes per honestum aut notabili dedecore, quod praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur.* Plin. Epp. IX, 14. III, 5. Cic. Brut. 15, 60. Quibus locis quum hoc asseratur, *nullam esse virtutum apud posteros memoriam, nisi sint, qui eas tradant*, tum idem Horatius ut poeta egregie exornat Od. IV, 9, 25.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrimabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

INDEX HISTORICUS.

A.

M. Aemilius Scaurus suam vitam scripsit. 1, 3.
Agricola nascitur. 44, 1.
— eius parentes. 4, 2. 3.
— eius educatio et studia. 4, 4—6.
— eius prima stipendia in Britannia. 5, 1.
— tribunus militum. 5, 2.
— Domitiam Decidianam uxorem duxit. 6, 1.
— quaestor in Asia. 6, 3.
— tribunus plebis. 6, 4.
— praetor. 6, 4. 5.
— dona templorum recognoscit. 6, 5.
— liberi ei nati. 6, 3. 29, 1.
— matrem amittit. 7, 1.
— ad Vespasiani partes transit. 7, 2.
— vicesimae legioni in Britannia praeponitur. 7, 3.
— inter patricios ascitus praeficitur Aquitaniae. 9, 1—5.
— consul, pontifex, legatus consularis Britanniae fit. 9, 7.
— filiam Tacito collocat. 9, 7.
— Ordovices devincit. 18, 2—5.
— Monam insulam recipit. 18, 5—7.
— administrationem provinciae emendat. 19.
— Britannos mollire studet. 21.
— continuis expeditionibus usque ad Caledonios progreditur. 22—29.
— Caledonios ingenti pugna devincit. 29—38.
Agricola classem circumvehi Britanniam iubet. 38, 5.
— revocatus odio Domitiani urgetur. 39.
— honores ei habiti. 40, 1.
— otium sequitur. 40, 4.
— sortiri provinciam recusat. 42, 1—3.
— iustus et severus. 9, 2—3. 19. 22, 4.
— prudens et moderatus. 4, 6. 42, 4—5.
— modestus et obsequiosus. 8, 3. 39, 1.
— ei gloria ac fama perniciosa. 41.
— Domitianum coheredem scribit. 43, 5.
— eius mors. 43. 44. 45.
Albana villa Domitiani. 45, 2.
Aquitaniae Agricola praeest. 9.
Arulenus Rusticus ob Paetum Thraseam laudatum interfectus. 2, 1. 45, 2.
Asia provincia dives et corrupta. 6, 3.
Atilius Rufus Syriae praefectus. 40, 1.
Augustus Britanniam omisit. 13, 3.
Auxilia in Britannico Romanorum exercitu, Usipiorum. 28. Gallorum et Germanorum. 32, 2. Tungrorum. 36, 1. Batavorum. 36, 1—2.

B.

Baebius Massa famosus delator sub Domitiano. 42, 2.

Batavae cohortes in exercitu Romanorum Britannico. 36, 1. 2.
Bodotria aestuarium Britanniae. 23, 2. 25, 1. 4.
Boresti, Britannica gens. 38, 4.
Boudicca Britannorum regina. 16, 1.
Brigantes coloniam Camulodunum incendunt. 31, 5.
Britanni Gallicas religiones habent. 11, 4.
— peditatu valent. 12, 1.
— eorum armatura. 36, 1.
— sexum in imperiis non discernunt. 16, 1.
— perpetuo discordes inter se. 12, 1. 2. 32, 1.
— a Romanis vexati. 15, 2 - 4. 30. 31.
— bonis ingeniis praediti. 21, 2.
— rebellant. 6, 3. 15.
Britannia Agricolae provincia data. 9, 7.
— ab Augusto omissa. 13, 3.
— eius situs et forma. 10, 2—4.
— insulam esse ab Agricola exploratum. 10, 4. 38, 5. 6.
— eius incolae ex variis gentibus compositi. 11.
— fecunda, metallifera. 12, 5.
— caelo foedo. 12, 3.
— diversam ab aliis terris dierum ac noctium mensuram habet. 12, 3.
Britanniae terminus ab Agricola inventus. 27, 1. 30, 4. 33, 3.

C.

Iul. Caesar primus Britanniam ingressus. 13, 2. 15, 5.
Caledonia supra Britanniam sita. 10, 3.
— eius incolae Germanicae originis. 11, 2.
— — arma capiunt. 25, 4.
— ab exercitu Romanorum petitur. 27.
— diutissime intacta a Romanis permansit. 31, 5.
Calgacus, Caledoniorum dux. 29, 4.
— eius oratio ad suos. 30—32.
C. Caligula Iul. Graecinum interficit. 4, 2.
— Britanniam intrare agitat. 13, 4.
— eo tert. cos. Agricola nascitur. 44, 1.
Carus Metius famosus delator sub Domitiano. 45, 2.
Petilius Cerialis, Britanniae praefectus insignis. 8, 2. 17, 1.
Civica, proconsul Asiae, a Domitiano occisus. 42, 1.
Classis Agricolae deerat. 18, 6.
— exstructa ad adiuvandam expeditionem terrestrem assumitur. 25, 1.
Claudius Caesar iterum Britanniam invadit. 13, 5.
Clota aestuarium Britanniae. 23, 2.
Coelius, legionis xx legatus, disciplinae negligens. 7, 3.
Cogidumnus Britanniae rex. 14, 2.
Collega cos. Agricola excessit. 44, 1.

D.

in Dacia clades sub Domitiano accepta. 41, 2.
Didius Gallus legatus consularis in Britannia. 14, 2.
Domitia Decidiana Agricolae uxor. 6, 1.
— — coniugio felicissimo usa. 6, 2.
— — marito superstes. 44, 4. 45, 7. 46, 3.
Domitianus iuvenis dissolutus. 7, 3.
— invidus et suspiciosus. 39, 1.
— inanem de Germanis triumphum agit. 39, 2.
— praeceps in iram. 42, 4.
— coheres scribitur ab Agricola. 43, 5.
— eius furor et insania postremis annis. 45.
— rubore oris foedus. 45, 3.

F.

Fabius Rusticus Britanniam descripsit. 10, 3.
Foroiuliensium colonia, Agricolae patria. 4, 1.

Frisii Usipiorum cohortem aufugientem intercipiunt. 28, 4.
Iul. Frontinus legatus consularis in Britannia. 17, 3.

G.

Galba Agricolam recognoscendis templorum donis praeponit. 6, 5.
Galli in Britanniam transgressi. 11, 3.
— imbelles facti. 11, 5.
Germani in Britanniam et Caledoniam immigrarunt. 11, 2.
— iugum Romanorum excutiunt. 15, 4.
in Germania clades sub Domitiano accepta. 41, 2.
Iul. Graecinus, Agricolae pater. 4, 2.
— a Caligula interfectus. ibid.
Graupius mons in Caledonia, pugna et clade Britannorum notus. 29, 2.

H.

Helvidius Priscus ab Herennio laudatus. 2, 1.
— — in carcerem coniectus. 45, 2.
Herennius Senecio Helvidium laudat. 2, 1.
— — interfectus. 45, 2.
Hiberniae situs et natura. 24, 2—4.
Hibernus rex apud Agricolam. 24, 4.

I.

Iberi ex Hispania in Britanniam transgressi. 11, 2.
Intemelium, Liguriae oppidum. 7, 1.

L.

Legio vicesima in Britannia. 7, 3.
— nona ab Caledoniis oppugnata. 26. 34, 1.
Liguria ab Othonianis vastata. 7, 1.
T. Livius Britanniam descripsit. 10, 3.
Ludos edere praetorum fuit. 6, 5.

M.

Mare Britannicum pigrum. 10, 5.
Margarita in oceano Britannico gignuntur. 12, 6.
Massilia, litteris florens, sedes studiorum Agricolae. 4, 4.
Iun. Mauricus in exilium missus a Domitiano. 45, 2.
Messalinus famosus delator sub Domitiano. 45, 2.
in Moesia clades sub Domitiano accepta. 41, 2.
Mona insula a Suetonio Paulino occupatur. 14, 4.
— omittitur. 16, 2.
— ab Agricola recuperatur. 18, 5—7.
Mucianus Licinius initia principatus regit. 7, 2.

N.

Nerva Caesar principatum et libertatem miscet. 3, 1.
Neronis tempora dura. 6, 4.
— sacrilegia. 6, 5.
— pudor quidam in sceleribus. 45, 3.

O.

Orcades insulae ab Agricola inventae. 10, 4.
Ordovices ab Agricola oppressi. 18, 2—5.
Ostorius Scapula, legatus consularis in Britannia. 14, 1.
Othoniana classis Liguriae oram vastat. 7, 1.

P.

in Pannonia clades sub Domitiano accepta. 41, 2.
Petilius v. Cerialis.
Petronius Turpilianus legatus consularis Britanniae. 16, 3.
Iul. Plautius primus legatus consularis in Britannia. 14, 1.
Prisco cos. Agricola excessit. 44, 1.
Iulia Procilla, Agricolae mater. 4, 3.
Procuratores in provinciis. 9, 5. 15, 2.

R.

Reges instrumenta Romanae servitutis. 14, 2.
Rusticus v. Arulenus. Fabius.
P. Rutilius suam vitam scripsit. 1, 3.

S.

Salvius Otho Titianus Asiae prcconsul. 6, 3.
Scaurus v. Aemilius.
Securitas publica, dea. 3, 1.
Senecio v. Herennius.
M. Silanum Graecinus accusare noluit. 4, 2.
Silures, Britanniae gens, ex Hispania profecti. 11, 2.
Suetonius Paulinus legatus consularis in Britannia. 14, 4.
— — Monam capit. 14, 4.
— — seditionem Britannorum opprimit. 16, 2.
Suevi Usipiorum cohortem aufugientem intercipiunt. 28, 4.
Syria provincia Agricolae per speciem destinata. 40, 1.

T.

Tacitus Historias suas annuntians Agricolam praemittit. 3, 4.
— ex socero audivit, quae narrat. 24, 5. 44, 5.
— per quadriennium urbe abfuit ante Agricolae mortem. 45, 6.
Tanaus, aestuarium. 22, 1.
Paetus Thrasea ab Aruleno Rustico laudatus. 2, 1.
Thyle, sive Thule insula. 10, 5.
Tiberius Britanniam omisit. 13, 3.
Nerva Traianus felicitatis temporum auctor. 3, 1.
— — eum principem fore Agricola augurabatur. 44, 5.
Tungrorum cohortes in exercitu Romanorum Britannico. 36, 1.
Trebellius Maximus legatus consularis Britanniae. 16, 4.
Trutulensis portus in Britannia. 38, 6.

U.

Usipiorum cohors navibus aufugit. 28. 32, 5.

V.

Veranius legatus consularis in Britannia. 14, 3.
Vespasianus imperium affectat. 7, 2.
— in eius partes transit Agricola. 7, 2.
— Agricolam honoribus effert. 9, 1. 7.
— sub Claudio in Britannia egregiam operam praestat. 13, 5.
— imperator Britanniam recuperat. 17, 1.
Vettius Bolanus, legatus consularis Britanniae. 8, 1.
— — segniter agit. 16, 6.
— — sub eo Agricola fuit legatus legionis. 8, 1.

INDEX

RERUM ET VERBORUM IN NOTIS EXPLICATORUM.

A.

abesse et deesse. 12, 6.
ablat. temporis ac condicionis. 33, 3.
ablat. loci vi adverbii. 26, 2.
ablativus supini, ex pudet aptus. 32, 2.
ablat. solus in persona. 40, 4.
ablat. causalis non cum absol. confundendus. 16, 4.
ablat. simul instrum. et caussalis. 18, 2.
ablativo solo locus indicatur. 35, 2.
ablativo temporis spatium designatur, per quod aliq. fit. 14, 4.
ablat. duo diversa potestate ad idem verbum relati. 20, 3. 28, 2. 42, 3. 44, 4.
ablat, qualitatis. 10, 2. 16, 4. 36, 1. 37, 5.
ablativi absoluti per adiect. et subst. facti. 9, 6.
— — vi concessiva. 16, 2. 19, 5.
ablativis absoll. ipse interpositum. 25, 5.
abruptum, i. e. periculosum. 42, 5.
absolute posita substantiva. 1, 1. 1, 2. 21, 3.
absolute posita verba. 3, 2. 4, 6. 8, 1. 10, 5. 6. 15, 6. 16, 4. 32, 3.
abstinentia, quid. 9, 4.
abstractum pro concreto. 1, 1. 13, 1. 16, 1. 3. 20, 2. 44, 4.
abstracta plurali posita. 19, 1.
absumere, i. q. totum impendere. 21, 1.
ac sententiam pleniorem et explicativam adiungit. 16, 5.
accendere, i. q. gravius reddere. 15, 1.
accensorum cohors legati. 19, 3.
acer, acriter, de studiis dictum. 4, 5.
acies confusum c. animus. 33, 4.
acta diurna. 2, 1.
ad vicinitatem designat. 28, 3.
ad extremum, i. q. postremo. 28, 3.
addere alicui alqd. 5, 4.
adhuc, i. q. insuper. 33, 1.
adiectivum pro genitivo. 10, 2.
— pro adverbio. 20, 2.
adiectivorum neutra plur. c. genit. 35, 2.
adoriri c. inf. praes. de conatu dictum. 25, 4.
advenire, de periculis. 11, 4.
adverbium loci pro pronomine c. praepos. 7, 3.
adverbia pro adiectivo attributivo posita. 9, 6. 25, 1.
— c. esse coniunct. 13, 4.
adverbii potestate praepositio c. neutro adiectivi posita. 15, 1.

adversus, arcendi vi positum. 22, 2.
adversus aliquem, adverbiali modo dictum. 5, 4.
aequa pugna. 36, 3.
aequus; ex aequo agere, i. e. sui iuris esse. 20, 3.
aestimare aliquem, i. e. cognoscere studere. 5, 1.
— verbi structura. 40, 4.
aetas, i. q. homines, qui aliqua aetate vivunt. 1, 1.
aetas praegnanti sensu, i. q. maturior aetas. 4, 6.
aetatis virorum apud Rom. descriptio. 3, 3.
affectare aliquid. 7, 2.
affirmare, i. q. confirmare. 10, 4.
affundere, i. q. addere. 35, 1.
ager, i. e. annuus frugum proventus. 31, 2.
agere in aliquo loco, i. e. esse. 18, 2.
agere omissum. 19, 3.
agitare rem, i. q. disserere. 15, 1.
agitare hostes, i. q. vexare. 16, 5.
agnoscere caussam alicuius, quid. 32, 5.
aliorum c. superlativo iunctum. 34, 1.
aliquando, i. e. interdum. 9, 7.
aliud agere, i. e. mente dissoluta esse. 43, 1.
alter uni oppositus. 6, 5.
— i. e. proximus post primum. 17, 3.
in ambiguo esse, i. e. parum abesse, quin alq. amittatur. 5, 3.
ambire intransitive, i. q. multum extendi. 10, 6.
ambitiosa mors, quae. 42, 5.
ambitio, i. q. vanae gloriae cupiditas. 1, 2. 29, 1.
— de comitatu dicta. 40, 4.
ambitus legatorum, qui fuerit. 18, 7.
amplecti aliquid, i. q. animum intendere in alqd. 25, 1.
amplecti bello. 17, 2.
anaphora copulativae particulae vim habet. 15, 2.
— vim sententiae auget. 40, 3.
anceps malum, i. e. a duabus partibus instans. 26, 3.
animus, animi, die Stimmung. 19, 1.
animus, i. q. fiducia. 30, 1.
annotare, d. Bemerkung machen. 22, 2.
annus, i. q. agri annuus proventus. 31, 2.
anxius, i. q. cautus. 5, 3.
aperire gentes. 22, 1.
in aperto esse, i. q. non impediri. 1, 2.
apertum mare. 10, 2.
apostrophe narratione interrupta. 45, 5.
appetere, i. q. instare. 10, 5.
appositio ad totum enuntiatum. 18, 3.
approbare alicui aliquid. 5, 1.
apud, i. q. in sermonibus. 21, 3. 22, 4. 44, 5.
aqua, i. q. aquatio. 28, 3.
arduum, quid. 18, 6.
arma ferre in aliquid. 31, 5.
armorum finis et usus. 32, 4.
armorum doctores in exercitu. 28, 2.
arrogantia, i. e. simulata gravitas. 42, 3.
—, quid. 9, 4.
ars, i. q. dolus. 27, 3.
—, i. q. scientia. 5, 4.
artes liberales, ingenuae, honestae, quae. 4, 3.
ascire, i. q. asciscere. 19, 3.
assuetus c. ablat. 42, 3.
assultare, i. q. impetum facere. 26, 2.
asyndeta oratio. 5, 2.
asyndeton, ubi duo vocabula ad eandem rem pertinent. 15, 2.
— in concessiva sententia. 12, 2.
— in gradatione duorum adiectivorum. 12, 5.
— in adversativa sent. 13, 1. 18, 6. 38, 3. 39, 3. 45, 3.

asyndeton in caussali sententia. 15, 5. 24, 5. 45, 6.
atque, i. q. et adeo. 36, 1.
atteri in contentione, quid. 9, 5.
attractio generis omissa. 21, 3.
attractione subiectum primarii enuntiati obiectum fit secundarii. 39, 1.
attractione duae enuntiationes confusae. 38, 6.
attractio relativi ad sequens subst. 22, 1.
attributa rerum ad personas translata. 22, 3. 30, 2.
attributa personarum ad res translata. 22, 3.
attributi epitheta ad subiectum translata. 4, 4.
attributum obiecti in obiectum cedit. 18, 6.
attributum verbi in subiectum cedit. 6, 3. 7, 1. 37, 7. 30, 3. 34, 3. 22, 1.
attributum per subst. c. praepos. factum. 6, 4. 16, 1.
attributum subiecti in verbo latentis. 11, 5.
— — ad verbum pertinet. 22, 4.
attributum obiecti ad subiectum translatum. 32, 4. 38, 1.
attributum substantivi per adverb. factum. 25, 1.
auctus confusum c. actus. 39, 1.
audere, absolute. 15, 6.
augeri liberis. 6, 3.
augurio ominari, i. e. augurari. 44, 5.
auspiciis populi Romani pugnare. 33, 2.
aut, i. q. aut adeo. 36, 2.
avaritia, quid. 9, 4. 30, 5.
—, i. q. ardens cupiditas. 12, 6.

B.

beneficiarii milites, qui. 19, 3.
biennio, i. q. per biennium. 14, 4.
bis positum errore librarii vocabulum. 35, 3.
breve osculum. 40, 3.
breviloquentia, contractis sententiis. 3, 4. 4, 5. 6, 2. 12, 6. 15, 3. bis. 16, 2. 18, 6. 24, 5. 30, 4. 32, 7. 34, 3.
— in describendo. 9, 3.
Britanni humanis hostiis litabant. 11, 4.

C.

campi doctores in exercitu. 28, 1.
capessere honores. 6, 1.
castigatio verbis fiebat. 19, 3. 21, 1.
castitas, i. q. fides coniugalis. 4, 3.
castra, praktischer Kriegsdienst. 5, 1.
—, i. q. expeditiones. 16, 4.
—, i. q. milites in castris. 16, 6.
casus, indefinite, i. q. eventa. 3, 3.
censeri aliqua re. 45, 1.
centuriones accensis praepositi. 15, 2.
ceteri, i. e. omnes alii. 41, 3.
ceterum in adversativa sententia. 25, 1. 40, 4.
ceterorum c. superlativo iunctum. 34, 1.
chiasmus membrorum. 44, 2.
Ciceronem respexit Tacitus. 45, 4.
circumdare famam alicui rei. 20, 1.
circumspectare aliquid, i. e. pavere. 32, 4.
citra, i. q. sine. 1, 3.
civiles artes, i. e. prudentia senatoria. 39, 3.
clari, tum honesti, tum famosi. 1, 1.
claudere alicui alqd., i. q. eripere. 25, 3.
coelum, i. q. coeli tractus. 10, 2.
cogitationes duae confusae. 20, 2.
cogitare aliquid, i. e. in animo habere. 32, 7.

coheredem scribi honor erat. 43, 5.
collocatio verborum. 4, 5. 7, 2. 8, 2. 8, 3. 9, 5. 12, 5. 19, 3. 22, 4. 31, 2.
coloniae latiore sensu dicta oppida, ubi multi Rom. consederunt. 5, 3.
—, i. q. milites in colonias deducti. 32, 6.
colorari, i. q. sole fuscari. 11, 2.
comitatus aliquo. 40, 4.
comitium suppliciorum locus. 2, 1.
commendationes praesidum provinciarum arte extortae. 9, 5.
commodare, i. q. praebere. 19, 3. — 32, 2.
—, i. e. utendum praebere. 32, 2.
in commune, i. q. communiter. 12, 1.
comparatio duorum attributorum in uno subst. 4, 6.
— compendiaria. 24, 3.
comparativi ratio ex omisso membro comparativo pendet. 6, 5. 9, 3. 15, 5. 25, 5. 30, 4. 35, 3. 40, 1.
comparativus c. positivo coniunctus. 1, 2.
compendia scribendi neglecta corruptelas genuerunt. 13, 5. 18, 1. 25, 1. 25, 2. 27, 1. 31, 2. 41, 3. 44, 5.
compendia habita, quae nulla erant. 36, 2.
compertum, i. q. certo cognitum. 10, 1.
complexus armorum. 36, 2.
complexus alicuius. 45, 5.
complures diversum a plures. 25, 5.
compositus, qui differat a mixtus. 4, 4.
concinnitas falsa lectione turbata. 31, 2.
concremati libri. 2, 2.
condicio alicuius rei, i. q. necessitas. 45, 6.
condicionalis sententia transit in caussalem. 3, 3.
— — transit in adversativam. 4, 5.
conferre rem, i. q. communiter tractare. 15, 1.
confisus c. ablat. 42, 3.
conflictari aliqua re. 22, 1.
confusio duarum locutionum. 34, 1.
coniunctivus potentialis. 24, 2.
— — in comparativa sententia. 25, 4.
— — imperfecti. 44, 2.
— — perfecti. 3, 3. 43, 2.
— pendens ex latente notione consilii sive fati. 34, 3.
connexi, oppositi dispersis. 35, 2.
conniti, i. e. irrumpere. 36, 2.
conniventia mutua magistratuum in provinciis. 6, 3.
conscientia, i. q. cognitio. 2, 2.
—, praegnanti sensu, mala. 16, 2.
consilia, i. q. consultationes. 15, 6.
constantia, i. q. intrepidus animus. 18, 6. 36, 1. 45, 4.
constructio falsa a librariis inita vitia genuit. 1, 3. 3, 3. 9, 3. 21, 1. 28, 2.
constructionis mutatio ex suspensa in rectam. 46, 4.
contactus oculorum. 30, 3.
conterere, i. q. absumere. 31, 2.
contra, adverbium. 10, 2. 11, 2.
contubernium, in contubernio esse. 5, 1.
contumeliae. 31, 2.
conventus iuridicus, quid. 9, 3.
coordinata enuntiata duo, ubi partic. exspectatur. 4, 2. 29, 1.
copiae, i. q. commeatus. 22, 2. 25, 2.
corpora, i. q. homines animo defecti. 34, 3.
correlativae voces variatae. 20, 3.
covinnus, covinnarii. 12, 1. 35, 2.
creber, vocis vis. 22, 2.
crudum, cruda senectus. 29, 4.
cultus, i. e. externa vitae ratio. 40, 4.

cura, i. q. cognoscendi studium. 10, 1.
—, i. q. Theilnahme. 43, 1.
curare absolute, i. q. officia obire. 16, 4.
curia obsessa. 45, 1.
curro verbum in compositis reduplicationem retinere potest. 23, 1. 37, 1.
cursus rerum, i. e. res continenter gestae. 39, 1.

D.

dativus ex passivo pendens. 2, 1.
— participii vim condicionalis sententiae sustinet. 11, 3.
— pro ad c. accus. 21, 1.
— pendens ex firmus. 35, 3.
debellare, absolute 26, 3. cum obiecto. 21, 5.
decens, de habitu corporis. 44, 2.
decernere, i. q. putare. 33, 7.
decessor, i. e. superior provinciae legatus. 7, 3.
decora, i. q. fortia facta. 34, 1.
decora militaria. 29, 4.
decorare aliquem. 46, 2.
decorus pro aliquo. 12, 1.
decurtata sententiarum conformatio. 4, 5. 6, 2.
decurtata enunciatio 22, 4.
decus bellandi, quid. 35, 2.
deesse et abesse. 12, 6.
degredi et digredi confusa. 18, 4.
delenimentum, delenire, non delin. 21, 3.
denotare aliq. rem, i. e. acriter intueri. 45, 3.
deprehendi absolute. 34, 3.
deprehendi, nuntio. 7, 2.
detineri in aliqua re. 9, 6.
detractare non sollicitandum. 11, 4.
devortia itinerum, quid. 19, 5.
dies, i. e. quod aliquo die geritur. 34, 4.
dies nocti oppositus. 38, 3.
differre in melius. 24, 3.
dignum est, i. q. convenit. 8, 1.
diligens dux, qui. 5, 1.
dimittere in omnem partem, militaris dictio. 38, 4.
discedere ad aliquid, praegnanti sensu. 21, 3.
discedere, sc. in hiberna. 27, 3.
disciplinae doctores in exercitu. 28, 2.
discordia, i. q. seditio. 16, 5.
disiecti milites, i. q. dissoluti. 20, 2.
dispicere, i. e. intente videre. 10, 5.
dissimulare rem, i. e. negligere. 39, 3.
dissimulatio famae, quid. 18, 8.
diversus, i. q. oppositus. 11, 3. 23, 1.
divus mortuorum imperatorum nominibus additum. 3, 1.
dolor animo et vultu simulatus. 43, 4.
domus legati, d. Dienstgefolge. 19, 2.
donare innocentiam. 45, 4.
donec c. coniunct. consilium indicat. 19, 5.
dubia consilia, quae. 18, 6.
dubitatur de re, i. e. res in periculo est. 41, 2.
dum cum imperfecto iunctum. 41, 4.
duplici sensu vocabulum idem eodem loco positum. 4, 4.
durare in aliquod tempus. 44, 5.

E.

edere victoriam, i. e. victoriae spectaculum. 34, 3.
ἐγκυκλος παιδεία. 4, 3.
eluctari aliquid. 17, 3.
eludere, i. q. irritum reddere. 27, 3.
emunire silvas, paludes. 31, 2.
enim refertur ad omissam sententiam. 15, 3.
epexegesis. 4, 5. 6, 5.
— per ut addita. 14, 2.
— — ne adiecta. 16, 2.
— — ac adiecta. 16, 5.

epexegesis per quominus adiecta. 20, 2.
equidem, i. q. profecto. 33, 4.
equites dignitate diversi. 4, 1.
eques praegnanti sensu, qui equo utitur. 37, 5.
erectus quomodo differat a sublimis. 4, 6.
—, i. q. excitatus. 18, 2.
erga aliquem, adverbiali modo dictum. 5, 4. 16, 5.
erigere aciem. 18, 4.
esse verbum ubi omitti nequeat. 4, 2.
— omissum in relativo enuntiato. 5, 4.
— in describendo. 9, 3. 17, 1.
— c. adverbio coniunct. 13, 4.
esseda, essedarii. 12, 1.
est alqd. in aliqua re, i. q. pendet ex re. 32, 7.
et, i. q. et quidem. 3, 3. 20, 3.
—, i. q. et tamen. 9, 3.
—, i. q. et re vera. 10, 3. 16, 5. 41, 2. 43, 1.
— eventum actionis adiungit. 16, 3.
etiam tectam oppositionem indicat. 31, 3.
etiamsi, i. q. si vel maxime. 31, 1.
euphemismus. 22, 4.
eventus, i. e. prosper eventus. 8, 2. 22, 3.
—, i. e. malus eventus. 15, 5.
ex temporis et caussae vi positum. 8, 2.
ex, i. q. secundum. 40, 2.
excedere aliqua re, i. e. rem post se relinquere. 42, 5.
excitatus, i. q. ad bellandum commotus. 5, 3.
exempla, i. q. facta egregia. 8, 2.
exercere rem, i. e. tractare quaestus faciendi caussa. 31, 3.
ex facili, i. q. facile. 15, 1.
exhaurire aliquid, i. e. perdere. 44, 5.
expers servitutis. 30, 2.
expugnare aliquem. 41, 2.
exsequi, i. q. ulcisci. 19, 3.
extra, i. q. sine. 8, 3.
extranei, i. q. alieni. 43, 1.
extremus duplici sensu positum. 30, 4.
exuisse rem, i. q. vacare re. 9, 3.

F.

facile agere, i. q. rem acu tangere. 9, 2.
facilis c. dat., 21, 1.
facilitas, i. q. comitas. 9, 4.
factio, quid. 12, 1.
fama, i. q. fama secunda, gloria. 6, 5.
fama quomodo differat a rumore. 33, 3.
fama rerum, i. e. historia. 46, 5.
fatis monstratus. 13, 5.
fatum, i. q. interitus. 42, 4.
ferre aliquid, i. e. accipere 44, 5.
ferocia, i. q. bellicosus animus. 11, 5. 27, 1. 31, 4.
ferox provincia, i. e. bellicosa. 8, 1.
fidelis diversum a fidus. 19, 3.
fiducia voti, quid. 3, 1.
firmare, i. q. firmum instituere. 14, 4.
firmus c. dat., 35, 3.
flumina in mari, Strömungen. 10, 6.
foedare vultum, i. q. lacerare. 36, 2.
foedum, i. q. obscuratum. 12, 3.
fori studia, i. e. eloquentia. 39, 3.
forma ac figura, i. e. universa rei natura. 46, 3.
formido, i. e. res quae formidinem facit. 32, 6.
forum, in eo comitium fuit. 2, 1.
frequens pro fréquenter. 20, 2.
— pro participio adesse verbi. 37, 5
frons, in frontem, i. e. ex adversum hostibus. 33, 6.
fruges, i. q. frumenta. 12. 5.
frumentum a Britannis praebendum. 19, 4.

frustra esse. 13, 4.
furtum, i. q. insidiae. 34, 1.
futurum simplex differt a praesente coniugationis periphrasticae. 46, 5.

G.

gaudere aliqua re, i. e. multum ei tribuere. 44, 4.
generalis sententia ad certam rem accommodata. 31, 4.
— — falso credita 34, 2. 37, 3.
genitivus qualitatis. 9, 1.
genitivus attributivus indicat id, in quo alicuius rei natura posita est. 35, 2.
— adiectivi loco positus. 36, 1.
Germaniae, plurali numero. 15, 4. 28, 1.
gradatio in duobus vocabulis. 12, 5.
grammatica, quas artes apud veteres complexa. 4, 3.
gratia, i. e. placendi studium. 1, 2.
gravis, in iudiciis, quis. 9, 3.

H.

haberi in aliq. re, i. q. versari. 28, 2.
habitus, d. Aeussere. 11, 2.
—, d. Tracht. 21, 3.
hactenus, i. e. usque ad hunc finem. 10, 5.
haurire studium. 4, 5.
hendiadys (ἓν διὰ δυοῖν). 4, 3. 4, 6. bis. 6, 4. 6, 5. 32, 4. 33, 5. 40, 4.
— ubi locum non habeat. 3, 1. 16, 1. 29, 3. 43, 4.
hic nudum pro subiecto est. 34, 1.
hinc de tempore, deinde. 6, 1.
hoc age, formula ad attendendum excitantis. 43, 1.
Homerus Tacito obversatus. 34, 2.
honestum, i. q. honorificum. 30, 2.
hostilis exercitus Romanorum dictus. 25, 1.
humanis hostiis Britanni litabant. 11, 4.

I.

iam transitum in alium statum designat. 15, 6.
iam vero, i. e. ad hoc, porro. 9, 3.
igitur transitum facit ad rem primariam. 13, 2.
ignoscere vitiis, quid. 16, 4.
ille, de re famosa dictum. 45, 3.
ille, cum contemptu dictum. 2, 2. 27, 2.
illecebrae. 4, 4.
illi, de hostibus dictum. 32, 5.
illic, depravatum in ibi. 32, 7.
illicita, i. e. legibus vetita. 42, 5.
illustris cur colonia Foroiuliensis. 4, 1.
impellere bellum, i. q. graviter gerere. 25, 2.
imperfectum c. perf. coniunctum. 5, 4.
imperfecti vis. 41, 4.
imperiti, absolute, i. q. Kurzsichtige. 21, 3.
imperium, pro imperantibus. 13, 1.
impetus, i. q. agendi vigor. 15, 5. 44, 2.
impetus famae. 39, 4.
implere alqd., i. e. plane assequi. 44, 3.
in c. acc. vim habet enuntiati finalis. 8, 3. 31, 2.
incognitus, i. q. non plane cognitus. 10, 4.
incorruptus, unparteiisch. 22, 4.
increscere, absolute, i. q. nimium fieri. 8, 1.
incuriae, i. e. neglecta officia. 19, 1.
incusare, i. q. vituperare. 1, 4.
indago, ein Jagdtreiben. 37, 5.
indecoris, forma suspecta. 16, 5.
indicativus in se habet notionem adverbii vere. 10, 3.
— post sunt, qui. 28, 4.

indicativus in condicionali enuntiato. 37, 1.
indicium, de re incognita. 28, 4.
indulgentia, i. q. caritas. 4, 3.
indulgere rei, i. e. nimis studere. 9, 5.
infesta itinera, quae. 25, 1.
infinitivus ex adiectivis pendens. 8, 1.
infirmum desiderium. 46, 1.
ingenium oppositum studio. 21, 2.
ingratus, missliebig. 5, 4.
inhabilis. 36, 1.
iniucundus, i. q. durus. 22, 4.
innocens, innocentia, i. q. abstinens. 16, 6.
inquisitio, i. e. invidiosa vestigatio. 43, 3.
inquisitiones sub Caesaribus. 2, 3.
instare famae, quid. 18, 5.
instincti, reflexivo sensu. 16, 1.
integra aetas, d. besten Jahre. 44, 3.
integre, integritas. 7, 2. 9, 4.
integrum, quid. 4, 4.
intentus. 5, 2.
— c. ablat. 42, 3.
— in negotiis, quis. 9, 3.
intercedere rei, i. q. prohibere. 46, 4.
interpretari, i. e. quod in re inest eruere. 15, 1.
— aliquem, i. e. recte intelligere. 40, 4.
interpunctio emendata. 3, 3. 10, 5. 16, 5. 18, 3. 20, 3. 21, 1. 22, 2. 22, 5. 25, 2. 26, 1. 29, 1.
intersepire, i. q. disiungere. 5, 3.
intolerantia, i. e. superbia intolerabilis. 20, 1.
intrepidus, de rebus dictum. 22, 3.
invalida legio, i. q. exiguo numero. 26, 1.
invenire, auffinden. 10, 4.
invicem obiecti vim habet. 37, 6.
invictus, i. q. insuperabilis. 18, 6.
invidia, absolute. 1, 1.
invitamentum, quod leniter impellit. 20, 2.
ipse casu recto pendenti structurae insertum. 1, 3.
— gradationi inservit. 6, 4.
— oppositionem efficit. 13, 1.
— ablativis absoll. interpositum. 25, 5.
— i. q. solus. 34, 2.
— i. q. für seine Person. 44, 3
ironia per nisi indicata. 32, 2.
irritamentum, quod acriter incitat. 20, 2.
irritus de personis dictum. 22, 3.
ita, priora complectitur. 10, 1. 22, 3. 28, 4. 30, 2.
iudicia diversa a conventibus. 9, 3.
iudicium, i. q. vera animi persuasio. 43, 5.
iuniores, qui vocati. 3, 3.
iurisdictio, quorum esset. 6, 4.
iurisdictio castrensis. 9, 2.
iuxta, i. q. pari modo. 22, 3.

L.

lacunae in textu. 17, 3. 27, 3. 31, 5. 36, 3.
lascivia. 32, 1.
laureatae, sc. litterae, res laetas nunciabant. 18, 8.
legati consulares et praetorii, qui. 7, 3.
legati provinciae iurisdictionem habebant. 15, 2.
legiones Britannicae, quae. 7, 3.
liberos genuisse praerogativam honorum dabat. 6, 3.
liberti negotia dominorum curantes. 19, 3.
limes imperii. 41, 4.
litotes. 3, 4.
livere, i. e. plumbi colore esse. 12, 6.
Livii locus a Tac. expressus. 34, 3.
loco eodem esse, i. q. coniunctum esse. 33, 8.
loqui et audire coniunctum. 2, 3.
loqui aliquem. 43, 1.
ludibrium, quid. 19, 5.
ludos edere praetorum erat. 6. 5.

M.

maior, i. e. vir eminentior. 40, 1.
manu agens iurisdictio, quid. 9, 2.
manus, de cohorte accensorum dictum. 15, 2
— i. q. **vis**. 25, 4. 33, 7.
matrimonium, Heirath. 6, 1.
medici sceleribus patrandis adhibiti. 43, 3.
medio, i. e. media via. 6, 5.
militaris praegnanti sensu i. q. militiae peritus, militia clarus. 40, 4. 41, 2.
miscere duas res, i. q. coniungere. 15, 2.
miscere ictus. 36, 2.
miscere consilia. 38, 2.
mixtum rebus dictum id, in quo **res mixtae** sunt. 4, 4. 25, 2.
moderatio in tuenda disciplina militari. 7, 4.
moderatus, i. q. cautus, providus. 5, 1.
modestia, de observata disciplina militari. 20, 2.
moles belli, i. q. difficultas. 17, 3.
momenta, i. q. temporis punctum. 43, 4.
monumenta, i. q. scripta egregia. 2, 1.
monstrari fatis, quid. 13, 5.
mora, i. q. diuturnitas. 22, 2.
moris est. 33. 1. 39, 1.
multus adesse. 20, 2.
munera subditorum, Leistungen. 19, 4.
munire se ab aliqua re soloecum. 45, 3.
mutatio ementium, d. Weiterverkauf. 28, 4.

N.

nandi peritia Batavorum. 18, 6.
natales, i. q. genus. 6, 1.
natum esse c. dat. 31, 2.
natura, i. q. bona natura. 12. 5.
navis, nave prima, i. e. ubi primum navigari potuit. 24, 1.
nec — neque ubi non correlativum sit. 5, 2.
nec, i. q. nec tamen. 8, 3. 18, 8. 19, 3. 22, 4.
necessitas, i. q. desperata condicio. 30, 1.
negatio praedicati etiam ad participium cum subiecto coniunctum transit. 18, 8.
negatio ad praedicatum pertinens eius attributo addita. 16, 6.
neutrum genus de personis usurpatum. 6, 3.
neutrum plurale de hominibus. 18, 3.
neve relatum ad tectam adhortationem. 15, 6.
nimium esse alicui. 7, 3.
nisi c. coni. transit in vim adversativae sententiae. 4, 5.
nisi quod c. ellipsi dictum. 6, 2. 16, 6.
nisi si non dicitur in ironia. 32, 2.
nobilitas equestris, quid. 4, 1.
non iam. 42, 2.
nostri, genit. 3, 3.
nova terrae pars, i. e. veteri adiecta. 20, 3.
novae gentes, i. e. antea non additae. 38, 6.
novi in servitute, qui. 31, 3.
novissimum, i. q. gravissimum. 34, 3.
nox, terrae umbra effecta. 12, 4.
nullus negationem praedicati habet. 39, 1.
numeri, militare vocabulum. 18, 3.
— in codd. corrupti. 44, 1.
numero pleonastice numeralibus additum. 32, 3.
numerus superans, i. q. hostes numero superiores. 25, 5.
numerus praedicati, ubi plura subiecta sunt. 24, 3.
nunc in oppositione praesentis et praeteriti temporis. 1, 4. 30, 4.

O.

oblivio, i. e. neglectio scriptorum, caussa intercidentis famae. 46, 6.
obruere alq. rem. 17, 3.
obscurus, qui simulatione tegitur. 42, 4.

R.

Reges instrumenta Romanae servitutis. 14, 2.
Rusticus v. Arulenus. Fabius.
P. Rutilius suam vitam scripsit. 1, 3.

S.

Salvius Otho Titianus Asiae proconsul. 6, 3.
Scaurus v. Aemilius.
Securitas publica, dea. 3, 1.
Senecio v. Herennius.
M. Silanum Graecinus accusare noluit. 4, 2.
Silures, Britanniae gens, ex Hispania profecti. 11, 2.
Suetonius Paulinus legatus consularis in Britannia. 14, 4.
— — Monam capit. 14, 4.
— — seditionem Britannorum opprimit. 16, 2.
Suevi Usipiorum cohortem aufugientem intercipiunt. 28, 4.
Syria provincia Agricolae per speciem destinata. 40, 1.

T.

Tacitus Historias suas annuntians Agricolam praemittit. 3, 4.
— ex socero audivit, quae narrat. 24, 5. 44, 5.
— per quadriennium urbe abfuit ante Agricolae mortem. 45, 6.
Tanaus, aestuarium. 22, 1.
Paetus Thrasea ab Aruleno Rustico laudatus. 2, 1.
Thyle, sive Thule insula. 10, 5.
Tiberius Britanniam omisit. 13, 3.
Nerva Traianus felicitatis temporum auctor. 3, 1.
— — eum principem fore Agricola augurabatur. 44, 5.
Tungrorum cohortes in exercitu Romanorum Britannico. 36, 1.
Trebellius Maximus legatus consularis Britanniae. 16, 4.
Trutulensis portus in Britannia. 38, 6.

U.

Usipiorum cohors navibus aufugit. 28. 32, 5.

V.

Veranius legatus consularis in Britannia. 14, 3.
Vespasianus imperium affectat. 7, 2.
— in eius partes transit Agricola. 7, 2.
— Agricolam honoribus effert. 9, 1. 7.
— sub Claudio in Britannia egregiam operam praestat. 13, 5.
— imperator Britanniam recuperat. 17, 1.
Vettius Bolanus, legatus consularis Britanniae. 8, 1.
— — segniter agit. 16, 6.
— — sub eo Agricola fuit legatus legionis. 8, 1.

INDEX

RERUM ET VERBORUM IN NOTIS EXPLICATORUM.

A.

abesse et deesse. 12, 6.
ablat. temporis ac condicionis. 33, 3.
ablat. loci vi adverbii. 26, 2.
ablativus supini, ex pudet aptus. 32, 2.
ablat. solus in persona. 40, 4.
ablat. causalis non cum absol. confundendus. 16, 4.
ablat. simul instrum. et caussalis. 18, 2.
ablativo solo locus indicatur. 35, 2.
ablativo temporis spatium designatur, per quod aliq. fit. 14, 4.
ablat. duo diversa potestate ad idem verbum relati. 20, 3. 28, 2. 42, 3. 44, 4.
ablat, qualitatis. 10, 2. 16, 4. 36, 1. 37, 5.
ablativi absoluti per adiect. et subst. facti. 9, 6.
— — vi concessiva. 16, 2. 19, 5.
ablativis absoll. ipse interpositum. 25, 5.
abruptum, i. e. periculosum. 42, 5.
absolute posita substantiva. 1, 1. 1, 2. 21, 3.
absolute posita verba. 3, 2. 4, 6. 8, 1. 10, 5. 6. 15, 6. 16, 4. 32, 3.
abstinentia, quid. 9, 4.
abstractum pro concreto. 1, 1. 13, 1. 16, 1. 3. 20, 2. 44, 4.
abstracta plurali posita. 19, 1.
absumere, i. q. totum impendere. 21, 1.
ac sententiam pleniorem et explicativam adiungit. 16, 5.
accendere, i. q. gravius reddere. 15, 1.
accensorum cohors legati. 19, 3.
acer, acriter, de studiis dictum. 4, 5.
acies confusum c. animus. 33, 4.
acta diurna. 2, 1.
ad vicinitatem designat. 28, 3.
ad extremum, i. q. postremo. 28, 3.
addere alicui alqd. 5, 4.
adhuc, i. q. insuper. 33, 1.
adiectivum pro genitivo. 10, 2.
— pro adverbio. 20, 2.
adiectivorum neutra plur. c. genit. 35, 2.
adoriri c. inf. praes. de conatu dictum. 25, 4.
advenire, de periculis. 11, 4.
adverbium loci pro pronomine c. praepos. 7, 3.
adverbia pro adiectivo attributivo posita. 9, 6. 25, 1.
— c. esse coniunct. 13, 4.
adverbii potestate praepositio c. neutro adiectivi posita. 15, 1.

adversus, arcendi vi positum. 22, 2.
adversus aliquem, adverbiali modo dictum. 5, 4
aequa pugna. 36, 3.
aequus; ex aequo agere, i. e. sui iuris esse. 20, 3.
aestimare aliquem, i. e. cognoscere studere. 5, 1.
— verbi structura. 40, 4.
aetas, i. q. homines, qui aliquâ aetate vivunt. 1, 1.
aetas praegnanti sensu, i. q. maturior aetas. 4, 6.
aetatis virorum apud Rom. descriptio. 3, 3.
affectare aliquid. 7, 2.
affirmare, i. q. confirmare. 10, 4.
affundere, i. q. addere. 35, 1.
ager, i. e. annuus frugum proventus. 31, 2.
agere in aliquo loco, i. e. esse. 18, 2.
agere omissum. 19, 3.
agitare rem, i. q. disserere. 15, 1.
agitare hostes, i. q. vexare. 16, 5.
agnoscere caussam alicuius, quid. 32, 5.
aliorum c. superlativo iunctum. 34, 1.
aliquando, i. e. interdum. 9, 7.
aliud agere, i. e. mente dissoluta esse. 43, 1.
alter uni oppositus. 6, 5.
— i. e. proximus post primum. 17, 3.
in ambiguo esse, i. e. parum abesse, quin alq. amittatur. 5, 3.
ambire intransitive, i. q. multum extendi. 10, 6.
ambitiosa mors, quae. 42, 5.
ambitio, i. q. vanae gloriae cupiditas. 1, 2. 29, 1.
— de comitatu dicta. 40, 4.
ambitus legatorum, qui fuerit. 18, 7.
amplecti aliquid, i. q. animum intendere in alqd. 25, 1.
amplecti bello. 17, 2.
anaphora copulativae particulae vim habet. 15, 2.
— vim sententiae auget. 40, 3.
anceps malum, i. e. a duabus partibus instans. 26, 3.
animus, animi, die Stimmung. 19, 1.
animus, i. q. fiducia. 30, 1.
annotare, d. Bemerkung machen. 22, 2.
annus, i. q. agri annuus proventus. 31, 2.
anxius, i. q. cautus. 5, 3.
aperire gentes. 22, 1.
in aperto esse, i. q. non impediri. 1, 2.
apertum mare. 10, 2.
apostrophe narratione interrupta. 45, 5.
appetere, i. q. instare. 10, 5.
appositio ad totum enuntiatum. 18, 3.
approbare alicui aliquid. 5, 1.
apud, i. q. in sermonibus. 21, 3. 22, 4. 44, 5.
aqua, i. q. aquatio. 28, 3.
arduum, quid. 18, 6.
arma ferre in aliquid. 31, 5.
armorum finis et usus. 32, 4.
armorum doctores in exercitu. 28, 2.
arrogantia, i. e. simulata gravitas. 42, 3.
—, quid. 9, 4.
ars, i. q. dolus. 27, 3.
—, i. q. scientia. 5, 4.
artes liberales, ingenuae, honestae, quae. 4, 3.
ascire, i. q. asciscere. 19, 3.
assuetus c. ablat. 42, 3.
assultare, i. q. impetum facere. 26, 2.
asyndeta oratio. 5, 2.
asyndeton, ubi duo vocabula ad eandem rem pertinent. 15, 2.
— in concessiva sententia. 12, 2.
— in gradatione duorum adiectivorum. 12, 5.
— in adversativa sent. 13, 1. 18, 6. 38, 3. 39, 3. 45, 3.

asyndeton in caussali sententia. 15, 5. 24, 5. 45, 6.
atque, i. q. et adeo. 36, 1.
atteri in contentione, quid. 9, 5.
attractio generis omissa. 21, 3.
attractione subiectum primarii enuntiati obiectum fit secundarii. 39, 1.
attractione duae enuntiationes confusae. 38, 6.
attractio relativi ad sequens subst. 22, 1.
attributa rerum ad personas translata. 22, 3. 30, 2.
attributa personarum ad res translata. 22, 3.
attributi epitheta ad subiectum translata. 4, 4.
attributum obiecti in obiectum cedit. 18, 6.
attributum verbi in subiectum cedit. 6, 3. 7, 1. 37, 7. 30, 3. 34, 3. 22, 1.
attributum per subst. c. praepos. factum. 6, 4. 16, 1.
attributum subiecti in verbo latentis. 11, 5.
— — ad verbum pertinet. 22, 4.
attributum obiecti ad subiectum translatum. 32, 4. 38, 1.
attributum substantivi per adverb. factum. 25, 1.
auctus confusum c. actus. 39, 1.
audere, absolute. 15, 6.
augeri liberis. 6, 3.
augurio ominari, i. e. augurari. 44, 5.
auspiciis populi Romani pugnare. 33, 2.
aut, i. q. aut adeo. 36, 2.
avaritia, quid. 9, 4. 30, 5.
—, i. q. ardens cupiditas. 12, 6.

B.

beneficiarii milites, qui. 19, 3.
biennio, i. q. per biennium. 14, 4.
bis positum errore librarii vocabulum. 35, 3.
breve osculum. 40, 3.
breviloquentia, contractis sententiis. 3, 4. 4, 5. 6, 2. 12, 6. 15, 3. bis. 16, 2. 18, 6. 24, 5. 30, 4. 32, 7. 34, 3.
— in describendo. 9, 3.
Britanni humanis hostiis litabant. 11, 4.

C.

campi doctores in exercitu. 28, 1.
capessere honores. 6, 1.
castigatio verbis fiebat. 19, 3. 21, 1.
castitas, i. q. fides coniugalis. 4, 3.
castra, praktischer Kriegsdienst. 5, 1.
—, i. q. expeditiones. 16, 4.
—, i. q. milites in castris. 16, 6.
casus, indefinite, i. q. eventa. 3, 3.
censeri aliqua re. 45, 1.
centuriones accensis praepositi. 15, 2.
ceteri, i. e. omnes alii. 41, 3.
ceterum in adversativa sententia. 25, 1. 40, 4.
ceterorum c. superlativo iunctum. 34, 1.
chiasmus membrorum. 44, 2.
Ciceronem respexit Tacitus. 45, 4.
circumdare famam alicui rei. 20, 1.
circumspectare aliquid, i. e. pavere. 32, 4.
citra, i. q. sine. 1, 3.
civiles artes, i. e. prudentia senatoria. 39, 3.
clari, tum honesti, tum famosi. 1, 1.
claudere alicui alqd., i. q. eripere. 25, 3.
coelum, i. q. coeli tractus. 10, 2.
cogitationes duae confusae. 20, 2.
cogitare aliquid, i. e. in animo habere. 32, 7.

coheredem scribi honor erat. 43, 5.
collocatio verborum. 4, 5. 7, 2. 8, 2. 8, 3. 9, 5. 12, 5. 19, 3. 22, 4. 31, 2.
coloniae latiore sensu dicta oppida, ubi multi Rom. consederunt. 5, 3.
—, i. q. milites in colonias deducti. 32, 6.
colorari, i. q. sole fuscari. 11, 2.
comitatus aliquo. 40, 4.
comitium suppliciorum locus. 2, 1.
commendationes praesidum provinciarum arte extortae. 9, 5.
commodare, i. q. praebere. 19, 3. — 32, 2.
—, i. e. utendum praebere. 32, 2.
in commune, i. q. communiter. 12, 1.
comparatio duorum attributorum in uno subst. 4, 6.
— compendiaria. 24, 3.
comparativi ratio ex omisso membro comparativo pendet. 6, 5. 9, 3. 15, 5. 25, 5. 30, 4. 35, 3. 40, 1.
comparativus c. positivo coniunctus. 1, 2.
compendia scribendi neglecta corruptelas genuerunt. 13, 5. 18, 1. 25, 1. 25, 2. 27, 1. 31, 2. 41, 3. 44, 5.
compendia habita, quae nulla erant. 36, 2.
compertum, i. q. certo cognitum. 10, 1.
complexus armorum. 36, 2.
complexus alicuius. 45, 5.
complures diversum a plures. 25, 5.
compositus, qui differat a mixtus. 4, 4.
concinnitas falsa lectione turbata. 31, 2.
concremati libri. 2, 2.
condicio alicuius rei, i. q. necessitas. 45, 6.
condicionalis sententia transit in caussalem. 3, 3.
— — transit in adversativam. 4, 5.
conferre rem, i. q. communiter tractare. 15, 1.
confisus c. ablat. 42, 3.
conflictari aliqua re. 22, 1.
confusio duarum locutionum. 34, 1.
coniunctivus potentialis. 24, 2.
— — in comparativa sententia. 25, 4.
— — imperfecti. 44, 2.
— — perfecti. 3, 3. 43, 2.
— pendens ex latente notione consilii sive fati. 34, 3.
connexi, oppositi dispersis. 35, 2.
conniti, i. e. irrumpere. 36, 2.
conniventia mutua magistratuum in provinciis. 6, 3.
conscientia, i. q. cognitio. 2, 2.
—, praegnanti sensu, mala. 16, 2.
consilia, i. q. consultationes. 15, 6.
constantia, i. q. intrepidus animus. 18, 6. 36, 1. 45, 4.
constructio falsa a librariis inita vitia genuit. 1, 3. 3, 3. 9, 3. 21, 1. 28, 2.
constructionis mutatio ex suspensa in rectam. 46, 4.
contactus oculorum. 30, 3.
conterere, i. q. absumere. 31, 2.
contra, adverbium. 10, 2. 11, 2.
contubernium, in contubernio esse. 5, 1.
contumeliae. 31, 2.
conventus iuridicus, quid. 9, 3.
coordinata enuntiata duo, ubi partic. exspectatur. 4, 2. 29, 1.
copiae, i. q. commeatus. 22, 2. 25, 2.
corpora, i. q. homines animo defecti. 34, 3.
correlativae voces variatae. 20, 3.
covinnus, covinnarii. 12, 1. 35, 2.
creber, vocis vis. 22, 2.
crudum, cruda senectus. 29, 4.
cultus, i. e. externa vitae ratio. 40, 4.

cura, i. q. cognoscendi studium. 10, 1.
—, i. q. Theilnahme. 43, 1.
curare absolute, i. q. officia obire. 16, 4.
curia obsessa. 45, 1.
curro verbum in compositis reduplicationem retinere potest. 23, 1. 37, 1.
cursus rerum, i. e. res continenter gestae. 39, 1.

D.

dativus ex passivo pendens. 2, 1.
— participii vim condicionalis sententiae sustinet. 11, 3.
— pro ad c. accus. 21, 1.
— pendens ex firmus. 35, 3.
debellare, absolute 26, 3. cum obiecto. 21, 5.
decens, de habitu corporis. 44, 2.
decernere, i. q. putare. 33, 7.
decessor, i. e. superior provinciae legatus. 7, 3.
decora, i. q. fortia facta. 34, 1.
decora militaria. 29, 4.
decorare aliquem. 46, 2.
decorus pro aliquo. 12, 1.
decurtata sententiarum conformatio. 4, 5. 6, 2.
decurtata enunciatio 22, 4.
decus bellandi, quid. 35, 2.
deesse et abesse. 12, 6.
degredi et digredi confusa. 18, 4.
delenimentum, delenire, non delin. 21, 3.
denotare aliq. rem, i. e. acriter intueri. 45, 3.
deprehendi absolute. 34, 3.
deprehendi, nuntio. 7, 2.
detineri in aliqua re. 9, 6.
detractare non sollicitandum. 11, 4.
devortia itinerum, quid. 19, 5.
dies, i. e. quod aliquo die geritur. 34, 4.
dies nocti oppositus. 38, 3.
differre in melius. 24, 3.
dignum est, i. q. convenit. 8, 1.
diligens dux, qui. 5, 1.
dimittere in omnem partem, militaris dictio. 38, 4.
discedere ad aliquid, praegnanti sensu. 21, 3.
discedere, sc. in hiberna. 27, 3.
disciplinae doctores in exercitu. 28, 2.
discordia, i. q. seditio. 16, 5.
disiecti milites, i. q. dissoluti. 20, 2.
dispicere, i. e. intente videre. 10, 5.
dissimulare rem, i. e. negligere. 39, 3.
dissimulatio famae, quid. 18, 8.
diversus, i. q. oppositus. 11, 3. 23, 1.
divus mortuorum imperatorum nominibus additum. 3, 1.
dolor animo et vultu simulatus. 43, 4.
domus legati, d. Dienstgefolge. 19, 2.
donare innocentiam. 45, 4.
donec c. coniunct. consilium indicat. 19, 5.
dubia consilia, quae. 18, 6.
dubitatur de re, i. e. res in periculo est. 41, 2.
dum cum imperfecto iunctum. 41, 4.
duplici sensu vocabulum idem eodem loco positum. 4, 4.
durare in aliquod tempus. 44, 5.

E.

edere victoriam, i. e. victoriae spectaculum. 34, 3.
ἐγκυκλος παιδεία. 4, 3.
eluctari aliquid. 17, 3.
eludere, i. q. irritum reddere. 27, 3.
emunire silvas, paludes. 31, 2.
enim refertur ad omissam sententiam. 15, 3.
epexegesis. 4, 5. 6, 5.
— per ut addita. 14, 2.
— — ne adiecta. 16, 2.
— — ac adiecta. 16, 5.

epexegesis per quominus adiecta. 20, 2.
equidem, i. q. profecto. 33, 4.
equites dignitate diversi. 4, 1.
eques praegnanti sensu, qui equo utitur. 37, 5.
erectus quomodo differat a sublimis. 4, 6.
—, i. q. excitatus. 18, 2.
erga aliquem, adverbiali modo dictum. 5, 4. 16, 5.
erigere aciem. 18, 4.
esse verbum ubi omitti nequeat. 4, 2.
— omissum in relativo enuntiato. 5, 4.
— in describendo. 9, 3. 17, 1.
— c. adverbio coniunct. 13, 4.
esseda, essedarii. 12, 1.
est alqd. in aliqua re, i. q. pendet ex re. 32, 7.
et, i. q. et quidem. 3, 3. 20, 3.
—, i. q. et tamen. 9, 3.
—, i. q. et re vera. 10, 3. 16, 5. 41, 2. 43, 1.
— eventum actionis adiungit. 16, 3.
etiam tectam oppositionem indicat. 31, 3.
etiamsi, i. q. si vel maxime. 31, 1.
euphemismus. 22, 4.
eventus, i. e. prosper eventus. 8, 2. 22, 3.
—, i. e. malus eventus. 15, 5.
ex temporis et caussae vi positum. 8, 2.
ex, i. q. secundum. 40, 2.
excedere aliqua re, i. e. rem post se relinquere. 42, 5.
excitatus, i. q. ad bellandum commotus. 5, 3.
exempla, i. q. facta egregia. 8, 2.
exercere rem, i. e. tractare quaestus faciendi caussa. 31, 3.
ex facili, i. q. facile. 15, 1.
exhaurire aliquid, i. e. perdere. 44, 5.
expers servitutis. 30, 2.
expugnare aliquem. 41, 2.
exsequi, i. q. ulcisci. 19, 3.
extra, i. q. sine. 8, 3.
extranei, i. q. alieni. 43, 1.
extremus duplici sensu positum. 30, 4.
exuisse rem, i. q. vacare re. 9, 3.

F.

facile agere, i. q. rem acu tangere. 9, 2.
facilis c. dat., 21, 1.
facilitas, i. q. comitas. 9, 4.
factio, quid. 12, 1.
fama, i. q. fama secunda, gloria. 6, 5.
fama quomodo differat a rumore. 33, 3.
fama rerum, i. e. historia. 46, 5.
fatis monstratus. 13, 5.
fatum, i. q. interitus. 42, 4.
ferre aliquid, i. e. accipere 44, 5.
ferocia, i. q. bellicosus animus. 11, 5. 27, 1. 31, 4.
ferox provincia, i. e. bellicosa. 8, 1.
fidelis diversum a fidus. 19, 3.
fiducia voti, quid. 3, 1.
firmare, i. q. firmum instituere. 14, 4.
firmus c. dat., 35, 3.
flumina in mari, Strömungen. 10, 6.
foedare vultum, i. q. lacerare. 36, 2.
foedum, i. q. obscuratum. 12, 3.
fori studia, i. e. eloquentia. 39, 3.
forma ac figura, i. e. universa rei natura. 46, 3.
formido, i. e. res quae formidinem facit. 32, 6.
forum, in eo comitium fuit. 2, 1.
frequens pro frequenter. 20, 2.
— pro participio adesse verbi. 37, 5
frons, in frontem, i. e. ex adversum hostibus. 33, 6.
fruges, i. q. frumenta. 12. 5.
frumentum a Britannis praebendum. 19, 4.

frustra esse. 13, 4.
furtum, i. q. insidiae. 34, 1.
futurum simplex differt a praesente coniugationis periphrasticae. 46, 5.

G.

gaudere aliqua re, i. e. multum ei tribuere. 44, 4.
generalis sententia ad certam rem accommodata. 31, 4.
— — falso credita 34, 2. 37, 3.
genitivus qualitatis. 9, 1.
genitivus attributivus indicat id, in quo alicuius rei natura posita est. 35, 2.
— adiectivi loco positus. 36, 1.
Germaniae, plurali numero. 15, 4. 28, 1.
gradatio in duobus vocabulis. 12, 5.
grammatica, quas artes apud veteres complexa. 4, 3.
gratia, i. e. placendi studium. 1, 2.
gravis, in iudiciis, quis. 9, 3.

H.

haberi in aliq. re, i. q. versari. 28, 2.
habitus, d. Aeussere. 11, 2.
—, d. Tracht. 21, 3.
hactenus, i. e. usque ad hunc finem. 10, 5.
haurire studium. 4, 5.
hendiadys (ἓν διὰ δυοῖν). 4, 3. 4, 6. bis. 6, 4. 6, 5. 32, 4. 33, 5. 40, 4.
— ubi locum non habeat. 3, 1. 16, 1. 29, 3. 43, 4.
hic nudum pro subiecto est. 34, 1.
hinc de tempore, deinde. 6, 1.
hoc age, formula ad attendendum excitantis. 43, 1.
Homerus Tacito obversatus. 34, 2.
honestum, i. q. honorificum. 30, 2.
hostilis exercitus Romanorum dictus. 25, 1.
humanis hostiis Britanni litabant. 11, 4.

I.

iam transitum in alium statum designat. 15, 6.
iam vero, i. e. ad hoc, porro. 9, 3.
igitur transitum facit ad rem primariam. 13, 2.
ignoscere vitiis, quid. 16, 4.
ille, de re famosa dictum. 45, 3.
ille, cum contemptu dictum. 2, 2. 27, 2.
illecebrae. 4, 4.
illi, de hostibus dictum. 32, 5.
illic, depravatum in ibi. 32, 7.
illicita, i. e. legibus vetita. 42, 5.
illustris cur colonia Foroiuliensis. 4, 1.
impellere bellum, i. q. graviter gerere. 25, 2.
imperfectum c. perf. coniunctum. 5, 4.
imperfecti vis. 41, 4.
imperiti, absolute, i. q. Kurzsichtige. 21, 3.
imperium, pro imperantibus. 13, 1.
impetus, i. q. agendi vigor. 15, 5. 44, 2.
impetus famae. 39, 4.
implere alqd., i. e. plane assequi. 44, 3.
in c. acc. vim habet enuntiati finalis. 8, 3. 31, 2.
incognitus, i. q. non plane cognitus. 10, 4.
incorruptus, unparteiisch. 22, 4.
increscere, absolute, i. q. nimium fieri. 8, 1.
incuriae, i. e. neglecta officia. 19, 1.
incusare, i. q. vituperare. 1, 4.
indago, ein Jagdtreiben. 37, 5.
indecoris, forma suspecta. 16, 5.
indicativus in se habet notionem adverbii vere. 10, 3.
— post sunt, qui. 28, 4.

indicativus in condicionali enuntiato. 37, 1.
indicium, de re incognita. 28, 4.
indulgentia, i. q. caritas. 4, 3.
indulgere rei, i. e. nimis studere. 9, 5.
infesta itinera, quae. 25, 1.
infinitivus ex adiectivis pendens. 8, 1.
infirmum desiderium. 46, 1.
ingenium oppositum studio. 21, 2.
ingratus, missliebig. 5, 4.
inhabilis. 36, 1.
iniucundus, i. q. durus. 22, 4.
innocens, innocentia, i. q. abstinens. 16, 6.
inquisitio, i. e. invidiosa vestigatio. 43, 3.
inquisitiones sub Caesaribus. 2, 3.
instare famae, quid. 18, 5.
instincti, reflexivo sensu. 16, 1.
integra aetas, d. besten Jahre. 44, 3.
integre, integritas. 7, 2. 9, 4.
integrum, quid. 4, 4.
intentus. 5, 2.
— c. ablat. 42, 3.
— in negotiis, quis. 9, 3.
intercedere rei, i. q. prohibere. 46, 4.
interpretari, i. e. quod in re inest eruere. 15, 1.
— aliquem, i. e. recte intelligere. 40, 4.
interpunctio emendata. 3, 3. 10, 5. 16, 5. 18, 3. 20, 3. 21, 1. 22, 2. 22, 5. 25, 2. 26, 1. 29, 1.
intersepire, i. q. disiungere. 5, 3.
intolerantia, i. e. superbia intolerabilis. 20, 1.
intrepidus, de rebus dictum. 22, 3.
invalida legio, i. q. exiguo numero. 26, 1.
invenire, auffinden. 10, 4.
invicem obiecti vim habet. 37, 6.
invictus, i. q. insuperabilis. 18, 6.
invidia, absolute. 1, 1.
invitamentum, quod leniter impellit. 20, 2.
ipse casu recto pendenti structurae insertum. 1, 3.
— gradationi inservit. 6, 4.
— oppositionem efficit. 13, 1.
— ablativis absoll. interpositum. 25, 5.
— i. q. solus. 34, 2.
— i. q. für seine Person. 44, 3
ironia per nisi indicata. 32, 2.
irritamentum, quod acriter incitat. 20, 2.
irritus de personis dictum. 22, 3.
ita, priora complectitur. 10, 1. 22, 3. 28, 4. 30, 2.
iudicia diversa a conventibus. 9, 3.
iudicium, i. q. vera animi persuasio. 43, 5.
iuniores, qui vocati. 3, 3.
iurisdictio, quorum esset. 6, 4.
iurisdictio castrensis. 9, 2.
iuxta, i. q. pari modo. 22, 3.

L.

lacunae in textu. 17, 3. 27, 3. 31, 5. 36, 3.
lascivia. 32, 1.
laureatae, sc. litterae, res laetas nunciabant. 18, 8.
legati consulares et praetorii, qui. 7, 3.
legati provinciae iurisdictionem habebant. 15, 2.
legiones Britannicae, quae. 7, 3.
liberos genuisse praerogativam honorum dabat. 6, 3.
liberti negotia dominorum curantes. 19, 3.
limes imperii. 41, 4.
litotes. 3, 4.
livere, i. e. plumbi colore esse. 12, 6.
Livii locus a Tac. expressus. 34, 3.
loco eodem esse, i. q. coniunctum esse. 33, 8.
loqui et audire coniunctum. 2, 3.
loqui aliquem. 43, 1.
ludibrium, quid. 19, 5.
ludos edere praetorum erat. 6. 5.

M.

maior, i. e. vir eminentior. 40, 1.
manu agens iurisdictio, quid. 9, 2.
manus, de cohorte accensorum dictum. 15, 2
— i. q. vis. 25, 4. 33, 7.
matrimonium, Heirath. 6, 1.
medici sceleribus patrandis adhibiti. 43, 3.
medio, i. e. media via. 6, 5.
militaris praegnanti sensu i. q. militiae peritus, militia clarus. 40, 4. 41, 2.
miscere duas res, i. q. coniungere. 15, 2.
miscere ictus. 36, 2.
miscere consilia. 38, 2.
mixtum rebus dictum id, in quo res mixtae sunt. 4, 4. 25, 2.
moderatio in tuenda disciplina militari. 7, 4.
moderatus, i. q. cautus, providus. 5, 1.
modestia, de observata disciplina militari. 20, 2.
moles belli, i. q. difficultas. 17, 3.
momenta, i. q. temporis punctum. 43, 4.
monumenta, i. q. scripta egregia. 2, 1.
monstrari fatis, quid. 13, 5.
mora, i. q. diuturnitas. 22, 2.
moris est. 33. 1. 39, 1.
multus adesse. 20, 2.
munera subditorum, Leistungen. 19, 4.
munire se ab aliqua re soloecum. 45, 3.
mutatio ementium, d. Weiterverkauf. 28, 4.

N.

nandi peritia Batavorum. 18, 6.
natales, i. q. genus. 6, 1.
natum esse c. dat. 31, 2.
natura, i. q. bona natura. 12. 5.
navis, nave prima, i. e. ubi primum navigari potuit. 24, 1.
nec — neque ubi non correlativum sit. 5, 2.
nec, i. q. nec tamen. 8, 3. 18, 8. 19, 3. 22, 4.
necessitas, i. q. desperata condicio. 30, 1.
negatio praedicati etiam ad participium cum subiecto coniunctum transit. 18, 8.
negatio ad praedicatum pertinens eius attributo addita. 16, 6.
neutrum genus de personis usurpatum. 6, 3.
neutrum plurale de hominibus. 18, 3.
neve relatum ad tectam adhortationem. 15, 6.
nimium esse alicui. 7, 3.
nisi c. coni. transit in vim adversativae sententiae. 4, 5.
nisi quod c. ellipsi dictum. 6, 2. 16, 6.
nisi si non dicitur in ironia. 32, 2.
nobilitas equestris, quid. 4, 1.
non iam. 42, 2.
nostri, genit. 3, 3.
nova terrae pars, i. e. veteri adiecta. 20, 3.
novae gentes, i. e. antea non additae. 38, 6.
novi in servitute, qui. 31, 3.
novissimum, i. q. gravissimum. 34, 3.
nox, terrae umbra effecta. 12, 4.
nullus negationem praedicati habet. 39, 1.
numeri, militare vocabulum. 18, 3.
— in codd. corrupti. 44, 1.
numero pleonastice numeralibus additum. 32, 3.
numerus superans, i. q. hostes numero superiores. 25, 5.
numerus praedicati, ubi plura subiecta sunt. 24, 3.
nunc in oppositione praesentis et praeteriti temporis. 1, 4. 30, 4.

O.

oblivio, i. e. neglectio scriptorum, caussa intercidentis famae. 46, 6.
obruere alq. rem. 17, 3.
obscurus, qui simulatione tegitur. 42, 4.

obtendi, i. e. ex adverso iacere. 10, 2
obterere, i. q. delere. 18, 2.
obtinere, i. e. tueri. 23, 1.
obtusa iurisdictio. 9, 2.
occasio praegnanti sensu. 14, 4. 24, 4.
— i. q. casus. 27, 2.
occurrere, i. q. inveniri. 2, 2.
oceanus, i. q. pericula oceani. 25, 2.
officia legatis praestari solita. 18, 7.
officium, d. Wirkungskreis. 14, 3. 25, 1.
omnis, i. e. cui nulla pars deest. 4, 3.
omnis, germ. lauter, nichts als. 32, 3.
omnis, singulas res plures complectitur. 41, 3.
opera ac fides auxiliorum laudata. 33, 2.
opportunus pro aliquo. 12, 1.
oppositio duplex. 37, 3. 37, 4.
oppositionis caussa a vulgari constructione deflectitur. 12, 1.
opus, i. q. magnum coeptum. 13, 5.
orationi obliquae interpositum auctoris iudicium. 16, 2.
oratione recta positum, quod ex supplendo verbo suspensum esse debebat. 30, 4.
orbis, i. q. pars orbis terrarum. 12, 3.
oscula inter honores. 40, 3.
ostentatio legatorum. 18, 7.
otiosi, i. q. togati. 40, 4.
otium diversum a quiete. 6, 4. 21, 1.
oxymoron. 25, 3.

P.

pactio, Capitulation. 22, 2.
pallores, i. e. pallida ora. 45, 3.
paratum esse alicui, i. q. facilem se praebere. 6, 3.
paratus c. ablat. 42, 3.
pariter ac, i. q. simul cum. 11, 5.
parsimonia, i. q. frugalitas. 4, 4.
particip. fut. act. solvendum in enuntiatum condicionale. 1, 4.
— praes. act. vi substantivi. 4, 4. 29, 4.
participii usus spretus. 4, 2.
particip. praes. non positum pro part. perf. 9, 1. 18, 7.
— perf. non positum pro part. praes. 22, 1.
pascere aliquem, cum invidia dictum. 31, 2.
passim, i. e. hic illic. 37, 3.
passivum reflexivo sensu. 16, 1. 2.
patiens frugum, quid. 12, 5.
patria nulla, quibus. 32, 3.
patricii novis ascitis aucti. 9, 1.
patrius, i. q. in patria usitatus. 18, 6.
penes, i. q. auf Seiten. 15, 5.
penitus, i. e. maximum in modum. 40, 4.
pensare pro compensare. 22, 3.
perfecti coniunctivus ad praesens tempus refertur. 3, 1. 18, 6.
perfectum praesentis ab omissa sententia repetendum. 9, 7.
perfecti infinitivus vi fut. exacti. 3, 4.
perfecti partic. non est pro partic. praesentis. 22, 1.
periphrasticae coniugat. activae vis. 35, 3.
peritus c. infin. 8, 1.
personae pro rebus habitae. 6, 3.
personificatio. 3, 1.
persuasiones superstitionum, quid. 11, 4.
persultare locum. 37, 5.
philosophiae studium cur Romanis non commendatum. 4, 5. 6.
piget. 3, 4.
pignora, i. e. carissimi. 38, 2.
pigrum mare, quid. 10, 5.
pleonasmus in oppositis. 2, 3.
plerique, i. e. permulti. 1, 3.
pluralis substantivorum abstractorum. 19, 1.
plures, die Mehrzahl. 29, 2.
plusquamperfecti ratio. 44, 1.
poenitentia, in poenitentiam. 31, 5.

non poenitet alicuius rei. 33, 2.
pontificatus sacerdotium insignis honor. 9, 7.
populus et vulgus. 43, 1.
porro, i. q. ad hoc. 15, 6.
portio; pro virili portione. 45, 4.
positivus c. comparativo coniunctus. 1, 2.
possessio rei eius finibus opposita. 41, 2.
— i. q. occupatio. 18, 5.
potius quam, c. coniunct. in comparativa sententia. 25, 4.
prae in verbis compositis i. q. praeter. 28, 2.
praeceps perniciei notionem habet. 41, 5.
praedia quomodo differant a patrimonio. 7, 1.
praedicati attributum in subiectum mutatum. 3, 1.
praedicati numerus singularis ubi inter plura subiecta pluralis est. 24, 3.
praedicatum omissum. 33, 1.
praefecti sunt cohortium auxiliarium. 22, 4.
praeferre, i. q. ostendere. 11, 5.
praegnanti sensu posita substantiva. 2, 3. 4, 6. 5, 1. 7, 3. 8, 2. 9, 7. 12, 6. 14, 4. 15, 5. 16, 6. 19, 1. 25, 1. 32, 7. 33, 3.
— — adiectiva. 3, 3. 28, 2.
— — verba. 9, 6.
praesens verbi tempus incipientem actionem designat. 3, 1.
praesentia despiciuntur. 1, 1.
praesides provinciarum commendationes ad senatum sibi parabant. 9, 5.
praesidum provinc. collegae, qui. 9, 5.
praestare terga, i. q. dare. 37, 3.
praesumere rem, i. e. animo antecapere. 18, 3.
praeter, i. q. excepto. 12, 5.
— i. q. praeterquam. 17, 3.
praetorum officia. 6, 4.
precario, precarium. 16, 5.
pretium, Befriedigung. 1, 2.
prima nave, i. e. ubi primum navigari potest. 24, 1.
primo supplendum, ubi sequitur mox. 28, 3.
prior, i. e. superioris anni. 29, 3.
priores, i. q. maiores, veteres. 1, 2.
prius corruptum ex patrius. 18, 6.
privatim. 21, 1.
privatus, i. q. persönlich. 19, 3.
pro dativi loco ex adiectivo pendens. 12, 1.
pro aliquo esse, i. e. alicui adesse. 32, 3.
procuratores. 4, 1. 9, 5.
professores sapientiae, i. e. philosophi. 2, 2.
proinde, idem atque perinde. 10, 5.
— in adhortatione. 32, 7.
promptus in alqd. 35, 3.
— absolute dictum. 3, 3.
pronomen possess. aequales designat. 1, 1.
— — neutr. substantive. 10, 6.
— person. ad acc. c. inf. omissum. 27, 2.
— reflexivum ab oppositione repetendum. 9, 6.
pronominis demonstr. neutrum ablativo casu cum genitivo iunctum. 42, 5.
pronum, substantive. 1, 2.
pronus c. dat., i. q. secundus. 33, 5.
proprius, i. q. speciell, persönlich. 16, 2.
prosequi rem, i. q. narrare. 18, 8.
protenus, sofort. 10, 5.
prout, nach Maassgabe. 18, 5.
provinciae dignitate diversae. 40, 1.
provincialium parsimonia. 4, 4.
provinciarum sortiendarum ordo. 42, 1.
prudens c. genit., i. q. guarus. 19, 1.
publicae res, Amtsgeschäfte. 19, 3.
publice, i. q. ex aerario publico. 21, 1.

pudet c. ablat. supini. 32, 2.
pudor in militibus, Ehrgefühl. 7, 4.

Q.

quaerere aliquid, i. e. desiderare. 40, 4.
quantitatis vocabula minuendi sensu. 1, 1.
quantus minuendi sensu. 1, 1.
que numeris additum differt a ve. 12, 2.
que, vi consecutiva positum. 12, 4. 18, 4. 25, 4.
que, vi caussali. 37, 2.
quid? absolute positum, in transitu ad graviorem sententiam. 3, 3.
quies diversa ab otio. 6, 4. 21, 1.
quietus et tutus. 40, 3.
quisque in decurtata structura ita positum, ut in plena. 1, 3.
quisque cum possessivo vario modo coniunctum. 16, 2.
— c. superlat. pluralem verbi admittit. 34, 2.
quominus liberiore modo positum. 20, 2.
quoque tectam oppositionem indicat. 30, 3.
quoties minuendi sensu. 1, 1.
quum in apodosi. 18, 3.
— i. q. quamvis. 21, 3.

R.

ratio, i. q. prudentia. 18, 6.
recens. 36, 3.
recens terror. 36, 3.
recessus, i. q. longinquitas. 30, 4.
recludere, i. e. rursus claudere. 19, 5.
recognoscere rapta. 6, 5.
recta oratio ubi suspensa esse debebat. 34, 3.
rectum, i. q. honestum. 1, 1.
recuperare. 17, 1.
referre alqd. ad rem, i. q. pertinere id putare. 5, 2.
reflexivo sensu passiv. positum. 16, 1. 2.
relegatum esse, gebannt sein. 15, 6.
remedia doloris. 29, 1.
remigrare, i. q. navem movere. 28, 2.
repetendum subiectum ex praegresso vocabulo. 12, 5.
repetita in vicino verba quando non suspecta. 36, 1.
reponere rem, i. e. differre. 39, 4.
res oppositae verbis. 10, 1.
retinere modum ex sapientia, quid. 4, 6.
revehi, de fluminibus dictum mari repulsis. 23, 2.
revocari c. ablat. 18, 5.
ripa nostra (Rheni), i. q. sinistra. 28, 4.
—, sc. Danubii. 41, 2.
rhetorica orationis exornatio. 18, 6.
robur voti, quid. 3, 1.
robur, i. q. adminicula honorum consequendorum. 6, 1.
Romana cogitandi forma etiam exteris tribuitur. 15, 5.
rotundi numeri quae caussa. 34, 4.
ruere, i. q. impetu accurrere. 34, 2. 37, 3.
rumor quomodo differat a fama. 33, 3.
rursus, i. q. contra. 29, 1.

S.

sacra a superstitionibus diversa. 11, 4.
saepius, i. q. haud raro. 9, 3.
saevus obiectivo sensu. 1, 4.
salarium proconsulibus datum. 42, 3.
Sallustius a Tacito expressus. 18, 7. 20, 2. 30, 1. 30, 5. 30, 6. 33, 5. 36, 4. 37, 2.
salus, i. q. vita. 16, 5.
sapientes, i. q. philosophi. 46, 1.
sapientia, i. q. philosophia. 4, 2.
satiari aliqua re, i. e. contentum esse. 39, 4.
satius quam c. coniunct. 25, 5.
scrutari mare. 30, 5.

scutula, quid. 10, 3.
secreta ira. 22, 5.
secretum, vereinsamt. 38, 3.
secretum maris, i. q. mare ignotum. 25, 3. 31, 4.
seculum, i. e. principatus tempus. 3, 1.
secura iurisdictio. 9, 2.
securus de rebus dictum. 30, 2.
— alicuius rei, i. e. de re non cogitans. 43, 4.
— pro aliqua re. 26, 3.
sed transitum facit ad ea, quae restant. 10, 5.
seditiose agere, i. e. modestiam parendi omittere. 7, 3.
senex, senectus, seniores, qua aetate fuerint. 3, 3.
sentire rem malam, i. q. pati. 6, 5.
separare consilia. 38, 2.
servi, procuratoris ministri. 15, 2.
servientes, absolute, viles aulae ministri. 40, 3.
seu — seu, praedicato omisso. 22, 4.
severus in iudiciis, quis. 9, 3.
si c. indic. transit in sensum caussalem quum particulae. 3, 3.
si c. coni. praes. rem dubiam enuntiat. 13, 1.
sicut — ita, i. q. quamquam — tamen. 44, 5.
silentium, i. q. ingenia oppressa. 3, 3. 39, 3.
— i. q. otiosa vita. 6, 4.
simplex verbum pro composito. 22, 3.
simul et duo membra iungit. 35. 3.
— pro et — et. 6, 3.
singularis in oppositione duas res comprehendens. 1, 1.
sinister, i. q. invidiosus. 5, 4.
sinus, i. q. summa cura. 4, 3.
— i. q. litus, quod sinu alluitur. 23, 2.
— i. q. tutamentum. 30, 4.
solere verbum transit in saepe adverbii vim. 4, 4.
solennia pietatis, i. q. iusta. 7, 2.
spargere bellum. 38, 4.
spatium, i. q. copia, commoda occasio. 22, 1.
— i. q. longitudo. 10, 2. 24, 3.
— exemplorum, quid. 8, 2.
species alicuius rei, die Idee. 4, 6.
— i. q. externus splendor. 35, 2.
— i. q. aspectus admirationem movens. 25, 1.
speciosae opes. 44, 4.
spes alic. rei, Aussicht auf etw. 9, 1.
spiramenta, i. e. pausae. 44, 5.
stare, i. q. subsistere. 16, 5.
sternere hostes. 36, 2.
studia partium. 12, 1.
studio oppositum ingenium. 21, 2.
subiectum sequentis enuntiati ex casu obliquo eruendum. 12, 5.
subitus, i. q. improvisus. 37, 1.
sublimis quomodo differat ab erectus. 4, 6.
— de habitu corporis. 44, 2.
subscribere in accusationibus dictum. 45, 3.
subtilitas, quid. 9, 1.
sufficere alicui rei, i. e. sustinere aliquid. 45, 3.
sui, i. q. aequales. 1, 1.
sumere bellum, i. e. incipere. 16, 1.
in suo, auf seinem Eigenthum. 10, 6.
super, c. ellipsi dictum. 17, 3.
superare absolute, i. q. superiorem esse. 25, 5. 35, 3.
superesse, i. e. abunde esse. 44, 2.
supergredi aliquid. 1, 1.
superlativus coniunctus cum ceterorum. 34, 1.
superstitiones, quid. 11, 4.
supinum in u ex pudet pendens. 32, 2.
suppleri debet sententia ad vim proximae illustrandam. 3, 3.
supplicia in comitio fiebant. 2, 1.
suspensa oratio in rectam mutata. 34, 3.

ex suspensa oratione transitur in rectam. 46, 4.
sustinere rem, i. e. non succumbere. 17, 3.
synonyma gravitatis caussa iuncta. 31, 2.

T.

tamen refertur ad suppressam sententiam. 3, 4. 11, 3. 42, 4. 45, 3.
tanquam, i. q. pariter atque. 32, 5.
tantus minuendi sensu. 1, 1.
tantus — ut, pro tantus — quantus. 20, 3.
tardum, quod tarditatem affert. 18, 3.
telorum finis et usus. 32, 4.
tempora dividere, quid. 9, 3.
tempora verbi diversa coniuncta. 5, 4.
temporale, i. e. quod in aliquod modo tempus durat. 46, 2.
tempus certum notatur iis rebus, quae illo tempore fiunt, dictis. 24, 1.
tenor, quid. 6, 4.
terrae, de insulis. 10, 5.
testamenta rata praestandi cautela. 43, 6.
testis, qui rem agnoscit. 22, 4.
titulus ipsi rei oppositus. 5, 2.
togati, i. e. cives. 9, 2.
trahi, i. e. in partes agi. 12, 1.
transgressi, sc. ex continenti. 10, 3.
transigere cum aliqua re, i. e. finire rem. 34, 4.
transire annum. 6, 4.
translata attributorum epitheta ad subiectum. 4, 4.
transposita in textu vocabula. 10, 3. 14, 2.
transvectus de tempore, i. q. praeterlapsus. 18, 3.
transvehere, absolute positum. 18, 6.
tribuni mil. plerumque militiae ignari. 5, 2.
triennium, solitum tempus administrandae provinciae. 9, 6.
tristitia in vultu, quid. 9, 4.
triumphalia ornamenta, quae. 40, 1.
triumviri capitales. 2, 1.
tum primum et tunc primum.
tum vero in re gravi inferenda. 37, 2.
tutum active, quod tutos praestat. 30, 2.
tutus et quietus. 40, 2.

U.

ubi, pro apud c. relat. 7, 3.
ultimum, i. q. summum. 2, 3.
ultra attributnm substantivi. 25, 1.
ultra, de tempore. 32, 6.
ultro, die Offensive ergreifend. 25, 4. 26, 3.
— i. q. geradezu. 42, 2.
— i. q. adeo. 19, 5. 31, 2.
in universum, i. q. universe. 10, 3. 11, 3.
unus, pro unus tantum. 28, 2.
ut — item, quando dici possit. 33, 6.
ut consecutivum gradum quendam indicat. 13, 1.
ut, i. q. utpote. 25, 4.
ut — ita, i. q. quamquam — tamen. 44, 5.
ut comparativum et caussale. 11, 1. 14, 4. 16, 1. 18, 6. 26, 1.
ut respondet voci tantus. 20, 3.
ut corruptum in in. 26, 3.
utcunque. 39, 3.
utensilia, quae ad victum pertinent. 28, 3.
uti dixerim, vi potentiali. 3, 3.
utile pro aliquo. 12, 1.
utilia, Bedürfnisse. 28, 3.

V.

vacuus, i. q. securus. 37, 1.
vastum mare. 10, 2.
ve numeris additum differt a que. 12, 2.
velox c. genit. 13, 4.
venia, i. e. veniae rogatio. 1, 4.
verberare aures. 41, 4.

verbi alius numerus et persona ex sequentibus ad priora trahendus. 13, 4.
verbum nudum de conatu dictum. 3, 1.
vere, re vera, in indicativo inest. 10, 3.
verti ad alqd., i. e. intentum esse in alqd. 18, 1.
vertit res in aliquem. 37, 2.
vestigia, i. e. loca. 34, 3.
vestigiis sequi. 26, 2.
vetera laudantur. 1, 1.
vexationes Britannorum in frumento praebendo. 19, 5.
vexilla, i. q. numeri, cohortes. 18, 4.
vincere ignorantiam. 1, 1.
vinctus, i. q. impeditus. 32, 4.
Virgilium expressit Tacitus. 29, 4. 37, 3.
viridis senectus. 29, 4.
virtus, i. q. homo virtute praeditus. 1, 1.
vis segnitiei opposita, i. q. alacritas. 8, 1.
visendi ratio principum. 43, 3.
visus, i. q. spectaculum. 45, 2.
vitabundus. 37, 6.
vitia, quid. 41, 5.
— de vita molli dicta. 16, 4. 21, 3.
vocabulum idem eodem loco duplici sensu positum. 4, 4. 8, 2. 30, 4.
volenti est alicui aliquid. 18, 2.
voluptates, Genüsse. 21, 1.
vox, i. q. iudicia hominum. 2, 2.
vulgus et populus. 43, 1.
vulnus, i. q. damnum, iactura. 37, 5. 45, 6.

Z.

zeugma. 3, 1. 12, 6. 13, 1. 19, 3. 27, 2. 29, 3. 31, 5. 33, 3. 35, 2. 39, 2. 42, 4. 44, 5. 45, 2.

Altenburgi, ex typographeo aulico.
(Stephan Geibel & Co.)

CORNELII TACITI

DE SITU AC POPULIS

GERMANIAE

LIBER

FRIDERICI KRITZII,
PROFESSORIS ERFURTENSIS,

ANNOTATIONE ILLUSTRATUS.

QUARTAM EDITIONEM CURAVIT

W. HIRSCHFELDER.

BEROLINI,
SUMPTUS FECIT W. WEBER.
MDCCCLXXVIII.

PRAEFATIO.

Fridericus Kritzius professor olim Erfurtensis cum de Sallustio optime meritus esset, abhinc viginti fere annos Taciti de Germanis libellum gymnasiorum potissimum in usum illustrandum sibi sumpsit in eaque editione adornanda maximam dedit operam, „ut verba Taciti recte et simpliciter intellegerentur h. e. ita, ut et ipse intellexit et ab aequalibus suis lectoribus intellegi voluit. quae res cum eo melius procederet, quo accuratius cum universa latinitatis ratio, tum peculiare Taciti dicendi genus cognoscitur, brevi et succincta adnotatione efficere studuit, ne quid lectores desiderarent, quod hoc nomine intellectum iuvaret.“ in ipsis verbis Taciti Mauricii Hauptii editionem Weidmannianam a. 1855 ita secutus erat, ut paucis locis ab ea discederet. quattuor annis post cum libellum iterum ederet, „haud pauca addidit, quae ad res illustrandas pertinerent.“ inde ab anno huius saec. sexagesimo quarto opus hoc neglectum et intactum iacuit: tertia enim editione, quia Kritzius interim mortuus erat, nihil prorsus mutatum aut emendatum est.

Itaque quartam editionem curanti mihi adhibendum erat quidquid tam ad verba Taciti emendanda quam ad res explicandas his tredecim annis prolatum est. ac de textu quidem quem dicunt constituendo quid censerem nuper in diurnis gymn. berol. exposui. annotationem Kritzianam ita mutavi, ut hodierna horum studiorum condicio postulare videbatur.

*

Omnium autem qui de Taciti Germania hac aetate bene meruerunt, facile princeps est Carolus Muellenhoff. praeter hunc nominandi sunt Carolus Halm, Carolus Nipperdey, Henricus Schweizer-Sidler. neque omittam Antonium Baumstark, qui post ampla duo volumina commentarium in Germaniam brevem et bonae frugis plenum composuit. de oratione Taciti subtilius cognoscenda egregie meruit Eduardus Woelfflin, nonnulla etiam sumpsimus ex copiis Gustavi Andresen. rebus autem enucleandis praeter Muellenhoffium operam utilissimam dederunt Georgius Waitz, qui publicas, Wilhelmus Wackernagel et Carolus Weinhold, qui privatas res explicaverunt. his viris ceterisque, quos et h. l. enumerare longum est nec in commentario, paucis locis exceptis, commemorare licuit, omnia fere debentur, quae in quarta hac editione novavimus. quibus ut emendavisse Kritzii opus scholisque nostris paululum profuisse videamur, maximopere optamus.

Scripsi Berolini idibus octobribus
a. MDCCCLXXVII.

W. HIRSCHFELDER.

PROLEGOMENA.

Cornelius Tacitus nec quo praenomine usus sit nec quo loco annove natus sit, memoriae proditum est. annum autem natalem probabili coniectura assequi licet. narrat enim ipse Hist. I 1. *dignitatem nostram a Vespasiano incohatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim.* his verbis quin magistratus — quaesturam, aedilitatem, praeturam — significaverit, non est dubium. quoniam autem principatus temporibus quaesturae annus aetatis vicesimus quintus, aedilitati vicesimus septimus erat constitutus (Mommsen Röm. St. R. I² 555), apparet anno fere p. Chr. 54 Tacitum natum esse, ut anno 79 quaesturam, anno 81 aedilitatem adeptus esse putandus sit. eundem annum Plinii minoris (VII, 20) epistula anno 107 conscripta demonstrat: *erit rarum et insigne duos homines aetate dignitate propemodum aequales nonnullius in litteris nominis alterum alterius studia fovisse. equidem adolescentulus cum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi tibi longo sed proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam.* haec Plinius, cum anno centesimo consul fuisset, quadragesimo sexto aetatis anno Tacito amico scripsit qui quinquaginta tres annos natus erat et tribus annis ante Plinium consul fuerat: certe aetate et dignitate propemodum aequales, sed Tacitus maior erat. neque rationi nostrae repugnat, quod Tacitus scribit c. 1. Dialogi — qui anno fere 75 habitus esse fingitur ut verba docent c. 17. *sextam iam felicis huius principatus stationem, qua*

Vespasianus rem publicam fovet; in proximis enim: *centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur* aeque rotundo numero utitur atque in Germania c. 37. *sescentesimum et quadragesimum —: disertissimorum hominum sermo, quos admodum iuvenis* (i. e. unum et viginti annos natus) *audivi.* et quae c. 2. adduntur: *M. Aper et Iulius Secundus celeberrima tum ingenia fori nostri quos ego in iudiciis non modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis exciperem,* testantur, quibus studiis Tacitus illa aetate deditus fuerit.

Edito de oratoribus libello, id quod anno octogesimo altero vel tertio videtur factum esse, gestisque praeturae et consulatus muneribus ad historias conscribendas se contulit: Agric. 3. *non tamen pigebit memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse.* et posteaquam Agricolam confecit primo Traiani principatus anno, statim post de Germanis libellum componere coepit. nam cum ipse c. 37. *ad alterum imperatoris Traiani consulatum* computaverit, inde intellegitur a. p. Chr. n. 98 Germaniam scriptam esse. adoptatus enim a Nerva Traianus alterum consulatum eo anno gessit in Germania; quo cum mense Ianuario mortuus esset Nerva, Traianus ad principatum elatus est („secundum consulatum imperator quidem, sub imperatore tamen inisti.“ Plin. Paneg. c. 57). sed cum negotiis variis ad Rhenum retineretur, „tertium consulatum recusavit.“ quae negotia quanta essent et quam gravia, ut demonstraret populo Romano revocanti ac desideranti imperatorem, Tacitus de Germania librum composuit. quo in conscribendo etsi praestare Germanorum mores Romanis non negavit, tamen ne vitia quidem eorum dissimulavit. aeque igitur abstinet Vellei et Strabonis conviciis atque nimia Senecae aliorumque praedicatione Germanorum. verum quae accurata et subtili quaestione vel ex libris scriptorum, (ex quo numero Iulium Caesarem G. c. 28. et C. Plinium Germanicorum bellorum scriptorem ann. I 69. ipse commemorat) litterisque et commentariis imperatorum collegerat vel a militibus Romanis

Germanisque captivis exploraverat, haec prudenter diiudicata et apte disposita exposuit eo sermone usus, ut legentium studia quam maxime excitarentur. ipsum Tacitum in Germania fuisse non est veri simile. etsi enim ex praetura provinciam aliquam obtinuit et quadriennium fere ab urbe afuit (Agric. c. 45), tamen certis argumentis demonstrari non potest Belgicam provinciam eum administravisse, nedum iter inde in Germaniam fecisse videatur. et quod ipse vocabula Germanica affert (frameam c. 6., glaesum c. 45.), eis iam antea scriptores usi erant. praeterea sunt nonnulla, quae Tacitum si ipse Germaniam peragrasset scripturum non fuisse credimus.

Omnia autem ita enarravit, ut cultum mores instituta Romanorum in comparationem vocaret eorumque errores refutaret, qui Germanos incultos et omnium rerum rudes fuisse existimabant. nam cum Germani vagi errare desiissent necesse est eos aliquam habuisse non solum domorum aedificandi scientiam, sed instrumentorum quoque novisse usum, sine quibus aedificari nequit. sed praeterea multarum aliarum rerum habuerunt notitiam. nam quum agricultura, cui studebant, ad fruges maxime parandas spectaret (cf. c. 26, 8.), per se patet omnibus eos instrumentis, quae ad agrum colendum pertinent, instructos fuisse, velut aratris, occis, carris, aliis, nec defuisse eis fabros omnis generis, qui illa fabricarentur. cum agricultura cohaeret cerevisiae confectio, cui potui imprimis dediti erant (cf. c. 23.). in tanta autem cupidine bibendi (cf. c. 22, 5 sq.) magna haud dubie cerevisiae copia parabatur, quae res non sine magno quodam apparatu fieri poterat, non solum ad hordeum aqua perfusum frigendum, sed etiam ad coquendum. magni igitur lebetes quum requirerentur, fabros aënarios eos habuisse in promptu est, pariter ut doliarios, qui dolia servandae cerevisiae fabricarentur. ad eandem rem pertinet lineorum confectio (cf. c. 17, 10. Plin. n. h. XXX 2.). quae ut confieri posset, multis opus erat rebus, quae populum non plane rudem esse ostenderent. nam ut taceamus de ipsa lini satione, quae iam per se quandam

agriculturae perfectionem poscit, quot res postea accedere debent, quibusque instrumentis artificiosis opus est, ut primo ad nendum deinde ad texendum (cf. Plin. XIX 1.) perveniatur? tum textorum partem colore rubro tingebant (cf. c. 17, 10.), quod ipsum non sine aliqua arte fiebat; nec vestium conficiendarum negotium (cf. c. 17, 1—9.) ita peragebatur, ut arte prorsus careret. haec igitur et alia eius generis plura si reputaveris, facile intelliges non adeo culturae expertes fuisse Germanos, ut pro feris et barbaris haberi debeant, sed elegantiam modo in politiorem sensum in conficiendis rebus ad vitae usus pertinentibus eis defuisse, ut hoc nomine cum Romanis minime comparandi essent.

Iam ex his patet Germanos agriculturae valde deditos fuisse, et quod Caesar b. g. VI 22, et VI 29, tradit vagos eos fuisse nullisque certis ac fixis sedibus, neque agriculturae studuisse hoc iam non ad Taciti aetatem pertinere. sed haud paucis Germaniae locis Tacitus non solum aperte agriculturae studium incolis tribuit; aliis certe haud obscure rem testatur, ut dubitari nequeat, quin omnes fere agriculturam exercuerint. *Domos figere* c. 46, 9. Germanorum proprium esse dicit, ut hac re maxime discernantur a gentibus, quae non Germani sint; qui autem fixas sedes habent, eos paene necessarium est agros colere. frugibus maxime parandis eos intentos fuisse, c. 26, 8. narratur: *sola terrae sèges imperatur.* multo certius autem loquitur auctor ibid. *agri pro numero cultorum ab universis in vicis occupantur, quos mox inter sesecundum dignationem partiuntur. facilitatem partiendi camporum spatia praestant. arva per annos mutant, et superest ager.* agriculturam prodit etiam, quod ab hostibus prohibiti aegre ferebant teste Caesare b. g. IV 1. *causa transeundi fuit, quod ab Suebis — agricultura prohibebantur.* neque his obstat, quod apud Caesarem legitur b. g. IV 1. *privati ac separati agri apud Suebos nihil est, neque longius anno remanere uno in loco incolendi causa licet;* et VI 22. *agriculturae non student, neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios; sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierint,*

quantum et quo loco visum est agri attribuunt, atque anno post alio transire cogunt. nam et priore loco patet Caesarem non de universis Germanis loqui, sed tantummodo de Suebis, qui tum ad bellum gerendum erant parati, quo tempore sane poterant in quibusdam rebus a recepta consuetudine abire. altero omnino ad omnes Germanos transfert, quae supra de solis Suebis tradiderat, sed suae et superioris aetatis condicionem respexit. at apud Tacitum leguntur c. 26: *agri pro numero cultorum ab universis in vicis occupantur, quos mox inter se secundum dignitationem partiuntur. facilitatem partiendi camporum spatia praestant. arva per annos mutant, et superest ager.* qui locus non solum planissime ostendit omnes ingenuos agros possedisse, sed etiam eadem arva non per duos deinceps annos consita fuisse, sed unum annum cessasse, eam rem maxime agrorum multitudine adiuvante. agricultura autem quantum apud Germanos valuerit, quantamque vim in omnem vitam habuerit, ex eo etiam patet, quod servi quoque ad eam exercendam a dominis instituebantur; cf. c. 25, 2 sq. *suam quisque (servus) sedem, suos penates regit. frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis ut colono iniungit.*

Taciti aetate quattuor fuerunt in Germania hominum genera, nobiles, ingenui, libertini, servi. *nobiles* quin ibi fuerint, quamquam sunt qui negent, nullo modo dubitari potest, quum Tacitus non solum in Germania, sed etiam in ceteris libris diserte id tradat, usus *nobilium* et *nobilitatis* vocabulis eadem vi, quam apud Romanos habebant. cf. c. 7, 1. *reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt.* c. 8, 4. *ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur.* c. 11, 12. *mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, audiuntur.* c. 13, 7. *insignis nobilitas — principis dignitatem etiam adolescentulis assignat.* c. 14, 8. *plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes* cet. 18, 4. *exceptis paucis, qui ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.* c. 25, 11. *libertini super ingenuos et super nobiles ascendunt.* c. 44, 13. *neque nobilem neque ingenuum armis praeponere regia utilitas est.* Ann.

I 57. II 11. II 62. XI 16. XI 17. Hist. IV 12. IV 55. nobilitas quomodo orta sit, nescitur; nam ubi primum Germanorum mentio fit, nobiles iam exstant. hoc unum certum est non factos esse, sed natos nobiles, i. e. hereditate accepisse nobilitatem suam, neque admodum numerosos fuisse; cf. Ann. XI 19. *eodem anno Cheruscorum gens regem Roma petivit amissis per interna bella nobilibus, et uno reliquo stirpis regiae, qui apud urbem habebatur.* agrorum autem possessione pariter ut auctoritate inter ingenuos eminuisse nobiles, vix est quod moneatur. in iis praeterea civitatibus, quae regibus parebant, erat quoddam nobilitatis genus, ceteris praestantius, unde reges sumebantur nam non omni nobilitati patebat aditus ad regiam dignitatem; cf. Waitz Deutsche Verfassungsgesch. I² p. 185—191.

Proximum secundum nobiles locum obtinebant liberi sive ingenui, ita quidem, ut nobiles, qui et ipsi ingenui essent, neque ampliora, iura haberent, neque plus in civitate possent. omnium liberorum hoc erat proprium, ut agros possiderent quovis nomine liberos, i. e. nulli aliquo servitii aut oneris genere obnoxios. ii tantum, qui hoc libertatis statu uterentur, civitatem efficiebant (libertinis enim atque servis nulla eius pars erat), quae res eo constabat, ut et militiae munera subirent, et conciliis interessent, ibique de bello ac pace consultarent, reges, principes ac magistratus eligerent, denique iura constituerent.

De libertis Tacitus c. 25, 8. *liberti*, ait, *non multum supra servos sunt; raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis dumtaxat iis gentibus, quae regnantur.* nimirum quia nulli iis agri erant proprii, omni carebant iure, quo ingenui gaudebant, neque conciliis interesse neque iudiciis licebat.

Denique infra libertos servi erant, sive bello capti, sive ludo victi in eam condicionem delati. de iis Tacitus c. 25, 1. haec habet: *ceteris servis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur. suam quisque sedem, suos penates regit. frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis*

ut colono iniungit, et servus hactenus paret. hos nullo in civitate iure fuisse per se patet; nam ius cum libertate tantum erat coniunctum; libertas autem non nisi in civitate cernitur, quam liberi omnes in unum coniuncti efficiebant, ipsique constituebant, quid apud ipsos iuris esset.

In omnibus civitatibus Taciti tempore vel *reges* imperium tenebant, vel *principes* rempublicam moderabantur. ac reges quidem, iam ab antiquissimis temporibus orti, apud pauciores gentes erant, maxime apud eas, quae in septentrionem et orientem solem spectabant velut Suebi, Gotones, insularumque maris septentrionalis incolae. cf. c. 43, 24. *trans Lygios Gotones regnantur, paulo iam adductius quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. protinus deinde ab Oceano Rugii et Lemovii, omniumque harum gentium insigne rotunda scuta, breves gladii et erga reges obsequium.* c. 44, 12. *est apud illos (Suiones) et opibus honor, eoque unus imperitat. — neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est.* regiam potestatem hereditariam quodammodo fuisse, i. e. nonnullarum familiarum nobilium propriam, iam supra dictum. quamquam autem et in bello et in pace summa erat eius vis, tamen finibus quibusdam erat circumscripta; cf. c. 7, 2. *nec regibus infinita aut libera potestas.* eadem autem fuit, quae principum in liberis civitatibus, imprimis in bello regum summa auctoritas, quamquam pro cuiusque ingenio varia, ut alii plus auderent, alii minus sibi sumerent. reges iam per se domi plurimos agros possedisse dubitari non potest; non magis certum videtur, si bello victis terras eripuissent, haud exiguam partem regi cessisse, unde ille comitibus et ceteris, quorum forti opera usus esset, praemia tribueret.

In liberis civitatibus *principes* rei publicae praeerant, quos Tacitus interdum etiam *proceres* aut *primores* appellat: cf. c. 10, 16. 46, 3. Ann. I 55. II 15. II 19. II 62. Hist. IV. 14. hi principes igitur summi magistratus erant, qui omnes res, quae ad rem publicam pertinebant, moderabantur. neque unus erat totius civitatis princeps, sed cuivis vico, cuivis

pago, atque universae civitati singuli praeerant, qui modo suas quisque res curabant, modo coniuncti communibus civitatis rationibus consulebant. quamquam principes saepe ex nobilibus eligebantur, quia hi genere, opibus, auctoritate insignes erant, minime tamen ius nobilitatis erat principum locum obtinere, sed cuivis ex ingenuis licebat principem fieri. creabantur quotannis in conciliis, ut tradit Tacitus c. 12, 10. *eliguuntur in eisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt.* c. 22, 9. *et de asciscendis principibus — in conviviis consultant.* principum munus erat *iura per pagos vicosque reddere*, cf. c. 12., et publicas res administrare, cf. c. 11. in iure dicundo centeni principibus ex plebe aderant comites, cf. c. 12., qui, quid iuris esset, constituebant, diversi illi ab iis, qui comitatum efficiebant. ubi pro universo populo sacra fiebant aut praesagia equorum explorabantur, princeps civitatis vel rex cum sacerdote equos comitabatur, quorum hinnitu deorum voluntas cognosceretur; cf. c. 10. civitatum principes munera ab singulis ingenuis accipiebant pro cuiusque opibus vel armenta vel fruges, quae tum pro honore essent, tum necessitatibus eorum subvenirent; cf. c. 15. denique principibus civitatis ius erat comitatum habendi; cf. c. 13. 14. comitatus autem constabat tum ex nobilibus tum ex ingenuis, qui a principe rogati vel electi sponte eum sectabantur, parati eum tueri, pericula omnia pro eo subire, nusquam ab eo discedere, pro eius gloria et potentia pugnare, et, si princeps in acie cecidisset, pariter cum eo mortem obire; cf. c. 14. quo maior autem comitatus erat, et quo fortiores singuli comites, eo maior etiam principis gloria, potentia et dignitas; cf. c. 13.

Sacerdotum nullus erat ordo apud Germanos, qualis apud Gallos *druidum*, neque certa erant genera, ex quibus sacerdotes sumebantur, neque nobilitatis erat ius, ut sacerdotes inde crearentur. res sacras, quae ad universam civitatem pertinerent, civitatis sacerdos administrabat, cf. c. 10, 5.; quae privati erant generis, in iis pater familias ipse sacerdotis munere fungebatur. in re militari solis sacerdotibus ius puniendi erat, cf. c. 7, 5. eorundem in conciliis erat silentium imperare, adeoque singulos,

qui insolentius se gererent, coercere; cf. c. 11, 11. in auspiciis observandis sacerdos civitatis sacros equos comitabatur, cf. c. 10, 14. omnino autem sacerdotibus commissa erat cura religionum quae apud singulas gentes obtinebant; cf. c. 40, 9. *est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum veste contectum. attingere uni sacerdoti concessum.* c. 43, 14. *apud Nahanarvalos antiquae religionis lucus ostenditur. praesidet sacerdos muliebri ornatu.*

Gentem aliquam universam, cuius singulae partes in unum aliquod corpus coibant, Tacitus semper *civitatis* vocabulo designat; cf. c. 8, 5. *animi civitatum.* 10, 5. *sacerdos civitatis.* 14. *sacerdos ac rex vel princeps civitatis.* 12, 8. *pars multae regi vel civitati exsolvitur.* 13, 15. *nce solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est.* 15, 7. *mos est civitatibus.* 19, 10. *melius quidem adhuc eae civitates.* 30, 2. *ut ceterae civitates, in quas Germania patescit.* 41, 3. *hermundurorum civitas fida Romanis.* — civitates rursus constabant *pagis* i. e. compluribus terrae partibus, quae inter se quidem discretae tamen cum universa civitate arte coniunctae erant. pagorum hoc erat proprium, ut centeni ingenui incolae eos componerent, quam coniunctionem veteres Germani *hundari* vocant. quippe non alii, nisi qui agros possiderent, pagum efficiebant; quibus non contigisset, ut tantas opes haberent, velut pauperes ex ingenuis, libertini et servi, quasi extra civitatem erant, neque centenis illis annumerabantur. singuli *vici* pagum non efficiebant; sed quin plures vici in uno pago fuerint, dubitari non potest; cf. c. 6, 16. *centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter suos vocantur, et quod primo numerus fuit, iam nomen et honor est.*

Centenis, qui soli in civitate valebant, solis quoque in *concilia* convenire licebat, quae tum maiora civitatis, tum minora pagorum erant. haec bis in mense habebantur; cf. c. 11, 3. *coëunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, quum aut inchoatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt.* in conciliis sum-

ma populi vis erat; leges ibi a congregatis dabantur, ac iudicia habebantur.

Taciti de Germania libellum aeque atque ceteros libros quos de rebus Romanorum conscripsit, etsi aequales magni aestimaverunt, tamen posteri non ita multum lectitaverunt; nemo umquam grammaticorum, nemo rhetorum latinorum Taciti mentionem fecit, ut per mediam aetatem paene emortua videretur eius memoria, donec anno fere 1470 Spirae editi sunt aliquot Annalium libri cum Historiis, Dialogo, Germania.

Germaniae libros manuscriptos omnes ex eo apographo derivatos esse demonstravit Augustus Reifferscheid (in Symb. Bonnens. pg. 623 sq.), quod Henoch Asculanus in monasterio aut Corbeiensi aut Fuldensi confecit. „codex quo usus est ille, vestutate ita consumptus fuit, ut plurimis locis de vera lectione dubitaret. proxime ad id apographum accessit liber nunc item deperditus: cuius iactura compensatur duobus codicibus inde transcriptis, Vaticano 1862 (B) et Perizoniano Leidae adservato (b). quorum prior ut accuratissime scriptus summae auctoritatis debet esse, hic scripturam praebet a Ioviano Pontano ex arbitrio suo correctam: accedit quod idem liber iterum postea interpolatus est, ut accurate diversae manus in eo conspicuae discernendae sint.“ ex reliquis libris, qui quidem non eiusdem originis sunt, cuius Bb, sed ad aliud exemplum ex Henochi apographo descriptum referendi sunt, seligendi sunt Vaticanus 1518 (C), Neapolitanus (c), Stuttgardiensis (S). apparatum criticum diligentissime collectum Carolus Muellenhoff (Germania antiqua, Berol. 1873) proposuit; nonnulla post hunc accesserunt, cum C. Meiser et C. du Rieu Leidensem, A. Holder Stuttgardiensem, L. Urlichs Vaticanum 1862 iterum contulissent. ex horum igitur copiis pendent quae infra notavimus.

CORNELII TACITI DE ORIGINE ET SITU GERMANORUM LIBER INCIPIT B, CORNELII. TACITI. DE ORIGINE. SITU. MORIBUS. AC POPULIS. GERMANORUM LIBER. INCIPIT b, C. Cornelii Taciti de origine et situ germanorum C, C. CORNELII TACITI DE ORIGINE ET SITU GERMANIE LIBER INCIPIT c, Cornelii TACITI DE ORIGINE SITU et MORIBUS GERMANORUM

feliciter incipit S. *Aug. Reifferscheid in symb. Bonnens. pg. 625 titulum genuinum* esse putavit DE SITU GERMANIAE, *Ed. Wölfflin* in Hermae vol. XI p. 126 sq. DE SITU AC POPULIS GERMANIAE.

c. I, 1. Raetisque *Cellarius*, Retiisque *B*, rhetiisque *b*. 2. Danuvium *scribendum esse et monumenta antiquissima (Fleckeisen funfzig artikel) et origo vocabuli (Glück, Zeuss-Ebel* al.) *docent; cod. plerique* Danubius, ut c. 29, 15. 41, 3. 42, 5. 1, 8. in *supra versum b.* 10. Abnobae *Hermolaus Barbarus et Rhenanus*, Arnobe *B*, Arnobe *S* (*fuit* Avnobae, *ut c.* 2. Trisco *pro* Tvisco, *c.* 33. Chamaros *pro* Chamavos, Angviarios *pro* Angrivarios, 40. veusdigni *pro* Reudigni).

c. 2, 8. nisi si *B*, nisi *b*. 10. Tuisconem *S cum quattuor aliis, Bb* Tuistonem *ex* Tristonem, *B in margine* Tui *correxit, non habet* Tuisman. 11. et *cod. nonnulli at BbS cum aliis* ei; *inde Urlichs in musei Rhen. vol. XXXI p. 509 proposuit:* 'editum, originem gentis conditorisque. ei filium Mannum, Manno tres filios assignant.' *haud scio an recte, nam* conditorisque *omnes codices praebent.* 15. Suebos *scribendum esse, etsi Germaniae codices ad unum omnes* Suevos *habent, docuit Muellenhoff in Hauptii diurnis* IX 257. 18. ac *BS cum ceteris, solus b* ut, *quod recepit Nipperdey* 19. non *omnes cod.*, in *post Broterium et Gutmannum Halm, Nipperdey alii.*

c. 3, 3. barditum *cod. et ed. paene omnes*, baritum *Nipperdey.* 6. vocis ille — videtur *S et Rhenanus, Haupt, Muellenhoff, Nipperdey, ceteri* voces illae — videntur. 9. Ulixem *nos; Haupt, Muellenhoff, Nipperdey cum plerisque* Ulixen. *cf. Bergk ad Mon. Ancyr. p. 51. 123, sq.* nominatumque; aram — *signum lacunae posuit Haupt, Muellenhoff.*

c. 4, 1. opinionibus *codices*, opinioni *C. Meiser, Halm, Nipperdey, Gantrelle.* 2. aliis *cod., delet Lipsius, Halm, Nipperdey.* 8. assuerunt *Bb, Muellenhoff, Halm, Nipperdey, cod. et ed. plerique* assueverunt.

c. 5, 1. aliquanto *omnes cod. et ed., Halm coniecit* aliquantum. 18. affectatione *Bb cum aliis nonnullis cod., ceteri et editiones paene omnes* affectione. c. 6, 7. immensum *Bb, ceteri* in immensum. 12. dextros *cod., Ad. Michaelis* dextros vel sinistros *coniecit ediditque Nipperdey, Draeger* versos. 17. quod *S. aliique*, quidem *Bb.* c. 7, 2. et duces *plerique cod., Bb* etiam. 10. et propinquitates *plerique*, aut proq. *Bb.* 12. audiant, *cod.* audiri, *Madvig* audiunt, *Wölfflin* audias, auditur *Nipperdey.* 14 aut exigere *BbS*, et exigere *ceteri cod. cum ed. plerisque.*

c. 8, 6. nobiles *cod omnes, solius b corrector* nubiles, quod Haupt Muellenhoff, alii probaverunt. 9. Albrunam *W. Wackernagel emendavit assentiente Muellenhoffio, nec refragantur optimorum codicum vestigia: B*, Auriniam, *corr.* Albriniam. 9, 2. Martem et Herculem — placant *Haupt et Muellenhoff; scriptor archetypi omissum Herculis nomen in margine adscripserat. inde qui eum codicem scripsit ex quo Bb deducti*

sunt, omissum nomen cum particula copulativa adiecit: — placant et Herculem. *at alius librarius Herculis nomen ex margine susceptum anteposuit:* Herculem ac Martem. *neuter locum recte elegit; magis etiam illi editores erraverunt, qui* Herculem *plane eiecerunt.* 10, 5. consuletur *cod. omnes*, *Muellenhoff;* consulatur *Rhenanus*, consultetur *Halm*, *Nipperdey.* 16. apud plebem, apud proceres, etiam apud sacerdotes *nos*, sed apud sacerdotes *Gantrelle*, *BbS aliique omittunt* etiam, *pauci* plebem, sed *probantibus Hauptio Muellenhoffio Halmio.* 17. illos *cod. plerique*, *Bb* istos. 19. exploratur *Bb*, explorant *ceteri, hoc Nipperdey, illud Haupt Muellenhoff Halm receperunt.*

c. 11, 3. pertractentur *cod. plerique*, *Nipperdey cum deterioribus* praetractentur. 10. turbae *cod. omnes*, turba *I. Fr. Gronovius eumque sequuntur editores praeter Kritzium et Gantrelle fere omnes.* c. 12, 7. poena *Acidalius; cod. omnes* poenarum. 9. vindicatur b^2S *cum plerisque, soli B et* b^1 vindicavit. c. 13, 4. propinqui *BbS*, *deteriores* propinquus. 8. dignitatem *Bb Halm*, *Gantrelle*, dignationem *ceteri codices*, *Haupt*, *Muellenhoff*, *Nipperdey.* 8. ceteri *post Lipsium Haupt et Muellenhoff;* ceteris *cod.*, *Kritz*, *Halm*, *Gantrelle; Nipperdey* ceteris — aggregantur *uncis inclusit.*

c. 14, 11. tuentur *Bb*, *Haupt*, *Muellenhoff*, *Halm*, tueare *ceteri cod.*, *Nipperdey*, *Gantrelle.* 11. principis sui liberalitate illum — illam *codices omnes; Acidalius* a principis *probante Halmio; Madvig* liberalitates, ille — ille. c. 15, 1. non multum *codices*, *Lipsius* multum *persuasitque Kritzio.* 10. et publice *cod. plerique*, publice *cum paucis Haupt*, *Nipperdey* 11. magna arma *cod.*, insignia arma *Koechly coniecit, recepit Nipperdey.* c. 16, 10. colorum *cod.*, *Muellenhoff*, *Halm*, locorum *Nipperdey*, *Haupt.* 12. hiemi *cod.*, *Reifferscheid* hiemis, *quod recepit Muellenhoff*, *Halm*, *improbaverunt Nipperdey*, *Gantrelle.* 13. locis *cod.*, *Haupt*, *Muellenhoff*, loci *Acidalius*, *Halm*, *Nipperdey*, *Gantrelle.* c. 17, 5. gerunt *plerique praeter Bb, qui habent* ferunt. c. 18, 4. plurimis *cod. omnes*, *Haupt*, *Muellenhoff*, *Gantrelle; Halm coniecit* pluribus *eumque secutus est Nipperdey.* 6. ac munera probant, munera *cod. omnes*, *Muellenhoff: non nimiam esse brevitatem Taciti optime docuit Carolus Halm (controverse stellen der Germania pg.* 12 *sq.);* ac munera *delent Lachmann*, *Haupt; Bernhardy*, *Haase*, *Halm*, *Nipperdey alterutrum* munera *omittendum censent.* 10. rursusque Bb, *deteriores* rursus quae. c. 19, 5. accisis *Bb*, *S cum paucis* abscisis *prob. Haupt*, *Muellenhoff*, *Halm*, *Nipperdey.* 7. publicatae enim vero *Madvig*, *cod.* enim, *quod Lipsius in* etiam *mutavit*, *Nipperdey delevit.* 15. agnatis *cod.*, *post Lipsium Nipperdey* natis. c. 20, 3. aut *Bb*, ac *cum deterioribus Nipperdey.* 12. et animum *pauci ex cod. deterioribus*, *editiones fere omnes; BbS* et in *vel* etiam, *quod Alfredus Holder in ed. Holtzmanni*

recepit. 15. quo maior *b. corr. et Farnesianus (Muell. c.)*, *plerique* tanto, *unus Vat. corr.* quanto, *quod Halmio auctore receperunt Holder, Nipperdey, Gantrelle.*

c. 21, 6. alia *plerique cod.*, aliqua *Bb.* 12. poposcerit *S b corr. alii*, *B* poposcerunt. 15. victus — communis *Selling, Christ. codicum* victus inter hospites comis *alii aliter correxerunt velut Lachmann*: vinclum inter hospites comitas, *quod recipiunt Haupt, Muellenhoff, Halm, Gantrelle; alii transposuerunt, velut Thiersch post verba* (10) accipiuntur, *Nipperdey inclusit.* c. 22, 7. sed et *Bb.* 15. deliberant — possunt *uncis inclusit Nipperdey.* 25, 1. descriptis *codices omnes, Reifferscheid* discriptis, *quod recepit Muellenhoff, Halm, Gantrelle.* 8—13. *in Bb transposita sunt in fine cap. 26. post* ignorantur. c. 26, 1. faenus — esset *Nipperdey seclusit.* 3. in vicis *G. Waitz, Nipperdey* in vicos (*i. q.* vicatim) *Kritz et Gantrelle* vicis; in vices *BS alii probantibus Haupt, Muellenhoff, Halm.* 5. praestant *BS Nipperdey, deteriores* praebent, *quod probant Haupt, Muellenhoff, Halm.* 8. aut *Nipperdey Gantrelle ex cod. BbS* ut, et *ceteri.* c. 27, 1. observatur *BS*, observant *b Haupt.* 11. quae *codices*, quaeque *Halm.* e Galiis in Germaniam *adiecit Nipperdey*, *alii verba* quae — commigraverint *eicienda censent.*

c. 28, 2. auctor *Bb S corr.*, *ceteri* auctorum *prob. Nipperdey.* 8. Boihaemi *Haupt, Muellenhoff; codicum* Boihemi *retinuit Nipperdey.* 9. significatque *AS Muellenhoff, ceterique*, signatque *ex b paucisque aliis receperunt Haupt et Kritz.* 10. Germanorum natione *incluserunt Passow, Halm, Nipperdey.* 14. Treveri *codices cum plerisque ed. conferantur quae in diurnis gymn. Berol. XXXI pg. 32 disseruimus*, Treviri *Nipperdey.* Nervii *Rhenanus, cod.* Neruli. 18. ne Ubii *Grater*, *cod.* Nubii. c. 29, 6. collationibus *codices fere omnes, etiam B, v. Urlichs in musei Rh. v. XXXI pg. 510.*

c. 30, 1—3. *secuti sumus in his constituendis L. Urlichs l. l.* incohatur *B*, durant *codices omnes*, durans *unus b corr.*, *quod Halmius recepit.* 11. Romanae disciplinae *BbS*, *deteriores* ratione disciplinae, *quod recepit Baumstark.* 16. ceteris velocitas *probabiliter Eussner in diurnis gymn. berol. XXXI pg. 491.* c. 31, 9. plurimis *cod.*, *quod corruptum censet Nipperdey.* 13. vultu *Bb*, *ceteri* cultu, *quod recepit Nipperdey, prob. Waitz.* c. 33, 2. Chamavos Angrivarios *BS corr.*, *b prim. m. n pro* v. 9. urgentibus *scripsimus cum edit. paene omnibus, codicum Bb* urgentibus iam *ceteri* in urgentibus, *quod Kritzius receperat.* 34, 1. Dulgubnii *I. Grimm, B cum nonnullis* Dulgibini. 2. Chasuarii *S*, 9. magnificum *S alii.* c. 35, si res poscat, ad exercitus plurimum virorum *ego scripsi, cod. om.* ad; *Walchio auctore Nipperdey inclusit* exercitus, plurimum enim *Reifferscheid proposuit.* c. 36, 4 s. nomina superioris *post Beroaldum ed. fere omnes; sed cum codices*

habeant nomine, *Holtzmann emendavit:* minime potentiores; *facilior emandatio erat:* minime superiores. 7. tracti *S corr.* T acti *cum spatio unius litterae B.* 7. Fosi *S et b corr.* c. 37, 7. et *Bb, delendum censet Halm,* ac *cum cod. deterioribus Haupt, Muellenhoff, Nipperdey.* 16. Gnaeoque *Halm, Muellenhoff,* Cn. quoque *Haupt, Nipperdey.* Mallio, *cod.* Manlio; *conf. adn. ad h. l.* 23. rursus inde pulsi *b,* rursus pulsi inde *B, Nipperdey* inde *omisit.*

c. 38, 10. retorquent *Madvig, Bb* retro sequntur. *hinc alii alia:* retrosum agunt *Haupt,* recurvant *Lachmann,* retorquere suetum *Halm.* 10. in ipso vertice *Bb, Halm;* solo *addiderunt codices deteriores. Haupt et Muellenhoff cum Lachmanno* in ipso solo vertici, in ipso solo cortice *Nipperdey.* religatur *Bb Haupt, Muellenhoff, Halm;* religant *S cum paucis, probavit Nipperdey.* innoxia *emendavit Muretus, codicum* innoxiae *retinuit Kritz, Baumstark.* 13. comptius *auctore Lachmanno, Haupt, Muellenhoff, Schweizer-Sidler, Gantrelle.* compti ut *codices, Halm,* compti sunt: *Maehly.* 40, 1. Langobardos *ed. paene omnes, B* Largobardos, *Scorr.* Langobardos, *cod. cet.* Longobardos. 4. Suardones S *cum paucis.* Nuithones *BS.* 6. Nerthum *b corr. S.* 14. tunc tantum nota, tunc tantum amata *B, Muellenhoff, Gantrelle; inverso ordine cum Lachmanno Haupt,* tantum tum *bis Nipperdey;* inmota *Freudenbergio auctore Halm, Schweizer-Sidler.* 41, 1. Sueborum *Rhenanus, codices* verborum. 42, 1. Varisti *Muellenhoff, cod.* Naristi 5. peragitur *codices, Tagmanno auctore* praecingitur *Haupt, Muellenhoff, Halm, Nipperdey.* 6. mansere *BbS.* 43, 1. Cotini *Muellenhoff.* 8. iugumque *delet Acidalio auctore Nipperdey.* 10. Lygiorum *B corr.* 12. Helvaeonas *Muellenhoff.* Helisios *S,* Halisios *B corr. teste Urlichsio.* 23. Gotones *sic Mediceus Annalium II 62,* Gothones *BbS.* 44, 1. ipso *S cum paucis,* ipsae *b,* ipse *B.* 4. ministrant *Lipsius, cod.* ministrantur. 10. otiosae *Coler correxit, receperunt Haupt, Muellenhoff, Halm, Nipperdey,* 45, 5. equorum *cod. Urb. corr. Muellenhoff, Halm, Nipperdey,* deorum *cod. fere omnes et editiones superiores.* 8. alluuntur *S aliique,* abluuntur *Bb.* 10. hominumque *Urlichs cod.* omniumque, omnique *cod. Turicensis.* 24. sudant *Bb; ceteri cod. editionesque fere* sudantur. quia sucina *auctore Conr. Hofmanno Halm,* quibus sucina *Nipperdey,* quae vicini *codices.* 29. gens continuatur *B et b corr.* 46, 1. Venedorum *et* 6. Venedi *cf. diurn. gymn.* l. l. pg. 32 sq. *ceterum totum hunc locum recte Urlichs emendavit* l. l. *codices* sordes — procerum *habent post* agunt. 9. pedum *correxit Lipsius, cod.* pecundum. 13. opes *C. Meiser,* spes *codices.* 21. difficillimam *S aliique,* difficilem *Bb.* 24. in medio *Halm, Nipperdey;* in medium *codices ut videtur omnes.*

CORNELII TACITI

DE SITU AC POPULIS

GERMANIAE

LIBER.

BREVIARIUM.

Pars generalis.

De situ et moribus. [c. 1—27.]

I. Terra ipsa cum suis incolis.

1. Germaniae fines. Rhenus, Danuvius, montes, Oceanus.

2. Germani ipsi indigenae putandi, tum ob terrae naturam, tum antiquis carminibus de diis patriis eam rem comprobantibus. — Germaniae nomen unde ortum sit.

3. Carminibus etiam Hercules celebratur. — Bellicosus cantus barditus. — Graecorum fabulae exiguae fidei.

4. Germani gens propria et sincera. Eorum habitus corporum ac natura.

5. Terrae ingenium et proventus. — Metallorum penuria et despectus. — Pecuniae romanae aliqua notitia.

II. Mores Germanorum institutaque publica.

6. Ferrum rarum. — Arma, in iisque framea. — Equitatus ratio. — Centeni dimachae. — Acies per cuneos composita. — Pugnandi usus; ignaviae ignominia.

7. Potestas regum, ducum, sacerdotum. — Propinquitates coniunctae pugnant, feminis prope astantibus et saucios iuvantibus.

8. Feminarum intrepidus in pugnis animus. Earum sanctitas et vaticinatio.

9. Religio et sacra. Nullae deorum imagines, nulla templa.

10. Sortium consuetudo et modus. — Auspicia ex avium volatu, ex equorum hinnitu, ex pugna singulari.

11. Consultationes tum principum, tum plebis. — Earum tempus, — cuius parum accurata est observatio. — Sacerdotum ac principum in conciliis auctoritas.

12. Iurisdictio; delictorum variae poenae aut multae.

13. Armorum, quae semper gestant, sumendorum mos. — Principum comites. — Magna comitatus vis et dignitas.

14. Comitum officia in principem. — Principum belli studium. — Praemia et commoda comitibus a principe ex bello praebita. Arma atque bellum agriculturae praelata.

15. In pace venatui et otio dediti sunt. — Principibus et a civitate collationes et a finitimis dona offeruntur.

III. Vita Germanorum privata ac domestica.

16. Nullae Germanis urbes, sed discretae singulis sedes, domus ligneae, vel specus subterranei.

17. Vestimenta tenuia corpus vix tegunt. Multi pelles gerunt, feminae plerumque lineos amictus, et ipsae aliquantum nudae.

18. Severa matrimonia. Dote a marito uxori oblata contrahuntur. Uxor firmis vinculis omnis fortunae socia viro coniungitur.

19. Mulieres castae et pudicae. Adulteria paucissima. Impudicitiae graves poenae. Alterae nuptiae rarae. Liberi non necantur.

20. Educatio liberorum simplex nec delicata aut fastidiosa. Iuvenum virginumque nubentium robusta aetas. Sororum filii in honore. Testamenta nulla.

21. Inimicitiae familiarum suscipiuntur. Homicidium luitur. Hospitalitas longe maxima.

22. Vitae quotidianae ratio. — Convivia et compotationes valde amatae, ac saepe turbulentae. — Aperte inter pocula consultant, sobrii constituunt.

23. Potus cerevisia. Cibi simplices. Ebrietati dediti.

24. Ludo gaudent saltatione inter gladios. Aleae supra modum dediti.

25. Servorum condicio admodum aequa. Libertorum nullum momentum in domo.

26. Fenus non exercetur. — Agriculturae singularis admodum, neque ea valde studiosa ratio. — Autumnus nullus.

27. Funerum simplex cura. Sepulcra ex caespite. Luctus modicus.

Pars specialis.

De populis. [c. 28—46.]

IV. Gentes quaedam in Germaniam transgressae vel Germaniae finibus egressae.

28. Gallicae gentes *Helvetii* inter Hercyniam silvam et Moenum, *Boii* in Boihaemo. — *Osi* et *Aravisci* unde venerint, dubium. — *Treveri* et *Nervii* Germani videri volunt. — *Vangiones*, *Triboci*, *Nemetes* in sinistra ripa haud dubie Germani sunt. — *Ubii*, iam Agrippinenses, olim Germani fuerunt.

29. *Batavi*, a Chattis digressi, virtute conspicui, Romanis fidi, eoque tributis exempti. — Eodem animo et eadem condicione sunt *Mattiaci*, in dextra ripa siti. — Qui decumates agros tenent, Gallicae sunt originis.

V. Gentes Suebis non adnumerandae.

30. *Chatti* tum in Hercynia silva tum in plano habitant, gens dura, bellique imprimis sciens, cuius in pedite robur.

31. Crinibus submissis ac terribili habitu ad hostium caedem se devovent, usque ad senectutem truces.

32. Chattos excipiunt *Usipi* et *Tencteri*, quorum hi equitatu praecellunt.

33. *Bructeri*, olim potentes, excisi, in eorumque sedes *Chamavi* et *Angrivarii* immigrarunt. — Interponitur optatum durantis discordiae Germanorum.

34. *Dulgubnii. Chasuarii.* — *Frisii maiores minoresque* inter Rhenum et lacus usque ad Oceanum, olim a Druso Germanico tentatum, ubi Herculis columnae esse dicuntur.

35. Ad septentrionales gentes pertinent *Chauci*, populus magnus et iustitia clarus.

36. *Cherusci* nimio pacis amore a Chattis fracti. — Idem accidit *Fosis*.

37. *Cimbri* ad Oceanum, vetere fama clari. — Brevis interponitur notitia quum de Cimbrorum tum de ceterorum Germanorum bellis cum Romanis.

VI. Sueborum nationes.

38. *Suebi* pluribus nationibus constant. — Proprium omnium obliquare crinem nodoque substringere.

39. Vetustissimi et totius gentis caput sunt *Semnones*, luci sacri religione clari, unde initia gentis esse creduntur.

40. *Langobardi* pauci sed fortes. — *Reudigni*, *Aviones*, *Anglii*, *Varini*, *Eudoses*, *Suardones*, *Nuithones* in commune Nerthum colunt. Eius deae cultus in insula Oceani. Dum adest populis, pax communis agitatur.

41. Ad Suebos in meridiana parte Germaniae pertinent *Hermunduri*, cultiores et Romanis fidi.

42. Hos excipiunt *Varisti*, *Marcomani*, *Quadi*. Hi duo regibus parent, Romana auctoritate adiutis.

43. A tergo Marcomanorum sunt *Marsigni*, *Cotini*, *Osi*, *Burii*, ex quibus Cotini Gallicae, Osi Pannonicae originis videntur. — Ultra continuum montium iugum, quod Suebiam dirimit, agunt *Lygii*, *Harii*, *Helvaeones*, *Manimi*, *Helisii*, *Nahanarvali*. Apud Nahanarvalos sacrum nemus, Castori et Polluci dicatum. — Harii supra modum feri atque truces. — *Gotones* sub regibus sunt. — Oceanum accolunt *Rugii* et *Lemovii*.

44. *Suionum* civitates in Oceano classibus valent, navibus peculiari forma utentes. Clausa illis arma et grave regis imperium.

45. Trans Suionas mare pigrum et finis naturae. — In dextro Suebici maris litore *Aestiorum* sunt gentes, matris deorum cultores, apud quos sucinum nascitur. — Eius natura. — *Sitones* feminae parent.

VII. Nationes quaedam Sarmatarum quam Germanorum similiores.

46. *Peucini*, *Venedi*, *Fenni* Sarmatis aliqua ex parte similes, quamquam alia iis Germanica sunt. — Fenni summa feritate et paupertate. — Fabulosae nationes *Hellusii* et *Oxiones*.

GERMANIA.

I. Germania omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis Rheno et Danuvio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur: cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibus-

I. 1. *omnis*] i. e. in unum comprehensa, nulla singularum partium ratione habita; vernacula: *in seiner Gesammtheit.* Ita scripsit T. Caesaris memor b. g. I 1 *Gallia est omnis divisa in partes tres.* quo iure ille commentarios suos ita incohavit, eodem T. hunc libellum. errant igitur qui Germaniam quod exordio careret, Historiarum partem esse dixerunt, quam opinionem male Holtzmann G. Alt. pg. 20 defendit.

mutuo metu] i. e. fama fortitudinis ab alteris ad alteros perlata, qua moventur, ne invicem se petant. *Metus* enim, non confundendus cum *timore,* consilii potius et cautionis est.

montibus] sc. Carpaticis. Ceterum chorographia Agrippae 8. et Plinius n. h. IV 81 etiam Vistula flumine finiri Germaniam dicunt.

3. *latos sinus*] *Sinus* h. l. non de mari dicitur introrsum in terram recedente, sed de curvatis terrae litoribus longe in mare procurrentibus. Intelligitur Chersonesus Cimbrica; cf. c. 37, 1. *Eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent.* Qui h. l. *sinus,* infra dicitur *flexus*, c. 35, 2. *In septentrionem ingenti flexu redit (Germania).* Similiter c. 29, 17. *sinus imperii* dicitur de ea imperii romani parte, quae ultra limites in Germaniam procurrit.

insularum immensa spatia] Insulas Tacitus significat quum regni Danici, tum eo nomine comprehendit Suionum (c. 44, 1.) et Sitonum (c. 45, 29.) terras, i. e. Norwegiam et Sueciam.

nuper cognitis — regibus] Respicit Tacitus ad expeditiones a Druso potissimum a. 12.—9. a. Chr. susceptas, quas etiam c. 34, 10. commemorat. *Nuper* igitur, quod, quum generaliter remotae antiquitati opponatur, valde mobilem fluentemque significatum habet, h. l. fere centum annorum spatium complectitur; cf. c. 2, 17. Cic. n. d. II 126. quid ea quae nuper, id est paucis ante sae-

dam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, 5
Raeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus, modico flexu, in occidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Danuvius, molli et clementer edito montis Abnobae iugo effusus, pluris populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat; septimum os paludibus hauritur. 10

II. Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque

culis reperta sunt? Vernaculâ est *neuerdings*. — Ablativi *cogn.—reg.* non possunt temporis potestate ad verba *sinus — complectens* referri, sed quodammodo sunt attributivi, quibus *sinus et ins. spatia* definiuntur in hunc modum: *quoniam nuper quaedam gentes ac reges cogniti sunt.* Germanice possis dicere *nach der neuerdings erlangten kenntnis von —*

bellum aperuit] i. e. ad quos bello aditus paratus est; cf. Agric. 22. in. *Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit.* Ceterum *bellum* non intelligendum est cum his ipsis insularum regibus gestum, sed cum propinquis in continenti nationibus.

2. *inaccesso*] i. e. ad quem accedi non potest. Ita saepe *invictus*, *incorruptus* al. Videtur autem Strabonem sequi IV, p. 192 (cf. Ptol. II 9, 5): inde apparet verticem esse Adulae m. et significari Rh. posteriorem, Hinterrhein. Errare apud Caesarem b. g. IV 10. *Rhenus autem oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, et . . . per fines Nantuatium . . . fertur* vel ipsum scriptorem vel librarios coarguunt Lepontii (Plin. n. h. III 135) atque Nantuates (Caes. b. g. III 1. 6).

versus] Participium est, non praepositio; cf. Hist. II 83. *Versum in Italiam mare.* I 76. *Omnes versae in orientem provinciae.* — Copulativae *et* particulae inter *ortus — versus* participia locus non est, propterea quod illud vim habet enuntiati adiectivi, hoc temporalis. — *Flexus* non est superioris Rheni in Helvetiis, sed inferioris in Belgis.

4. *molli*] i. e. ad quem facili negotio acceditur. Caes. b. g. V 9 *in litore molli atque aperto.* b. c. II 10. *molli fastigio coniungunt.* Verg. ecl. IX 7 *qua se subducere colles incipiunt mollique iugum demittere clivo.* Curt. VIII 11 *Petra non, ut pleraeque, modicis ac mollibus clivis in sublime fastigium crescit.* Quintil. inst. or. XII 10, 78 *scandenti circa ima labor est, ceterum quantum processeris, mollior clivus ac laetius solum.*

clementer] Adiectivum pariter atque adverbium, a moribus hominum ad res et loca translatum, usurpatur de omnibus, quae in suo genere *modica* sunt; *iugum clementer editum* est, quod leniter et paulatim assurgit; cf. Ann. XIII 38. *Colles clementer assurgentes.* Hist. III 52. *Si qua Appennini iuga clementius adirentur.*

Abnobae] Ita scribendum esse cum Plinio n. h. IV 79. demonstravit inscriptio in ipsa Nigra silva reperta (Orelli Inscr. Lat. Vol. I. p. 351. No. 1986.): cf. Avieni v. 437. *Abnoba mons Istro pater est, cadit Abnobae hiatu Flumen;* nec discrepat Ptolem. II 11, 7.

donec — erumpat] *donec* apud Tac. saepius cum coniunctivo construitur: c. 20. 31 bis, 35. 40; cum indic. c. 37. 45. cf. Dräger Tac. Synt. § 169.

paludibus hauritur] i. e. desinit in paludibus (Germ. *ist versumpft*).

II. 1. *Ipsos Germanos*] *Ipse* pro-

aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos, quia nec terra olim sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quaerebant, et immensus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus raris
5 ab orbe nostro navibus aditur. quis porro praeter periculum horridi et ignoti maris Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit?

Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos

nomen hanc habet vim, ut *incolae* opponantur *terrae*, de qua in superioribus dictum: cf. Agric. 13.

indigenas crediderim] Non pro certo affirmare Tacitum indigenas fuisse Germanos, ipse prodit verbi modus *crediderim;* neque argumenta, quibus utitur, aliquam probandi vim habent: nam quin ex Asia olim profecti immigraverint dubium non est propter linguae mythorumque cum gentibus Asiaticis cognationem.

advehebantur] cf. Agric. 11, indigenae an advecti. Ann. XII 63, priores illuc advecti.

adventibus et hospitiis] *Adventus* sunt peregrinorum ex remotis terris immigrantium, *hospitia* proximorum et confinium.

immensus ultra etc.] *Ultra* particula, qua termini transgressio significatur, h. l. adverbii vi *magnam longinquitatem* indicat, quae multum supra notos terminos porrigitur. Vernaculâ vertas: der *weithin* unermessene Ocean. Quam *longinquitatis* notionem ut augeat auctor, addit *adversus,* i. e. *ex adverso situs,* plane *in adversa et contraria orbis nostri parte situs;* idque ipsum quum aliquid insoliti habeat, sententiam quodammodo mitigat verbis *utque sic dixerim*, cf. Agric. 3. *pauci et, uti dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus.*

ad orbe nostro] Germ. von unserem erdtheile. ita dicebant Romani terras sibi notas suoque imperio subiectas; cf. Agric. c. 12. *dierum spatia ultra nostri orbis mensuram.* Ann. II 2, petitum alio ex orbe regem.

5. *praeter periculum*] i. e. ne commemorem periculum, ut discedamus a periculo: infra c. 44, 1.

informem terris] *Informe* dicitur, quicquid cura atque opera hominum non elaboratum est, ac rudem naturae statum retinet; cf. 16. *materia — utuntur informi.* 45. *sucinum — informe perfertur.* h. l. maxime cogitandum de silvis horridis foedisque paludibus. (cf. 30.) — *Terrae* dictae pro *solo.*

tristem] *Tristis* pariter atque oppositum vocabulum *laetus* et de affectu animi ipso, et de re, quae illum affectum excitat, dicitur. Germanice h. l. est: *trübselig*, *elend*, *jämmerlich.* — *Cultus* h. l. complectitur omnia, quae homines sive agrum colendo, sive aedificando ad ipsam terram addunt. Quae quia in Germania exigua vel nulla erant, *cultu* in hac sententiae ratione fere idem est quod *incultu*, quemadmodum *fides*, sc. quae nulla est, interdum idem est atque *perfidia.* — Aperte Tacitus in hac Germaniae inopia describenda de Italiae felici natura egregioque cultu cogitavit.

nisi si] his solis locis apud Tac. reperitur: Ann. VI 25. XV 53. Agr. 32 et semper c. indicativo, ut sit idem quod: *nisi quod*, *ausser dass.*

memoriae et annalium genus est, Tuisconem deum terra edi- 10
tum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno
tris filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano
Ingaevones, medii Herminones, ceteri Istaevones vocentur.
quidam, ut in licentia vetustatis, pluris deo ortos plurisque
gentis appellationes, Marsos Gambrivios Suebos Vandilios 15
affirmant; eaque vera et antiqua nomina. ceterum Germaniae

10. *memoriae et annalium*] *Memoria* h. l. est subiectiva recordatio, quum mens redit ad antiqua tempora; *annales* sunt monumenta verbis composita, quibus illa recordatio adiuvatur, nos überlieferung und geschichte.

Tuisconem] ita scribendum esse docent codices quidam et etymologia. nomen enim referendum est ad voc. theotiscum *zuisk*, ut idem sit quod b i n u s vel *geminus*. *Mannus* autem, factum a. v. *man* (unde *manas*, *mens*, mensch cf. Fick Wb. III[3] 230). Cf. Livius Praef. 7, datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat; et si cui populo licere oportet consecrare origines suas et ad deos referre auctores, populus R. suum conditorisque sui parentem Martem potissimum fert.

Ingaevones cet.] Filiorum nomina quae fuerint, ex gentium nominibus facile colligitur: Ingvaeones quorum pars Cimbri Teutoni ac Chaucorum gentes (Plin. n. h. IV 28) oriundi sunt ab Ingos i. e. Freyr (Apollo); Herminones quorum pars Suebi Hermunduri Chatti Cherusci (Plin. l. l.) ab Airmans i. e. Tyr (Mars), Istvaeones proximi Rheno, ab Istos i. e. Wotan (Mercurius).

vocentur] Coniunctivo usus Tac. fidem famae de gentium nominibus a Manni filiis ductis ad auctores reiicit, ipse non praestat.

ut in licentia vetustatis] *Ut*, ubi causam designat, in fac to ipsaque rei natura positam, Germanice reddendum *wie natürlich;* cf. 22, 6. 39, 7. 43, 6. 45, 16. 46, 6. et v. ad c. 30, 5. Agric. 11. Hist. I 4. — *L i c e n t i a vestutatis* intelligitur ea, quae cernitur in *fingendis fabulis*, ubi certa rerum memoria ac fides nulla est.

14. *deo ortos*] i. e. *eius dei* (Manni) *filios esse*, non *a l i c u i u s dei*, nam vis sententiae inest in *pluris* voce.

Marsos] praeter Tac. ann. I. II. Strabo VII 1, 3, commemorat inter Lupiam et Ruram habitantes; *Gambrivios* ibidem Strabo cum Cheruscis Chattis, Chattuariis nominat, praeterea nemo; *Suebi* ad Albim habitabant; *Vandilii* magis ad orientem spectabant.

eaque — nomina] Tacitus h. l. pariter ac c. 45, 6. suum de rebus sibi narratis interponit iudicium; quare *sunt* supplendum, non *esse*.

16. *ceterum*] ref. ad *affirmant;* adversativa vis particulae (vid. Agric. 25.) h. l. in eo cernitur, quod singulis appellationibus universum totius gentis vocabulum opponitur.

nuper] v. ad c. 1, 4. Nomen autem Germanorum primum occurrit in fastis triumphalibus anni a. Chr. 222 (CIL. I. pg. 458), postea nemo eo utitur ante Caesarem in comment. belli gallici.

additum] sc. *esse affirmant*.

ac nunc Tungri] Supple *vocentur* (non *vocantur*), quae verbi forma ex sequenti praedicato huc trahenda est; cf. c. 36, 5. *Ita qui olim boni aequique Cherusci* (sc. vocati sunt),

vocabulum recens et nuper additum, quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint: ita nationis nomen, non gentis,
20 evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum,

nunc inertes et stulti vocantur. 41, 2. *Ut, quo modo paulo ante Rhenum* (sc. secutus sum), *sic nunc Danuvium sequar.* vid. Agr. 13. et Sall. Cat. 47. —

qui primi Rhenum transgressi etc.] Ad haec illustranda apprime faciunt, quae habet Caesar b. g. II 4. *Sic reperiebat, plerosque Belgas esse ortos ab Germanis, Rhenumque antiquitus traductos — Gallos, qui ea loca incolerent, expulisse.* ibid. §. 10. *Condrusos, Eburones, Caeroesos, Paemanos, qui uno nomine Germani appellantur, arbitrari ad XL milia.* Hi igitur sunt, quos Tacitus dicit nunc *Tungros* vocari, tum *Germanos* vocatos esse. Simul ex utroque scriptore patet, *Germanorum* vocabulum primo appellativum fuisse, non proprium, id quod confirmatur etiam voce *additum.* Nomen non esse germanicae sed celticae originis docuit C. Zeuss grammat. Celtica ed. 2. pg. 773: 'ut cum adi. *cian* = remotus bene quadrat nomen *Cenomani* (extremi Gallorum cisalpinorum ad orientem versus) ita nomen *Germani* cum voc. cambrico *ger* et hibernico vetere *gair* = vicinus quadrabit, ut Germani sint vicini Gallorum.'

nationis nomen, non gentis] natio h. l. partem significat, sive speciem generis, gens amplectitur universos, cf. Vell. II 98, *omnibus eius gentis nationibus in arma accensis;* et supra c. 2 *originem gentis.* 10 *proprium gentis.* sed idem aliis locis promiscue vel *gentem* vel *nationem* appellat. sententia est: quod nomen solis Tungris datum esset, hoc, non totius gentis nomen, firmatum esse et obtinuisse; non opus est igitur Broterii coniectura *in gentis.*

ut omnes etc.] *Ut* non refertur ad praegressum *ita* (quippe quod non valeat *adeo, tantopere*, sed simpliciter comprehendat ante dicta, de quo usu confer Agric. 10. 20. 28. 30), sed particulae ratio haec est ut epexegesin adiungat, qua modus *evalescendi* explicetur. Praegnanti sensu igitur est *eo quidem modo ut, ita quidem ut.* — *Omnes* sunt *ceterae nationes*, quae in dextra Rheni ripa sive in ipsa Germania erant. — *Victor* collectivo sensu dictum de illis nationibus, quae Rhenum transgressae Gallos expulerunt; *a victore* autem non est *secundum victorem* (nach d. sieger), cui interpretationi utique obstat oppositi membri structura, sed significat victorem ipsum usurpasse hoc nomen.

ob metum] i. e. (eadem ambiguitate, qua vernaculum *der furcht halber) metus* (Gallis) *faciendi causa.* cf. c. 5, 13. *Ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent.* Ann. I 20. *Manipuli Nauportum missi ob itinera et pontes et alios usus*, i. e. ad vias emuniendas, ad pontes faciendos, ad alias res necessarias exsequendas. Liv. I 33, 6. *Ob commoditatem itineris.* Sall. Iug. 89, 2. *Existumans Iugurtham ob suos tutandos in manus venturum.* ib. 102, 12. *Se ob regnum tutandum arma cepisse.* Cic. p. Mur. 1, 1. *Eadem precor ob eiusdem hominis consulatum una cum salute obtinendum.* Suet. Tib. 2. *Clodius ob expellendum urbe Ciceronem plebeio homini in adoptionem*

mox etiam a se ipsis invento nomine Germani vocarentur.

III. Fuisse apud eos et Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt. sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem barditum vocant, accendunt animos, futuraeque pugnae fortunam ipso cantu

se dedit. Alia affert Dräger hist. syntax I, 550. Totius igitur loci sententia haec est: Condrusi, Eburones, ceteri, *quo Gallos terrerent*, non se solos *Germaniam efficere* dicebant, omnesque *Germanos* esse, sed etiam ceteros, qui domi remansissent, ad eandem Germaniam pertinere. Quod quum magnam auctoritatem illis addidisset, ceteri omnes ipsi se Germanos appellavere. Hanc autem non suam sententiam esse Tacitus affirmavit, sed inanem quorundam opinionem.

mox] non est *brevi post*, sed indefinite *postea*, *deinde;* cf. 10. 26. 27. 29. 34. 37. 45. Agric. 11, Hist. I 67, Dial. 24.

invento nomine] i. e. quum nomen semel inventum esset (als so ein name gefunden war).

III. *Herculem*] cf. Ann. II 12, *Convenisse et alias nationes in silvam Herculi sacram;* apud Germanos ei nomen erat *Thor* vel *Donar.*

memorant] Non Germani ipsi, id quod patet tum ex re ipsa, tum ex pronomine demonstrativo, sed scriptores 'quidam illi,' velut Plinius alii.

primumque — canunt] Ad *primumque* supple *eum. Primum* autem non de ordine sed de gradu dictum valet *maximum, praecipuum.* Haec addit Tacitus, ut quodammodo confirmet illam famam de Hercule non esse falsam; cf. c. 34. *Superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit, sive adiit Hercules, seu, quicquid ubique magnificum est, in claritatem eius referre consensimus.* — Moris viros fortes canendi Tacitus ipse affert exemplum Arminii, liberatoris Germaniae. Ann. II 88. *Canituque adhuc barbaras apud gentes.* Cf. Tac. Hist. II 22 *cohortes Germanorum cantu truci et more patrio nudis corporibus.* ib. IV 18, *ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies.* Ammian. Marc. XXXI 7, 11. *ubi utrimque acies steterunt,* Romani voce undique Martia concinentes —; barbari vero maiorum laudes clamoribus stridebant inconditis.

3. *haec — carmina*] i. e. *talia, eiusmodi carmina*, quae quia multum diversa sunt a vulgaribus, in proximis describuntur.

quorum relatu] i. e. *quibus editis* sive *cantatis.*

barditum] Ita optimi codices; pauci *baritum.* Quid significet obscurum vocabulum, dici nequit; videtur factum esse a v. germ. bardhi = scutum, velut in his: *vordum and bordum hôfon herecombol* verbis et scutis sustulerunt signa exercitus. De cognatione aliqua cum Gallorum *bardis*, i. e. poetis carmina cantantibus (cf. Diodor. V 31, Strabo IV 4, 4. Ammian. XV 9.) cogitari nequit. Neque enim vatum ordo quidam apud Germanos erat, et sequentia prorsus obstant. Barditum describit Ammian. XVI 12, 43. — *Cornuti — barritum ciere vel maximum: qui clamor ipso fervore certaminum a tenui susurro exoriens paulatimque adulescens ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.*

ipso cantu] i. e. *ex solo sono, quo cantus perficitur*, quique modo ple-

5 augurantur. terrent enim trepidantve, prout sonuit acies; nec tam vocis ille quam virtutis concentus videtur. affectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur obiectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat.

Ceterum et Ulixem quidam opinantur longo illo et fa-
10 buloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque; aram quin etiam

nior modo tenuior ex ore exit variumque effectum ad aures habet.

augurantur] i. e. coniciunt et tanquam praesagientes constituunt.

trepidantve] *Ve* indicat alterum, quod ponitur fieri posse, minus certum esse altero; quare vernaculâ est *oder auch;* cf. c. 5. 38. 45.

prout sonuit acies] i. e. *pro modo sonitus ab acie editi.* Scilicet non semper pari vi excitabatur sonus ille, casu eius effectum moderante.

nec tam vocis ille — videtur] Ita Rhenanus emendavit; cod. habent *voces*, at *BS ille* et *S videtur.* Sententia est: *ille barditus non tam verbis constat, quae sententiam habent et canuntur, sed clamor concinens sine verbis, cuius vis haec esse videtur, ut virtutem prodat.*

affectatur — asperitas] i. e. efficere student — asperitatem. Accuratius respondet Germanicum: *es ist hauptsächlich abgesehen auf* etc. — De *asperitate soni* conferendus locus Hist. II 22. *Temere subeuntes cohortes Germanorum cantu truci.*

fractum] h. l. est, quod, quia *rectâ* ex ore exire nequit, inflectitur, eoque quasi duplicatur.

9. *Ceterum*] Hac voce post brevem de *barditu* digressionem transitur ad famam de Ulixe, quae eiusdem est generis, ut illa de Hercule.

quidam opinantur] sc. vel Graeci, in exornandis atque amplificandis veteribus fabulis sibi placentes, vel etiam Romani, Graecos scriptores sequentes eorumque commenta pro veris amplectentes.

in hunc Oceanum] i. e. in Oceanum, de quo hic agitur; cf. 2, 4; est igitur septentrionalis. Ceterum referenda haec omnia sunt ad simillimam Germanorum fabulam quae est de Orendel, rege maritimo. ferunt hunc ad stationem navalem bene munitam venisse, ad Arcem fraxineam (asc = fraxinus), quae ad Rheni sinistram ripam (Hist. IV 33) sita prope *Xanten* vocatur *Asburg. Hodieque* i. e. et hodie und noch heute. (Falso multi explicant hodie quoque, auch heute noch, quem usum Tacitus nullo loco admisit, Dial. 34 cum optimis cod. scribitur *hodie quoque — legimus.*) construe igitur h. l. „quod — situm (est) hodieque —".

nominatumque] Lacuna, quam aliquot codd. post hanc vocem habent, nulla est in Leid. neque unquam fuit. Scilicet orta ea opinio eo, quod scribae obiectum requirebant ad *nominatum*, non videntes id verbum pertinere ad praegressum *Asciburgium*, ac significare *nomen suum accepisse.* Alii id ipsum assecuti Graecis litteris maiusculis, inseruerunt *ΑΣΚΙΠΥΡΓΙΟΝ*, quod deinde alii aliter barbarum in modum mutarunt.

12. *aram*] i. e. monumentum lapide structum et honori atque memoriae

Ulixi consecratam adiecto Laertae patris nomine eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptos in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc ex- 15
stare. quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est; ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

IV. Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur. unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus; truces et caerulei oculi, rutilae comae, 5

Ulixis destinatum; cf. Sall. Iug. 79, 10. *Carthaginienses in eo loco Philaenis fratribus aras consecravere.*

Ulixi] i. e. *ab Ulixe.*

Graecis litteris inscriptos] In hac fama illustranda et ad verum revocanda frustra laborari Tacitus ipse statim profitetur. Nihil huc pertinere, quod apud Caesarem b. g. I, 29, in. legitur de tabulis in castris *Helvetiorum* repertis *litteris Graecis confectis*, in promptu est. Graeca inscriptio haud dubie non fuit, sed fuit Etrusca; mercatores enim Etruscorum ad Rhenum inferiorem progressos esse H. Genthe probavit, et in titulis sepulcral. Etrusc. praenomen Lart inventum est. Deecke etrusk. Forsch. I, p. 33. K. O. Müller Etrusker ed. Deecke I, p. 437.

adhuc exstare] Hoc non potuit dici, nisi ab recenti scriptore. Quare probabile est Tacitum id sumpsisse ex Plinii magno opere de bellis Germanicis. Ad hoc verba *in confinio Germaniae Raetiaeque* ostendunt, qui de ea fama memoraverit, ipsum ibi fuisse, id quod cadit in Plinium.

17. *ex ingenio — fidem*] Universa horum verborum sententia est; *hoc aliis relinquo;* nam ut *demere fidem* nihil aliud est nisi *refellere*, ita *addere fidem* plane idem atque *argumentis confirmare.*

IV. *nullis aliis aliarum — conubiis*] Pleonasmi quoddam genus inesse in verbis *aliis aliarum* negari non potest; nam plane sufficiebat *aliarum.* Sed consulto Tacitus geminavit voces, quo magis *diversitatis* notio, quae inter Germanos ceterosque barbaros intercedebat, emineret, ita quidem, ut *aliarum nationum* quasi per epexegesin *aliis* accuratius declaret. Licet eodem modo Germanice: *durch keine anderen heirathen mit anderen volkstämmen.*

infectos] i. e. mixtos eoque depravatos; *infici* enim dicuntur *bonae* tantum res, quibus *malae* admiscentur, neque vero *malae*, quibus *bonae* adduntur.

sui similem] Respicere videtur Tacitus ad Britannos, de quibus in Agricola c. 11. tradit eorum similitudine cum Germanis, Gallis, Hispanis alienam originem argui.

habitus] i. e. externa species *(d. aeussere);* cf. c. 46. 5. Agric. 11.

quamquam—numero] i. e. quamquam tantus est eorum numerus, ut hoc mirum videatur. Nam quo maior numerus, eo facilior diversitas.

caerulei] — caeli (*caeluleus* dissimilatione adhibita in *caeruleus*) marisque colorem significat. Horat.

magna corpora et tantum ad impetum valida; laboris atque operum non eadem patientia; minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam caelo solove assuerunt.

V. Terra, etsi aliquanto specie differt in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, umidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax,

ep. 16, 7. 13, 16. Iuven. 13, 165 *caerula quis stupuit Germani lumina, flavam caesariem?* Auson. idyll. 7, 9 *sic Latiis mutata bonis, Germana maneret ut facies, oculos caerula, flava comas.*

rutilae comae] cf. Agric. 11.

magna corpora] cf. c. 20, 1. *Nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt.*

ad impetum valida] cf. Ann. II, 14, 3. (Germanorum) *corpus ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia.*

laboris atque operum] *Labor*, quamquam de quavis actione dicitur, quae virium intentionem requirit, tamen h. l. maxime de *rustico labore* in agricultura subeundo intelligendum, ut patet ex c. 26. 46. Nec inutile fuerit contulisse Sall. Cat. 37, 7. *Iuventus, quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat, — urbanum otium ingrato labori praetulerat.* — *Opera* imprimis in *bellis* praestanda erant. Ad ea pertinebat castra munire, fossam atque murum facere, aggerem iacere, turres excitare, materiem caedere, paludes emunire, quae omnia summi erant laboris.

non eadem patientia] v. ad c. 26. Ceterum supple *iis est.*

tolerare] Ad hunc infinitivum ex sequentibus trahendum *assuerunt*, ad hoc autem rursus supplendum *tolerare*. Utriusque enuntiati ratio est adversativa; quare *sed* ante *frigora* cogitatione addendum. cf. c. 38. *Neque enim ut ament amenturve, — in altitudinem quandam et terrorem, adituri bella, comptius hostium oculis ornantur.* 6, 10. *Sed nec — docentur; in rectum — agunt.*

caelo solove] Prius vocabulum pertinet ad *frigora*, posterius ad *inediam*. Ita igitur constat disiunctiva *ve* particulae vis, ut sit: *prout vel caeli vel soli natura est.* v. c. 3, 6.

V. *aliquanto*] ablat. propter comparativi notionem, quae in verbo differendo inest, = einigermassen.

silvis] velut Hercynia, Bacenis, Caesia, saltus Teutoburgiensis; *paludes* autem Pomponius Mela III 3, 29. nominat Suesiam, Metiam et Melsyagum maximas.

foeda] sc. *est*. Hac enim voce plenum praedicatum enuntiati conficitur; cetera adiectiva pro attributis subiecti sunt.

qua Gallias — spectat] Non de universo Rheni cursu hoc intelligendum, sed de inferiore tantum ripa, ubi Batavi ac Frisii habitabant.

ventosior] Hoc noli habere pro logico opposito vocis *umidior*. Auctor enim *et umidam* dicit esse Germaniam, *et ventosam* sed inaequali modo, quippe *umidiorem* Galliam versus, quam in reliqua parte, *ventosiorem* a Norico et Pannonia quam ad Rhenum inferiorem.

6. *satis ferax*] *Satis* ablativum esse dubitare non sinunt hi loci: Verg. Georg. II, 222. *Terra ferax oleo.* Plin. Epp. IV, 15, 8. *Ferax saeculum bonis artibus.* Sall. Iug. 17, 5. *Ager arbore infecundus.* — Ipsum *sata* vocabulum, in pedestri

frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera. ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis; numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt. argentum et aurum propitiine an irati dii negaverint, dubito. nec tamen affirmaverim nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere; quis enim scrutatus est? possessione et usu haud perinde afficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data,

oratione haud usitatum, Tacitus Vergilii exemplo posuisse videtur pro *segetibus*. Frumenti genera autem commemorantur apud Plin. n. h. XVIII 44: 'primum omnium frumenti vitium avena est et hordeum in eam degenerat sic ut ipsa frumenti sit instar, quippe cum Germaniae populi serant eam neque alia pulte vivant.' ib. XIX 28. 'siser et ipsum Tiberius princeps nobilitavit flagitans omnibus annis e Germania'.

frugiferarum] Praegnanti sensu *frugiferae arb.* h. l. dicuntur, quae *dulces fructus* ferunt, quales Italia gignit; quae infra c. 10 memorantur, ex eo genere sunt, quae *agrestia poma* (cf. 23) gignunt.

impatiens] cf. Agric. c. 12. *Solum patiens frugum.*

improcera] sc. *sunt*. Tacitus, ut vitaret ingratum sonum *improcerorum*, maluit integri enuntiati forma uti. — *Improcera* sunt *parva atque deformia*, ut Caesar b. g. IV 2. de iumentis Germanorum dicit; de Frisiis Tac. Ann. IV 72. *modica* domi armenta sunt.

suus honor] *Honor* armentorum constat corporis magnitudine, nitore et toroso habitu, isque ei generi in Italia proprius. *armenta* autem sunt boum, quippe quae ad arandum adhibeantur.

gloria frontis] Poetice ita dicuntur *magna et camura cornua*, quibus in Italia boves insignes sunt, non item in Germania.

numero gaudent] *Numerus* praegnanti sensu dicitur de *magno numero*, ut infra *numerus usui facilior*. — *Gaudent* est *multum tribuunt;* cf. c. 15. 21. 46. et vid. Agric. 44. De re cf. Caes. b. g. VI 35. *Sugambri magno pecoris numero, cuius sunt cupidissimi barbari, potiuntur.*

eaeque] i. e. *isque numerus — iique numerosi armentorum greges.* Attractione enim pronomen, quo subiectum enuntiati continetur, ad praedicati substantivum exactum est.

6. *et gratissimae*] De *et* partic. v. ad c. 14, 13.

argentum] Idem Tacitus viginti fere annis post Ann. XI 20. scribit: Curtius Rufus in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti; unde tenuis fructus, nec in longum fuit.

haud perinde] *Perinde* quum aequalem duarum rerum rationem indicet, *haud perinde* valet *haud pariter, haud aeque.* Quare sensus est: *possessionem quidem non respuunt, usu tamen non gaudent,* idque sequentibus accuratius illustratur.

est videre] *Est*, ubi c. inf. iunctum idem valet atque *licet*, qui usus ex Graeco repetitus est, plena verbi potestate significat aliquid *exstare atque in facto esse positum;* cf.

non in alia vilitate quam quae humo finguntur; quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent, formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt. interiores simplicius et antiquius permutatione mer-
5 cium utuntur. pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectatione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.

VI. Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum

Ann. XVI 34. *Ut coniectare erat intentione vultus.*

non in alia vilitate] sensus est: vasa argentea *non pro pretiosiore instrumento* habent, quam fictilia, quae vilissima sunt, illa aeque vilia eis videntur atque haec.

quamquam etc.] Quae subicitur praecedentibus per *quamquam* enuntiatio, ea ponitur aliquid, quod cum antegressis pugnare videtur, neque tamen pugnat; cf. c. 18, 1.

proximi] sc. ripae Rheni ac Danuvii, cf. 17, 23. anno iam p. Chr. n. XVIII mercatores Romani in Germania consederant, Ann. II 63. — *Ob usum*, v. ad 2, 20.

formasque] = notas, gepräge.

agnoscunt] i. e. probe norunt; ostendunt sibi notas esse.

eligunt] = greifen danach.

interiores] i. e. a ripa remotiores, in mediterraneis regionibus habitantes. eidem c. 17, 6. dicuntur *ulteriores*.

serratos etc.] i. e. denarios, quorum ora serrae in modum dentata erat documentum, nihil eis delimatum esse. — *Bigati* sunt, qui bigae figuram sive notam gerebant; cf. Plin. n. h. XXXIII 3, 13. *Nota argenti fuere bigae atque quadrigae, et inde bigati quadrigatique dicti.*

7. *affectatione animi*] Ita cod. *Bb.* in reliquis est *affectione*, ut vulgo editur. Quod cur ferri nequeat, facile intelligitur. *Affectio animi* enim dicitur de *statu animi* in universum, quod h. l. inanem habet sententiam. At *affectatio* pariter ut *affectare* Tacito usurpatur de *appetitu et cupidine*, quam sententiam hic locus utique poscit; cf. c. 28, 15. Hist. II 63. *Famam clementiae affectare.* Ann. XIV 16. *Carminum studium affectavit.* — Propterea autem additur *animi*, ut significetur illos caruisse cupidine quae prodit ex *animo*, qui est omnium cupidinum fons, sed fortuita quadam et externa causa motos fuisse, ut argentum auro praeferrent.

numerus] i. e. magnus numerus, magna copia, ut supra *numero gaudent;* c. 26, 5: *spatia* = ampla spatia.

promiscua] i. e. vulgaria, nullo discrimine ab aliis seiuncta; c. 28, 5. *in promiscuo* c. 44, 9. vilia autem a cauponibus Romanis emisse Germanos verbo *kaupôn* demonstratur. cf. Grimm Lexicon V 323 sqq.

VI. 1. *superest*] i. e. *abunde est;* ne ferro quidem *abundant;* cf. c. 26. Agric. c. 44. 46. Hist. I 51. 83. Ann. XIV 54.

ex genere telorum] cf. c. 46. Ann. II 14. *Non loricam Germano, non galeam; ne scuta quidem ferro nervove firmata, sed viminum textus, vel tenues et fucatas colore tabulas.*

colligitur. rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur. hastas vel ipsorum vocabulo frameas gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel comminus vel eminus pugnent. et eques quidem 5 scuto frameaque contentus est; pedites et missilia spargunt, pluraque singuli, atque immensum vibrant, nudi aut sagulo leves. nulla cultus iactatio; scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea. equi non forma, non velocitate conspicui; sed nec variare 10

rari — utuntur] *Rari* = *pauci modo* (Germ. sehr vereinzelt). — *Raro* de universis valeret.

framea] vocab. factum a verbo *framja* promovere, efficere, Fick Lex. ed. III, vol. III, 178. Iuven. sat. 13, 79. per Martis frameam iurat. Quod Hist. V 18. et Ann. II 21. hastae praelongae, Ann. I 64. ingentes, II 14. enormes vocantur, nostro loco non repugnat, nam hic ferri, illic totius hastilis ratio habetur.

contentus est] i. e. nihil gerit praeter scutum frameamque.

missilia spargunt] *Missilia* sunt lapides, globi, glandes, alia eius generis, vel manu vel funda missa. — *Spargunt* poeticam habet colorem. Haud dubie Tacitus verbum sumpsit a Vergilio, Aen. XII 50. *Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra spargimus.*

immensum] sic *Bb* et recte quidem: Hist. V 11 *colles immensum editos*, sic codex. Ann. III 30. *domus illa immensum viguit.* 52. *luxus immensum proruperat.* IV 27. *gliscebat immensum.* 40. *immensumque tolli.* VI 37. *Euphratem nulla imbrium vi sponte et immensum attolli.* Confer etiam Sallust. Hist. ap. Non. p. 22. *immensum aucto mari.*

atque] Haec copulandi particula, quum h. l. adiungat peculiarem vibrandi modum, valet *et quidem;* cf. Dial. c. 15.

nudi etc.] i. e. neque armis neque vestimentis satis tecti; cf. c. 24, 2. Hist. II 22. *Germani more patrio nudis corporibus —. sagulo leves* non idem est ac *sagulo levi*, sed hunc sensum habet: eo, quod nihil gerunt praeter sagulum, *non impediti* vel *habiles*, sc. ad missilia summa vi vibranda. cf. ad c. 17, 1.

cultus iactatio] Toto capite quum de re militari ac de armatura agatur, *cultus* non potest intelligi de *vestitu* in universum, sed de *vestitu et ornatu militari* (prunk mit waffenschmuck), inprimisque de *splendidis armis.* — Eius rei *iactatio* est, si qui magnopere in exquisito cultu *sibi placent eoque superbiunt.*

lectissimis coloribus = quam maxime variis, ipsaque varietate oculos ferientibus (Germ. *grell*). Pro scutis Germanos habere „*tenues, fucatas colore tabulas,*“ tradit Tacitus Ann. II 14, 2.

uni alterive] Ann. III 47. IV 17. Hist. I 85. unus aut alter Ann. III 34. Agr. 40. Dial. 39. Sed unus alterque Ann. XIII 46. Hist. V 6. Dial. 21.

cassis et galea] Teste Isidoro in Orig. X 14. *cassis* erat de lamina ferrea, *galea* de corio.

10. *non forma, non velocitate conspicui*] cf. Caes. b. g. IV 2, 2. *Iumenta, quae sunt apud eos nata parva atque deformia, haec*

gyros in morem nostrum docentur; in rectum, aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, ut nemo posterior sit. in universum aestimanti plus penes peditem roboris, eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam
15 velocitate peditum, quos ex omni iuventute delectos ante aciem locant. definitur et numerus: centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter suos vocantur; et quod primo

cotidiana exercitatione, *summi ut sint laboris*, *efficiunt.*

sed nec etc.] Sententiarum ratio haec est: *sed* praeterquam quod hac virtute carent, *etiam* variare gyros — *non* docentur.

variare gyros] i. e. artificiosos flexus ducere, equis varie modo in hanc modo in illam partem circumactis, quae pars artis equestris romanae fuit.

in morem nostrum] i. e. ita, ut morem nostrum sequantur; cf. c. 16, 4.

docentur] = sie werden abgerichtet.

flexu] = schwenkung. *dextros* autem opp. *recto* et addendem cogitatione *vel sinistros;* A. Draeger probabiliter *versos* pro dextros proposuit.

agunt] sc. *Germani*, subiecto tacite mutato; cf. 5, 6. *gaudent.*

ita coniuncto orbe] *Orbis* h. l. non est *circulus*, sed *directus ordo qui tanquam circuli radius movetur*, quod ita fit, ut quo quis sit centro propior, eo lentius procedat, quo longius a centro absit, eo celerius. Qui modus ubi multo usu temperatur, id efficitur, *ut nemo posterior sit,* i. e. ut in circumagendo omnes rectam lineam servent. Comparativus spectat ad supplendum membrum: *eo, iuxta quem equitat.*

5. *In universum aestimanti*] i. e. si quis — aestimat, = si longe plurimas nationes spectas; nam paucae equitatu valebant, velut Tencteri; cf. 32, 3.

penes peditem] *penes* significat, aliquid alicuius personae vel rei *proprium esse* (im fussvolke); cf. c. 30, 15. Agric. 15.

mixti proeliantur] Id genus pugnae accurate describit Caesar b. g. I 48. IV 12. VII 65. VIII 13. — *Eoque* causam affert, cur equites non soli *cum peditibus mixti* proelientur.

apta] = entsprechend.

peditum] sc. *eorum*, vel *ex eo genere.*

definitur — honor est] Ex singulis pagis, ut est apud Caesarem b. g. IV 1, educebantur singula milia peditum, centeni equites. iam cum pro denis fere duodeni sumerentur, ex centum Sueborum pagis profecti sunt in bellum, ut ait Caesar l. l. I 31. „ad CXX milium numerum", quo pertinere diximus duodecim milia equitum, quem numerum idem Caesar I 48 ita tradidit, ut sex milia equitum, totidem numero pedites velocissimos *ex omni copia delectos* esse scriberet. hos igitur equites delectosque pedites h. l. a Tacito significari censemus *centenosque* ob eam causam iure appellari, quod ex singulis pagis illos centenos maximo honore fuisse consentaneum est.

quod primo numerus fuit] i. e. quod primo merum *numerale* vocabulum fuit, postea transiit in *appellativum*, quod simul *honorem* testatur. Eo probabile est ex singulis pagis postea non semper centenos fuisse lectos, sed modo plures

numerus fuit, iam nomen et honor est. acies per cuneos componitur. cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. corpora suorum etiam in dubiis 20 proeliis referunt. scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas, multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

VII. Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. nec

modo pauciores, prout pagi magnitudo et condicio erat.

18. *per cuneos*] i. e. cuneatim singulis manibus cuneum facientibus; cf. 7. *Non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit.* Hist. V 18. *Bructerorum cuneus tranatavit.* Ceterum *cuneus* non proprie videtur triangularem aciei formam significare, sed generaliter manum spatio ab aliis discretam; cf. Hist. V 16. Ann. I 51.

cedere loco] Id in maius auctum tanquam flagitium refert Germanicus in Ann. II 14. *Sine pudore flagitii, sine cura ducum abire, fugere.* cf. Ann. I 56. *Non auso hoste terga abeuntium lacessere quod illi moris, quotiens astu magis quam formidine cessit.*

quam formidinis] i. e. „*consilii esse,* **non** *formidinis arbitrantur.*“ Supplendum igitur *potius*, quod fit ubique, ubi in elliptica comparativa sententia affirmatur altera res, altera negatur; cf. Ann. I 58. *Pacem quam bellum probabam.* III 17. *Respondente nullo miseratio quam invidia augebatur.* III 32. *Nobilitatem sine probro actum honori quam ignominiae habendam.*

corpora] Praegnanti sensu sunt *caesa corpora* (d. leichen).

in dubiis proeliis] i. e. *si proelia dubia sunt;* cf. c. 33, 9. *In urgentibus imperii fatis.*

referunt] sc. *ex acie.*

praecipuum] i. e. *permagnum,* minuta vi verbi, ut *plerumque, immensum* al.

ignominioso] i. e. ignaviae ignominia cooperto.

multique] *Que* h. l. adiungit id, quod ex praecedentibus ut effectus consequitur; cf. c. 7, 7. *effigiesque* Agric. 12. 18. 25.

bellorum] Ann. II 71. *tot bellorum superstitem;* I 61. *cladis eius superstites referebant;* Agr. 3. *pauci aliorum — nostri superstites sumus.* dativ. Germ. 14. *probrosum (est) superstitem principi suo ex acie recessisse;* Ann. V 8. *Pomponius Tiberio superstes fuit.*

finierunt] simillimus usus temporum est Agr. 9. *haud semper errat fama, aliquando et elegit.* Hist. IV 38. *cupiditates nulla unquam civilis victoria satiavit.* Sallust. Cat. 11. *avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit.* ib. 51. *haud facile animus verum providet neque quisquam omnium libidini simul et usui paruit.* ib. *multi iniuria gravius aequo habuere.* 58, 15. Iug. 85, 49.

VII. *Reges ex nobilitate — sumunt*] *ex* significat normam quam in eligendo sequuntur, fere idem quod *secundum.* Cf. Cic. fin. II 34. *e virtute, id est honeste vivere,* ib. V 26. *aliud equo est e natura, aliud homini* (Madv. ad h. l.). Tacit. Ann. I 24. *ex re consulturum.* ib. IV 6. *ex fama.* Hist. II 85. *Iulianus iter trahens et ex nuntiis cunctabundus aut properans* i. e. prout tristia laetave accipiebat, cunctabatur aut properabat. — *sumunt* non idem quod eligunt, cf.

regibus infinita aut libera potestas, et duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. ceterum neque animadvertere neque
5 vincire, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt. quodque prae-

Hist. I 56. *minore discrimine sumi principem quam quaeri.* Sensus igitur est: prout quis nobilior est, regem sumunt, vel regem petunt ex genere regio, inde nomen *cuninc* = qui sunt regii generis (goth. kuni = γένος, Luc. II 36). Maroboduus rex (Ann. II 44) genere nobilis nominatur apud Velleium P. II 108, cui non repugnat Strabo VII 2, 3; anno autem p. Ch. XLVII, Cheruscorum gens regem Roma petivit, amissis per interna bella nobilibus et uno reliquo stirpis regiae, qui apud urbem habebatur, nomine Italicus (Ann. XI 16 et ib. c. 17 *accitum, quando nobilitate ceteros anteiret.*) de ipsa eligendi ratione vide Hist. IV 15. erat in Canninefatibus stolidae audaciae Brinno, claritate natalium insignis, — is impositus scuto more gentis et *sustinentium umeris vibratus dux deligitur.* idemque obtinuit apud Francos Gothosque in regibus non ex regia gente sumendis. Cassiod. X 31 *Gothos more maiorum scuto supposito regalem nobis contulisse dignitatem.* Cf. Waitz d. Verf. I 251. II 123 ed. alt.

infinita — potestas] cf. c. 43, 25. 44, 8. Ann. XIII 54.

exemplo] i. e. *exemplum edendo* = ita se gerendo, ut ceteris exemplo sint.

quam imperio] cf. c. 11, 12. *Rex vel princeps — audiuntur auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate.*

prompti] Germ. *thatkräftig;* v. Agric. 3. 27. Hist. II 25. Ann. I 13.

admiratione praesunt] Quum non omne exemplum admirationem excitet, sed egregium modo, id quale sit, proximis declaratur verbis *si prompti — praesunt*, quibus gradatio efficitur per asyndeton. Accurate enim dicendum erat *ac si prompti* etc. Ceterum *exemplo* ablat. est instrumenti, *admiratione* modi; est enim *cum admiratione.*

4. *neque — neque, ne — quidem*] cf. c. 37, 11. 44, 11.

animadvertere] i. e. supplicio afficere; cf. Hist. I 46.

ne verberare quidem] sc. *verberare* in militia romana vulgatissima erat et paene quotidiana neglectae disciplinae poena. unde summum militum in centuriones, qui eam vite exsequebantur, odium; cf. Ann. I 23. I 31. Quod Caesar b. g. VI 23. scribit: *cum bellum civitas* (Germanorum) *aut illatum defendit aut infert, magistratus qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur*, rem parum exploratam videtur tradidisse.

effigies] sc. animalium, velut aprorum (cf. 45), ursorum, luporum, taurorum (Plutarch. in Mar. c. 23); cf. Hist. IV, 22. *Hinc* (apud Romanos) *veteranarum cohortium signa, inde* (apud Germanos) *depromptae silvis lucisve ferarum imagines, ut cuique genti inire proelium mos est. Signa* autem videntur arma et tela deorum fuisse.

detracta] sc. illa signa in arboribus a sacerdotibus suspensa erant.

cipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propin- 10 quitates; et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiant, unde vagitus infantium. hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. ad matres, ad coniuges vulnera ferunt; nec illae numerare aut exigere plagas pavent, cibosque et hortamina pugnantibus gestant. 15

VIII. Memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captivitate, quam longe im-

10. *turmam aut cuneum*] i. e. *equitum* aut *peditum* manum; v. c. 6.

pignora] i. e. uxores, liberi et parentes, qui sunt omnibus carissimi; vid. Agr. 38. Ann. XII 2. XV 36. 57. exemplum rei traditur in Hist. IV 18. *Civilis — matrem suam sororesque, simul omnium coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem.* cf. etiam Caesar b. g. I 51. ceterum non verisimile est eum communem omnium Germanorum morem fuisse. videtur enim Tacitus illud, quod Caesar b. g. I 51, extr. de mulieribus, quae in Ariovisti exercitu erant, tradit, ad omnes Germanos transtulisse; aut si saepius alias id fiebat, non est de iis intelligendum, qui infesto agmine in fines proximorum hostilem impetum faciebant, quos certe nullae neque mulieres neque infantes sequebantur, sed de iis, qui armis petiti *agros suos atque domicilia contra hostium vim defendebant;* cf. c. 18.

unde — audiant] De feminarum *ululatu* cf. Hist. IV 18. *Ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies.* — In codd. omnibus est *unde — audiri.* sed infinitivus historicus nullo modo ferri potest, unde alii alia coniectavere.

12. *sanctissimi*] i. e. verissimi, quam maxime incorrupti; v. Sall. Iug. c. 85, 40. — Ceterum *hi testes — laudatores* aperte feminae sunt; de infantibus non cogitandum est.

vulnera ferunt] i. e. vulnerati se conferunt.

nec numerare aut exigere plagas pavent] i. e. neque *magno* plagarum *numero* perturbantur, neque animi infirmitate impediuntur, quominus illas *accurate inspiciant et explorent* curandi et obligandi causa. — Tacitus hoc annotat, ut, quantum differant Germanicae mulieres a Romanis, quae molles et delicatulae talem aspectum non ferrent, quin animi deliquium paterentur, declaret.

gestant] Paulo insolentius hoc verbum, proprie ad *cibos* pertinens, etiam ad *hortamina* refertur, hoc sensu: *cibos afferunt, et adhortationibus ad virtutem incendunt.* quare vix negari potest, leve quoddam zeugma obtinere.

VIII. 2. *obiectu pectorum*] Non est *nudandis et ostendendis pectoribus*, sed *pectora* = *se ipsas periculis pugnae obiciendo*, nimirum quo acrius viros ad ipsas defendendas incitarent. Nam *pectus obicere (periculis)* signum est intrepidi animi.

monstrata comminus captivitate] *comminus* ad *captivitate* pertinens vim habet enuntiati attributivi: *cap-*

patientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut effica-
5 cius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant, nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa neglegunt. vidimus sub divo Vespasiano Veledam diu apud plerosque numinis loco habitam. sed et olim Albrunam

tivitate, quae in propinquo esset, = quae certa instaret, nisi vincerent; v. Agric. c. 9. infra c. 28, 18. 37, 10. — *monstrata*, sc. non manu, sed *verbis*. Caes. b. g. I 51: *mulieres in proelium proficiscentes passis manibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent.*

impatientius — timent] Liberius hoc dictum. Quoniam, quae *timentur*, non iam vere adsunt, sed cogitatione tantum concipiuntur, sensus est: cuius *ipsam cogitationem* — impatientius ferunt, i. e. minus etiam ferre valent.

feminarum — nomine] i. e. *fem. respectu*, sive *in feminis suis;* v. Sall. Cat. 35.

efficacius obligentur] = sich stärker gebunden fühlen.

puellae — nobiles] Solus corrector cod. Leidensis habet nubiles, quod rec. Haupt et Müllenh., sed quod praeter viros et adolescentes etiam *puellae* inter obsides essent, parum referebat, utrum eae *nubiles* essent, an *non nubiles;* at referebat *nobiles* esse, quia tales maximam obligandi vim habebant. cf. Hist. IV 28. *Societate nobilissimis obsidum firmata.*

6. *sanctum*] i. e. quod non solum violari non debeat, sed summa veneratione dignum sit, utpote a vulgo remotum; cf. c. 34, 11.

consilia — responsa] *Consilia* h. l. simpliciter intelliguntur, quae ultro dantur a non rogatis; *responsa* sunt consilia, quae dantur a rogatis et consultis; unde proprium hoc vocabulum de vatibus et oraculis.

8. *vidimus — Veledam*] sc. *Romae*, quo illa fatidica, cuius summa erat auctoritas in bello Batavorum a Civili moto (cf. Hist. IV 61. IV 65. V 22. 24.) captiva delata erat; cf. Stat. Silv. I 4, 89. *Non vacat arctoas acies Rhenumque rebellem Captivaeque preces Veledae* (pandere). Igitur *vidimus* non capiendum de solo Tacito, sed de urbanis in universum; neque pendet ex hoc verbo accus. c. inf. *(Veledam — habitam esse)*, sed simplex accus. obiecti *(Veledam)*, cui enuntiatum relativum adicitur. ipsum nomen significat Benevolentiam (goth. vaila = bene).

plerosque] i. e. *permultos*, sc. Germanorum. nunquam, ut videtur, apud Tacitum *plerique, plerumque* superlativam notionem habent, sed idem significant, quod *non nemo, non nunquam:* Hist. IV 84. *deum multi Aesculapium, quidam Osirin, plerique Iovem, plurimi Ditem patrem . . . coniectant.* Ann. XIII 27. *plurimis equitum* (sehr viele), *plerisque senatoribus* (gar manche) *non aliunde originem trahi.* Cf. Nipperd. ad. Ann. III 1. Heraeus ad Hist. I 5. inde explicandi sunt hi Germaniae loci: c. 5. 13. 14. 22, 1. 9. 45.

Albrunam] Ita ex emendatione Wilh. Wackernagelii scribendum est. feminam fatidicam significat (Alb, *runa* = mysterium), ad quam referunt, quae Suet. Claud. I narrat:

et compluris alias venerati sunt, non adulatione, nec tamquam facerent deas. 10

IX. Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Martem et Herculem concessis animalibus placant. pars Sueborum et Isidi sacrificat.

Drusum species barbarae mulieris humana amplior victorem tendere ultra sermone Latino prohibuit.

non adulatione] Notat hic Romanos, qui servili et abiecta adulatione non solum imperatores mortuos inter deos referrent, sed etiam eorum sorores et uxores pari honore afficerent, velut Drusillam Caligulae sororem, Sabinam Poppaeam Neronis uxorem (cf. Ann. XVI 21.). Supplendum igitur: *ut nos.*

tanquam facerent deas] sc. eas, quae deae non sunt, *sed divinum illud agnoscentes, quod vere inesse feminis credunt.* Nec repugnat huic sententiae, quod Tacitus Hist. IV 61. de Germanis tradit: *plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrantur deas.* Aliud est enim *arbitrari deas*, aliud *facere;* neque ipsum *arbitrari deas* aliud est, nisi *divino instinctu supra vulgarem modum afflatas credere.*

IX. 1. *Mercurium colunt*] Idem de Gallis narrat Caes. b. g. VI 17, 1. In omnibus, quae Tacitus de religione Germanorum tradit, non obliviscendum est, quod ipse c. 43. monet, *interpretatione romana* eum haec persequi, magis ex similitudine aliqua, quam ex re. *Mercurium* deum esse eum, qui superstitione germanica *Wodan* vocabatur, cognoscitur ex Paulo Diac. de gestis Langobard. I 10. *Wodan sane, quem adiecta littera Guodan dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur, et ab universis gentibus ut deus adoratur.* apud septentrionales *Odin* nominabatur: ut Mercurius petasum gestabat et caduceum vel virgam auream, commercio praeerat, mortuos ad inferos comitatur (dies Mercurii = Odinsdagr, Wednesday).

certis] i. e. constitutis, vicissitudine temporum redeuntibus. vid. c. 11. 27. Ann. I 50.

humanis quoque hostiis] *Quoque* tecta oppositione indicat animalia Mercurio *exceptis certis illis diebus* immolari solita fuisse; cf. c. 10. 22. Agric. 30. ceterum aliis etiam deis humanas hostias offerebant, velut Marti, Nertho deae, aliis. Ann. I 61. Nipperdey *ora* recte humana esse dixit, „lucis propinquis barbarae arae, apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant.“

Martem et Herculem — placant] sic cum Hauptio scribendum videtur. *Bb.*: Martem — placant et Herculem, sed in *B* duobus punctis significatum est, verba *et Herculem* ex margine, quum olim omissa essent, male illic posita esse. *Mars* Germanis est Thyr, Tiu (Ziu), *Hercules* Thôrr, Donnar (unde Martis et Iovis dies nobis sunt diestag vel dienstag, donnerstag).

pars — sacrificat] Isis in urbe primo p. Ch. saeculo coli coepta et Isidis navigium a. d. III. non. mart. celebratum est. hanc religionem cum ad Germanos referret quam Sueborum deam significaverit, parum exploratum est. de Nehalennia cogitaverunt Holtzmann et Gantrelle. Cf. M. Haupt: Moriz v. Craon pg. 30 sq.

3. *concessis*] i. e. quibus litare fas est, Ann. XIV 21. *studiis honestis*

unde causa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod
5 signum ipsum in modum liburnae figuratum docet advectam religionem. ceterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem assimulare ex magnitudine caelestium arbitrantur: lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia
10 vident.

X. Auspicia sortesque, ut qui maxime, observant. sor-

et voluptatibus concessis. Hist. V 4. *concessa apud illos* (Iudaeos) *quae nobis incesta.* immolabantur equi, boves, arietes al.

Unde causa etc.] sc. *sit*, rariore verbi ellipsi in suspenso enuntiato; cf. 13, 12. *Quibus primus — locus.* 19, 13. *Ne ulla cogitatio ultra.* 39, 10. *Tanquam inde initia.* 45, 15. *Quae natura.*

comperi] i. e. certo cognovi; vid. Agric. 10. infra c. 45, 16.

nisi quod] Ea est harum particularum vis, ut spectent ad supplendam sententiam, qua superiora confirmantur, ita tamen, ut rursus ex ea aliquid excipiatur. Sententiarum ratio igitur haec est; „*parum comperi, (ut omnia obscura atque dubia sint), nisi (hoc unum dubium non est) quod signum ipsum*“ etc. v. Agric. 6.

signum ipsum] i. e. *per se*, sola *externa* signi species, nulla ratione *religionis*, cui inservit, habita.

liburnae] i. e. navigii parvi levis atque velocis, quo genere Liburni, Illyrica gens, utebantur. Quae navium figura quum prorsus incognita Germanis esset, inde Tacitus conicit *advectam* esse religionem, i. e. ab externa gente mari sive navibus allatam. Cf. ad c. 2, 3.

humani oris speciem] *Simulacra* deorum ad *humani* oris speciem efficta, non confundenda cum *signis* deorum, velut Isidis, quae *symbola* potius erant deorum, quam formae atque figurae.

ex magnitudine caelestium] i. e. magnitudini — consentaneum; Agric. 40. *ex ingenio principis fictum.* Ann. XIII 46. *non ex priore infamia, sed integre sancteque egit.*

lucos ac nemora] sic differunt, ut *lucus* (a lucendo) partem silvae significet, quae raris ac proceris arboribus lucem transmittat, *nemus* (νέμος) partem pascui, quae arboribus circumcludatur.

deorumque nominibus appellant] sc. singuli luci certis deis ipsorum nominibus consecrati erant. Ita memoratur Ann. II 12. *Silva Herculi sacra;* IV 73. *Lucus, quem Baduhennae vocant;* Germ. c. 40. *Nerthi — castum nemus;* Ann. I 51. *Templum, quod Tanfanae vocabant;* illud enim templum non lapide structum fuit, sed ipsum quoque sacrum nemus; v. ad c. 40.

secretum illud] i. e. vim illam numinis qua in lucis se afflatos sentiunt. cf. Seneca ep. 41. *Si tibi occurrit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus, illa proceritas silvae et secretum loci et admiratio umbrae fidem numinis facit.*

sola reverentia] i. e. solo animo reverentia numinis affecto; cf. Hist. V 5. *Iudaei mente sola unumque numen intellegunt.*

X. 1. *sortesque*] cf. Caes. b. g. I 50. *Apud Germanos ea consue-*

tium consuetudo simplex. virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. mox, si publice consuletur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiae precatus deos caelumque suspiciens ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. et illud

tudo est, ut matres familiae eorum sortibus et vaticinationibus declarent, utrum proelium ex usu esset necne. ib. c. 53. *Valerius Procillus se praesente de se ter sortibus consultum dicebat, utrum igni statim necaretur, an in aliud tempus reservaretur.*

ut qui maxime] Elliptica comparandi formula *ut qui* c. superl. quodammodo in adverbialem potestatem abiit, sensu non diversa a simplici *quam* particula superlativo addita; cf. Cic. ad fam. XIII 63. *Te semper sic colam et tuebor, ut quem diligentissime.* Quint. III 8, 12. *deliberatio affectus ut quae maxime postulat.*

frugiferae] non significatur malus aut pirus (c. 5), sed quercus, fagus, corylus sive abellana.

amputant] i. e. dissecant.

notis] litteris vel runis, quod significat *μυστήριον*.

vestem] i. e. stragulum (ein laken); cf. c. 27. 40. *Super vestem* est über ein laken hin.

temere] i. e. nullo certo consilio aut ratione, *fortuito* = ut fors tulit.

consuletur] Futurum pendet ex praegressa sortium praeparatione, quam sequitur ipsa consultatio (wenn befragt werden soll).

ter — tollit] ut factum etiam in Valerio Procillo teste Caes. b. g. I 53. ita autem tollit, ut unum post alterum.

caelum suspiciens] sc. ne pro arbitrio et cum delectu surculos tollat, alios probans alios improbans, sed manu capiens, quos fors obtulit.

impressam] Non documento est hoc vocabulum notas illas non cultro fuisse incisas, sed typis factas. *Imprimi* enim dicuntur omnia, quae aliquo modo in planam superficiem descendunt.

secundum — notam] i. e. quasi ducem secutus notam.

interpretatur] i. e. runas illas ante expressas explicat. erant autem sua cuique runae nomina vel ex natura vel ex fabulis petita. itaque ex his ipsis nominibus vel ex versibus allitteratione coniunctis deorum voluntatem colligebant. cf. Caes. b. g. VI, 13. *Druides — religiones interpretantur.*

8. *nulla de eadem re — consultatio*] sc. deorum. Sed „*Romani contra in adversis auspiciis novas hostias mactare deosque fatigare solebant, donec addicerent.*“ RITTER.

in eundem diem] *In* c. accusativo pendet ex verbo *decernitur*, vel simili.

auspiciorum adhuc fides exigitur] *Auspiciorum fides* est *fides* sive *veritatis confirmatio (beglaubigung), quam auspicia faciunt.* Sententia igitur haec est: ubi per *sortes* exploratum est, id, de quo consultant, permissum esse, quo magis sortibus confidant, etiam *auspicia* habent, quorum fides accedat ad sortium fidem.

10 quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare. proprium gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri. publice aluntur isdem nemoribus ac lucis, candidi et nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur, hinnitusque 15 ac fremitus observant. nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem, apud proceres, etiam apud sacerdotes; se

exigitur] i. e. exploratur; cf. c. 7, 14.

et illud quidem etc.] Per *et* quum adiungitur sententia antecedentem illustrans atque explicans, copulativae particulae vis transit in causalem; v. Agric. 37.

illud] *Illud* (= illa notissima consuetudo *nostra*) quid sit, appositis verbis *avium voces volatusque interrogare* indicatur.

etiam hic] i. e. etiam in Germania, etiam apud Germanos. Ita c. 3. *In hunc Oceanum* est *in Oceanum Germanicum.*

proprium] nam hac in re differunt a Graecis et Romanis, nisi quod semel Homerus Achillis equum vaticinatum facit Il. XIX, 408 sqq. De Persis Herod. III 85.

equorum quoque] Supple: *non avium modo sed*, vel: *praeter aliorum animalium;* v. ad c. 9. Ceterum *equorum* est genitivus activus vel subiectivus, ut paulo ante *auspiciorum.*

aluntur] i. e. sie werden gehegt.

isdem — lucis] sc. quos deis consecrarunt, de quibus supra dictum c. 9.

mortali] i. e. quod consueto et vulgari hominum usui inservit. *Mortalia* quum opponantur *divinis*, in promptu est Tacitum his verbis equorum genus tanquam deis sacratum et quodammodo divinum significasse.

contacti] = depravati, inquinati; cf. Dial. 12. *Nullis contacta vitiis pectora.*

pressos] Re ipsa idem est atque *iunctos*, vel *currui subiunctos*, sed poeticum habet colorem, quamquam eo paulum mitigatum, quod *currus* simul *iugi* notionem complectitur; cf. Ovid. Met. I 124. *Pressique iugo gemuere iuvenci.* ib. XII 77.

vel] i. e. vel ubi rex non est.

apud plebem, apud proceres] addunt codices exceptis duobus omnes *apud sacerdotes.* sed cum praecedente *non solum, non modo* alterum membrum numquam adiungatur, nisi addita part. *sed, verum, etiam,* nec proxima quo referantur appareat, ad proceres et sacerdotes an ad solos sacerdotes, multi ex illis codicibus deterioribus receperunt: *sed apud proceres, apud sacerdotes.* at magno honore fuisse equos tam apud plebem quam apud proceres manifestum est. *sacras* autem ad res sacerdotes bubus feminis utebantur (Germ. c. XL.), equis non utebantur nisi in eis auspiciis quae publice et cum *civitatis* principibus instituebantur. itaque ante sacerdotes addendum *etiam:* Ann. IV 35. *non attingo Graecos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita.* IV 19. *non modo apud illos homines, etiam secutis temporibus.* I 77. *occisis non modo e plebe, etiam militibus et centurione* (ita recte Nipperdey cum Pfitznero ex vestigiis cod. Med. scripsit). iam quae sequuntur *se ministros — putant* ad solos sacerdotes referenda sunt: c. 7, 6. 40, 17. 43, 14.

enim ministros deorum, illos conscios putant. est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus exploratur: eius gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum patriis 20 quemque armis committunt; victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.

XI. De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. coeunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, quum aut incohatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspica- 5 tissimum initium credunt. nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant; sic constituunt, sic condicunt: nox ducere

illos] sc. equos sacros.

conscios] i. e. mente ac voluntate deorum quasi initiatos.

5. *quoquo modo*] sc. vel vi, vel dolo, vel casu.

committunt] *Committere* proprium vocabulum est de gladiatoribus, qui, ut inter se depugnent, in arenam mittuntur (= lassen sie kämpfen).

XI. *principes*] v. prolegomena.

de maioribus] *Maiores res* haud dubie sunt bella, paces, emigrationes, agrorum occupationes, principum electiones, iudicia de rebus capitalibus, poenarum constitutiones. — *Minores* quae fuerint, minus in promptu est; in universum videntur negotia principum privata intelligenda esse.

plebem] *Plebs* ingenuos (c. 20. 25. 38. 44) sive liberos exceptis principibus complectebatur; cf. c. 12. Ann. I 55. *Nihil ausuram plebem, principibus amotis.* eidem Hist. IV 14. vocantur *vulgus.*

apud principes] i. e. *in coetu principum*, quod sensu non differt ab eo, quod est *a principibus;* vid. Agric. c. 21.

pertractentur] i. e. accurate tractentur, nihil ut neglegatur omittaturve; cf. Dialog. c. 1. *Quos eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivi.*

subitum] Velut incursio hostium, aut magnum atque atrox facinus.

4. *certis*] v. ad 9, 1.

incohatur luna etc.] cf. Caes. b. g. I 50. *Non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam proelio contendissent.*

noctium] Eadem consuetudo apud Gallos obtinuit teste Caesare b. g. VI 18. *Spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt.* Prisci usus Germanici vestigia quaedam etiamnunc restant non solum apud Britannos, qui septem vel quattuordecim dierum spatium *sennight* (seven nights) *fortnight* (fourteen nights) dicunt, sed etiam in Germanicis vocabulis *weihnachten*, *fastnacht.* Praeterea qui dies intersunt inter d. 24. Decembris et 6. Ianuarii, a vulgo vocantur *duodecim noctes (die zwölf nächte)*, quae appellatio haud dubie duravit propterea, quod illis diebus, quibus sanctitatem quandam tribuebat vulgus, superstitiones adhaerescunt, ex antiquissimis temporibus repetitae.

diem videtur. illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coe-
10 untium absumitur. ut turbae placuit, considunt armati. silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. si displi-
15 cuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt: honoratissimum assensus genus est armis laudare.

XII. Licet apud concilium accusare quoque, et discrimen capitis intendere. distinctio poenarum ex delicto. proditores et transfugas arboribus suspendunt, ignavos et imbelles et

constituunt — condicunt] Vocabula sunt forensia; illud dicitur, quum inter aliquos *de certo tempore negotii peragendi convenit*, vel *certa dies definitur;* hoc, quum *proposita temporis condicio* vel *dies dicta accipitur.*

ducere diem] i. e. praeire nox videtur, ita ut dies subsequatur.

illud — vitium] *Vitium* praedicatum est, *illud* subiectum, cui illustrando reliqua per appositionem adduntur; cf. c. 10. 13.

ut iussi] Generaliter haec comparatio intelligenda: *ut ii, qui iussi sunt;* vel *ut iussis convenit;* nimirum ita se gerunt, quasi nullum plane iussum acceperint. cf. Hist. IV 76. *Germanos non iuberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere.*

ut turbae placuit] Turba non simpliciter est *multitudo*, sed *incondita multitudo nulloque ordine temperata.* Quare sensus est: *quando multitudini* inconditae placuit, quippe quae hoc sibi sumit, ut pronuntiet: *iam considamus.* — Comparativa *ut* particulae vis in temporalem transiit.

10. *armati*] cf. 13. 22.

tum] sc. *in conventu*, *quum convenerunt*, non alias; cf. c. 31. 40.

coercendi] i. e. turbidos et clamatores in ordinem cogendi castigando vel adeo poenam iniungendo.

prout aetas — facundia est] His verbis non quattuor nova genera consultantium significantur, sed indefinita notio *principis*, i. e. *unius et alterius principis*, in varias species dissolvitur. In tali conventu enim plures principes aderant, sed ei tantum sententiam dicebant, qui vel aetate, vel nobilitate, vel bellica laude, vel facundia conspicui essent. De aliis, qui principes non essent, cogitari non posse, ostendunt sequentia: a. s. m. quam *iubendi* potestate.

auctoritate — potestate] ablat. *modi* sunt. Sensus: audiuntur *ita ut suadeant* magis auctoritate sua, quam *ut iubeant* potestate.

concutiunt] cf. Hist. V 17. *Ubi sono armorum — approbata sunt dicta.* Idem de Gallis tradit Caesar b. g. VII 21.

XII. *quoque*] v. ad c. 9, 2. et cf. Waitz Deutsche Verf. Gesch. I² pg. 332.

ignavos et imbelles] cf. c. 31. *Ignavi* sunt, qui in pugna nullam virtutem praestant ac refugiunt; *imbelles*, qui insita inertia militiam defugiunt, fortasse adeo mutilato

corpore infames caeno ac palude iniecta insuper crate, mergunt. diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. sed et levioribus delictis pro modo poena: equorum pecorumque numero convicti multantur. pars multae regi vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis eius exsolvitur. eliguntur in isdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt; centeni singulis ex plebe comites consilium simul et auctoritas adsunt.

ipsi corpore belli periculis se subtrahere conati.

corpore infames] i. e. nefandis et naturae repugnantibus libidinibus dediti, cf. Ann. I 73. *Cassium quendam, mimum corpore infamem.* ib. XV 49, 3. *Quinctianus mollitia corporis infamis.* Hist. IV 14. *Batavorum impubes et forma conspicui ad stuprum trahebantur.*

caeno ac palude] cf. 17. *maculis pellibusque.* 25. *disciplina et severitate.* 28. *a similitudine et inertia.* 33. *oblectationi oculisque.* 37. *castra ac spatia.*

scelera — flagitia] *Scelus* dicitur respectu *aliorum*, quippe, quo vel singuli vel universa res publica graviter laeditur; *flagitium* est factum, quo ipse *auctor* dedecore et ignominia oppletur; cf. 6. 19. Scelus igitur factum est contra *ius*, flagitium contra *honestatem.* Quae quum valde inter se confinia sint, haud raro coniuncta in eodem homine dicuntur.

8. *numero*] Indefinite est *aliquo numero*, plane ut Germanicum *eine anzahl;* scilicet ille numerus non fixus erat, sed ex modo delicti taxando et constituendo pendebat. alius generis est locus c. 21. ubi de *certo* poenae numero agitur, qui lege iam constitutus fuit.

vel civitati] sc. ubi rex non est; cf. 10. 11.

vel propinquis] sc. si quis interfectus fuit.

eliguntur — principes] cf. c. 22. ubi de eadem re dicitur *asciscere*, i. e. in numerum recipere. Caes. b. g. VI 23. *in pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt controversiasque minuunt.*

qui — reddunt] Ita omnes codd.; quorum fide neglecta edd. nonnullae male *qui — reddant.* Indicativo significatur munus, quod principes obeunt, quodque principum est; coniunctivus indicaret, *quo consilio eligerentur*, quod potuit dici, sed non necesse fuit.

pagos vicosque] *Pagi* sunt regiones sive terrae partes maioris minorisve ambitus, in quas singulae quaeque gentes dividebantur *(bezirke, districte);* cf. c. 6. Ita Semnones (c. 39) in centum pagis habitabant. Totidem Suebis fuisse tradit Caesar b. g. I 37. IV 1. Chattorum pagos vicosque commemorat Tacitus Ann. I 56. — *Vici* sunt singula habitationum loca *(ortschaften)*, pluribus quidem composita aedificiis, sed inter se discretis et spatio circumdatis; cf. c. 16. 19. 26. Ann. I 50. I 56. XIII 57. Centeni autem ex singulis milibus ut ad equitatum (c. 6) ita ad consilium sumuntur.

consilium simul et auctoritas] Hac appositione, quae ad totum enuntiatum pertinet, indicatur, *quid illi*

XIII. Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt. sed arma sumere non ante cuiquam moris quam civitas suffecturum probaverit. tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinqui scuto fra-
5 meaque iuvenem ornant. haec apud illos toga, hic primus iuventae honos; ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae. insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignitatem etiam adulescentulis assignant. ceteri robustioribus ac iam pridem probatis aggregantur, nec rubor inter
10 comites aspici. gradus quin etiam ipse comitatus habet iudicio eius, quem sectantur; magnaque et comitum aemulatio,

centeni comites fuerint, quippe tales, quorum consilium audiret princeps, et qui vi sua eius augerent auctoritatem.

XIII, *publicae — rei*] cf. Agric. c. 19. *Publica res* est negotium, quod ad totam civitatem pertinet.

armati] cf. c. 11.

moris] cf. c. 21. Agric. 33. 39.

suffecturum] sc. *armis*. Sensus est: quam civitas eum pro tali agnoverit, *qui armis recte gerendis par sit.*

5. *haec — toga*] praegnanti sensu *id quod togae sumptio;* quare loci sententia haec est: *hoc apud illos eodem iure est, quo apud nos togam virilem sumere* v. 3.

nobilitas] i. e. clari generis decus, familiae claritas.

principis dignitatem] hanc optimorum codicum *(Bb)* scripturam unice veram esse arbitramur sententiamque aptissimam fere hanc: eis qui adulescentuli insigni nobilitate aut magnis patrum meritis commendantur, statim post arma sumpta (swertleite, wehrhaftmachung) principis locus et honor tribuitur, pro principibus habentur; (adulescentuli) ceteri (sic recte Lipsius pro codicum ceteris) quibus illa commendatio deerat, sumptis armis satis habent inter comites natu maiorum robustiorumque recipi.

nec rubor] sc. *iis est* = *nec eos pudet;* cf. c. 28. *Ne Ubii quidem — origine erubescunt.* Ann. XI 17. *Nec patrem rubori* (sc. illi esse). Dial. c. 37.

comitatus] Germ. *das gefolge.* Qui comitatum efficiunt, a Tacito modo *comites* vocantur, modo *clientes;* cf. Ann. I, 57. *Ereptus Segestes magna cum propinquorum et clientium manu.* II 45. *Ni Inguiomerus cum manu clientium ad Maroboduum perfugisset.* XII, 30. *Vannium — secuti mox clientes.* Simile ac paene idem institutum fuisse apud Gallos cognoscitur ex Caesare b. g. VI 15. *Equitum ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habent. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.* ib. III 22. VII 40. De Gallis cisalpinis Polybius II 17. *Περὶ δὲ τὰς ἑταιρείας μεγίστην σπουδὴν ἐποιοῦντο, διὰ τὸ καὶ φοβερώτατον καὶ δυνατώτατον εἶναι παρ' αὐτοῖς τοῦτον, ὃς ἂν πλείστους ἔχειν δοκῇ τοὺς θεραπεύοντας καὶ συμπεριφερομένους αὐτῷ.*

iudicio] i. e. arbitrio et voluntate, non ex certa lege; omnes enim comites legebantur a principe, nemo interesse cogebatur.

quibus primus apud principem suum locus, et principum, cui plurimi et acerrimi comites. haec dignitas, hae vires magno semper electorum iuvenum globo circumdari; in pace decus, in bello praesidium. nec solum in sua gente cuique, sed apud 15 finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetuntur enim legationibus, et muneribus ornantur, et ipsa plerumque fama bella profligant.

XIV. Quum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adaequare. iam 20 vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi suo ex acie recessisse. illum defendere, tueri, sua quo-

quibus primus — locus] sc. *sit*. De omisso *esse* verbo in suspensa oratione cf. c. 9. *Unde causa, — parum comperi*. 19. 39. 45.

haec dignitas etc.] demonstrativum, quod ad praecedentia spectat, non attributum est substantivi, sed subiectum ipsum enuntiati, genere neutro per attractionem ad praedicatum accommodati, ut statim post *ea gloria*.

magno semper — praesidium] causali nexu haec cohaerent cum antecedentibus omissa *nam* particula, quod asyndeti genus haud infrequens est; cf. c. 11. *honoratissimum* etc.; 12. *proditores* etc,; 22. *deliberant* etc.; 24. *quamvis* etc.; 29. *levissimus* etc.; 39. *nemo* etc.

comitatus] genitivus est, subiectum autem ex pron. *cuique* huc sumendum est.

16. *id nomen*] *Id, ea* subiectum est, *nomen*, *gloria* praedicatum; per epexegesin, autem, quod subiecto continetur, accuratius explicatur. — *Nomen* est *fama clara;* cf. c. 45.

expetuntur — legationibus] sc. tales principes, qui magnum et egregium comitatum habent. — *expet. leg.* = eorum *amicitia et auxilium* expetitur per legatos a finitimis ad eos missos.

plerumque] i. e. *persaepe* cf. ad c. 8.

profligant] i. e. ad exitum adducunt; c. Ann. XIV 36. *In multis legionibus paucos esse, qui proelia profligarent*. Hist. II 4. *Profligaverat bellum Indaicum Vespasianus*. — *Bella* h. l. non nimis stricte capienda sunt, sed tantum significant *hostilia* vel *incursiones;* quae *ipsa fama profligantur*, quum hostes, audito principem cum valido comitatu auxilium laturum, *recedunt et hostilia omittunt*. — De *ipsa* cf. c. 43.

XIV. 2. *Iam vero*] His particulis novum aliquod adiungitur, plerumque maius atque gravius; Agric. c. 9. *iam vero tempora* — ib. 21. *iam vero principum filios* — Dial. 6. *iam vero qui togatorum comitatus* — ib. 19. 20. 29. Hist. I, 2. III, 21.

infame — probrosum] Utrumque activo sensu dictum: infamiam et probrum ferens. *superstitem* cf. ad c. 6. Ann. II 11. *Chariovalda* (dux Batavorum) *labitur* (cecidit) *ac multi nobilium circa*. Ammian. Marc. XVI 12, 60. *comites* Chonodomarii *ducenti — flagitium arbitrati post regem vivere vel pro rege non mori — tradidere se vinciendos*.

sua quoque — assignare] Hoc est illud, quod Tacitus etiam in Agricola summopere laudat, c. 8. *Ad auctorem ac ducem ut minister fortunam referebat*.

5 que fortia facta gloriae eius assignare praecipuum sacramentum est. principes pro victoria pugnant, comites pro principe. si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adulescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies, et 10 facilius inter ancipitia clarescunt, magnumque comitatum non nisi vi belloque tuentur. exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque

praecipuum sacramentum est] i. e. praecipua sacramenti pars est, = praecipuum est, ad quod sacramento obligantur.

plerique — petunt] cf. ad c. 8. ceterum nobiles adulescentes illi significantur quibus principis fere dignitas assignata erat. hi igitur *ultro* (i. e. etsi non sunt expetiti — c. 13. extr. —) *petunt* (i. e. se conferunt ad) eas gentes quae cet.

aliquod] magnum parvumve de quacumque re geritur.

ancipitia] i. e. *pericula belli*, ubi virtus enitescere possit, ut loquitur Sallustius de Caesare Cat. 54.

tuentur] Ita recte *Bb;* nam luce clarius est, hoc de Germanis tantum, et quidem de eorum principibus comitatum habentibus dici. at coniunctivo *tueare*, quem deteriores nonnulli codices habent, continetur generalis sententia, ad omnes, quicunque ei sunt, pertinens, quasi apud omnes populos etiam Romanos, comitatus in usu fuerint. Quod utique absurdum est.

exigunt enim etc.] Sententia horum verborum paulo obscurior haec est: *Postulant comites* (hoc enim subiectum ex praegresso *comitatum* per synesin intelligendum), otiosum comitatum aegre ferentes, *ut sibi liberalitate principis copia fiat illius bellatoris equi*, = *ut fortitudinis in bello praestitae praemium accipiant a principe bellatorem equum;* vel etiam sic; *appetunt decus bellatoris equi liberalitate principis praebendi.* — *Illum* significat et usitatum fuisse id praemii genus et longe clarissimum. — *Bellator equus* (Germ. *streitross*) poetico more dictum est, quem expressit Tacitus, ut multa alia, ex Vergilio; cf. Aen. X 891. XI 89. Georg. II 145. Similiter iam Cicero pro Milone. 50. *sustinuisset hoc crimen ipse ille latronum occultator et receptor locus.* Sallust Cat. 5. *animus cuius rei lubet simulator ac dissimulator.* Iug. 64. *contemptor animus.* ipse Tacit. Ann. III 6. *imperatori populo;* XV 64. *Iovi liberatori*, infra Germ. 39. *regnator omnium deus.* cf. Naegelsbach stilistik § 54, 4.

illam cruentam — frameam] Quum *frameam* quisque ac *scutum* acciperet, ubi primum armis gestandis par iudicabatur (cf. c. 13, 5.) ac tum semper *armati* agerent (cf. ibid.), *exigere frameam* non potest de postulanda armatura in universum intelligi, quippe quam omnes iam habebant, sed de expetenda ea framea, quae volgaribus splendidior *praemium militare dabatur.* Quae quia testimonio erat *caesorum hostium ac fortium factorum*, propterea dicitur *cruenta victrixque.* Similia apud Romanos erant virtutis praemia; cf. Sall. Iug. 85, 29. ubi Marius de se: *possum ostentare*, inquit, *hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona.* Tac. Ann. II 9.

frameam. nam epulae et quamquam incompti largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. materia munificentiae per bella et raptus. nec arare terram aut exspectare annum tam 15
facile persuaseris quam vocare hostem et vulnera mereri. pigrum quin immo et iners videtur sudore adquirere, quod possis sanguine parare.

XV. Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus,

Flavius aucta stipendia, torquem et coronam aliaque militaria dona memorat. — *Victrix* dicitur framea, quia eius ope semper adversarius vincitur, quia ei resisti non potest.

nam epulae etc.] *Nam* spectat ad omissam sententiam talem: *haec sunt extraordinaria singulorum comitum praemia, quibus epulae omnibus praebitae accenseri non possunt; nam* etc. Agric. c. 15. et Sall. Cat. 52, 34.

et quamquam — apparatus] *Et* particulae, quum adiungit attributum, quo praecedens vocabulum accuratius definitur, restringendi vis est, ut valeat *et quidem;* cf. 5, 6. 31, 1. 38, 8. Agric. c. 3. Ipse genetivus attributivus sive qualitatis h. l. rursus bipartitam habet definitionem, *quamquam — tamen* particulis paulo impeditius distinctam. Simplicior sententiae ratio haec est: „*epulae, et quidem largi quamquam incompti apparatus*, = *et quidem large quamquam incompte apparatae, p. st. cedunt.*“ Scilicet Germani veteres, ut hodie rustici incultiores, non tam bene quam admodum multum coenare malebant. — De *apparatus* voce v. ad c. 21, 8.

pro stipendio cedunt] i. e. non aliter accipiuntur atque stipendium, i. e. *ut res merita ac debita*, cuius omnes promiscue participes fiunt. At praemia illa equi atque frameae non contingebant nisi excellentissimo cuique.

nec arare etc.] Haec non de universa gente intelligenda sunt, sed de comitatu principum. Neque tamen hoc dicit Tacitus, numquam eos agrum colere, sed bello magis delectari.

annum] i. e. *anni proventum*; cf. Agric. c. 31. *ager et annus in frumentum conteruntur.*

vocare] Simplex habet vim compositi *provocare*; cf. Ann. II 81. *singulos praemiis vocans seditionem coeptabat.* VI 34. *Oroden — Pharasmanes vocare ad pugnam.* Hist. IV 80. *Neque ipse deerat arrogantia vocare offensas.* V 25. *sin populum Romanum armis vocent.* saepe Tac. cum in nominibus (*casus* = occasio Ann. I 13. IV 50. XI 9. XII 28. XIII 36.), *curatus* = accuratus Ann. I 13. II 27. XIV 27. XVI 22., *quaesitissimis honoribus* pro exquisitissimis Ann. II 53. III 26.) tum in verbis: Draeger syntax und stil des T. pg. 9². Vide Germ. 14. *clarescere.* 45. *cludere.*

vulnera mereri] i. e. pugnando vulnera quaerere. (Germ. *sich wunden zu holen.*)

XV. 1. *non ineunt*] Subiectum non est *Germani* in universum, sed nobiles bellicosi, qui principes sequuntur, de quibus modo dictum.

non multum venatibus] ita codices omnes. qui *non* expunxerunt critici, imprimis fecerunt moti auctoritate Caesaris b. g. VI 21, 3. *Vita Germanorum omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit;* IV 1, 8. *Suebi multum*

plus per otium transigunt dediti somno ciboque: fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens; delegata domus et penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo
5 cuique ex familia; ipsi hebent, mira diversitate naturae, quum idem homines sic ament inertiam et oderint quietem. mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus

sunt in venationibus; sed alia est horum locorum ratio, alia Taciti, qui tanta inertia socordiaque Germanos pacem degere demonstrat, ut ne venationi quidem magnopere studeant. ceterum odio Germanis non fuisse venatus, vix est quod moneamus. cf. J. Grimm gesch. d. d. spr. pg. 17.

dediti somno ciboque] Tacitus ante oculos habuisse videtur Sallustium Cat. 2, 8. *Multi mortales dediti ventri atque somno indocti incultique vitam transiere.*

3. *delegata*] *Delegantur* ea, quae quis, quia tanquam ad se non pertinentia ipse exsequi non vult, alii agenda committit *(überlassen)*; cf. c. 20, 2. *Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur.* Dial. c. 29. *At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae.*

domus et penatium] *Domus* significat externa rei domesticae negotia ipsosque labores quotidianos *(hauswirthschaft)*; cf. c. 25, 5. *Cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur.* — *Penates* dicuntur de internis rationibus moderandae domus, quibus tuendis ordo atque status rei domesticae continetur *(ordnung und leitung des hauswesens)*; cf. c. 25, 2. *Suam quisque sedem, suos penates regit.* 32, 7. 46, 12.

infirmissimo cuique] sc. liberis (cf. c. 25, 5.) et iis, qui citra senectutem corpore parum valent ad arma.

ex familia] i. e. *ex propinquis*, cf. c. 7, 10. At c. 25, 2. 32. 7. ea voce *servi* significantur. cf. W. Wackernagel kl. schr. I pg. 15. 16.

ipsi] Opponuntur hac voce *viri* et quidem nobilitate, fortitudine, bellandi studio insignes, ut potiores in domo, *ceteris omnibus;* vid. Agric. 13.

mira diversitate] quod inertia plane contraria est strenuitati illi, qua in bellis utuntur.

inertiam] Germ. *das nichtsthun, die unthätigkeit.* — *Quietem* = pacem, otium.

7. *ultro*] = sine iussu aut imperio, sponte. Annal. Laurish. min. (Pertz I 116): in die autem Martis campo secundum antiquam consuetudinem dona illis regibus a populo offerebantur, et ipse rex sedebat in sella regia circumstante exercitu.

ac viritim] *Ac* = *et quidem;* v. ad c. 14, 13. Significatur autem hoc: non paucos vel cui libuerit, sed omnes, pro opibus quemque, contulisse.

armentorum etc.] Genetivi pendent ex partis notione *indefinita*. Quare non supplendum est *id* (ut Hist. II 44. *superesse cum ipso Othone militum, quod trans Padum fuerit)*, sed *aliquid*, quae ellipsis excusationem habet a sequente relativo. cf. Dial. c. 7. *tum mihi ascendere videor, tum habere, quod non natalibus paritur.*

pro honore] Germ. *als ehrengabe.*

subvenit. gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis, sed et publice mittuntur, electi equi, 10 magna arma, phalerae torquesque. iam et pecuniam accipere docuimus.

XVI. Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes: colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.

gaudent] v. ad c. 5, 6.

non modo — sed et] cf. infra c. 35, 6: *non tenent tantum Chauci, sed et implent.* Hist. I 15. *documentum sit non meae tantum necessitudines, sed et tuae.*

Iam et pecuniam etc.] *Iam* dicitur, quum aliquid fit, quod aut multo serius fieri exspectarive, aut omnino non fieri debuit; cf. c. 33, 10. *Quando — nihil iam praestare fortuna maius potest, quam hostium discordiam.* 42, 7. *Iam et externos patiuntur.* 44, 7. *Nullis iam exceptionibus.* Agric. c. 16. *Didicere iam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus.* — De Germanorum pecuniae cupidine cf. Hist. IV 76. *Pecuniam ac dona, quis solis corrumpantur (Germani), maiora apud Romanos* (sc. quam apud Batavos). cf. etiam infra c. 42, 8. *Vis et potentia regibus* (Marcomanorum) *ex auctoritate Romana; raro armis nostris, saepius pecunia iuvantur*.

docuimus] Hac voce acerbe respicitur ad proprium Romanorum vitium avaritiam, contagione quasi aliis gentibus communicatam.

XVI. 1. *nullas — urbes*] *Urbes* quum Tacitus Germanis fuisse negat, tales intellegit, quales in Italia, Graecia, ceterisque cultioribus terris erant, *moenibus cinctas*, ac vicis, foris, templis, porticibus, aliis aedificationibus instructas. Nam quin hic illic in Germania loca quaedam fuerint vulgaribus vicis ampliora quae oppidorum non urbium quandam similitudinem referrent, vix dubitari potest, si ipsum Tacitum auctorem sequimur, quippe qui Ann. I 56. tradat a Germanico *incensum esse Mattium, gentis caput*, II 62. Marobodui *regiam castellumque iuxta situm* commemoret. cf. Caes. b. g. IV 19. *Cognovit Suebos — nuncios in omnes partes dimisisse, uti de oppidis demigrarent.* ib. VI 10. Waitz Deutsche Verf. Gesch. Vol. I² 109. sq.

populis] 'dativus pro praepos. *ab* passivis verbis a bonis scriptoribus ita participiis additur, ut res effecta tanquam extet et teneatur *(pertractata mihi sunt* i. e. habeo pertractata), aut eiusmodi verbis ut non solum ab aliquo, sed etiam alicui res fieri intellegatur.' Madv. Ann. III 3. *Tiberio et Augustae cohibitam.* 20. *neque proelium omisit, donec desertus suis caderet.* Agric. 2. *Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati sunt.* ib. 9. *Britannia Gallis in meridiem inspicitur.* Ann. II 50. *propinquis suis removebatur.*

ne pati quidem] Asyndeta haec sententia, qua gradatio efficitur praecedentis, pariter ut illa pendet ex *notum est.* cf. Hist. IV 64. *postulamus a vobis, muros coloniae* (Agrippinensis), *munimenta servitii, detrahatis: etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscuntur.*

diversi] i. e. in contrariis et inter se remotis locis; cf. Ann. XV 56. *diversi interrogantur.* Sall. Iug.

vicos locant non in nostrum morem conexis et cohaerentibus
5 aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia aedificandi. ne caementorum quidem apud illos aut tegularum usus; materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. quaedam loca diligentius illinunt terra ita pura ac splendente,
10 ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. solent et sub-

c. 12. — Causa eius rei maxime in libertatis studio quaerenda, quam Germani in eo tantum ponebant, ut nemo alterum curaret ac respiceret.

ut fons etc.] cf. c. 11, 13. de anaphora v. ad c. 18, 17.

4. *vicos*] v. ad c. 12, 11.

spatio] i. e. praegnanti sensu *aperto spatio.*

remedium] Accusativus appositionis, quae ad totum enuntiatum praecedens pertinet, consilium ac finem indicat; quare sensus est: sive *ut sit remedium.* cf. infra 16, 12. *suffugium hiemi.* Sallust. Hist. (epist. Mithr. pg. 122, 20. Jor[2].) *Eumenem prodidere Antiocho, pacis mercedem* — i. e. prodidere eamque sibi mercedem fecere. cf. Nipperdey ad Ann. I 27.

caementorum] i. e caesorum lapidum.

informi] i. e. *nulla arte elaborata ac perfecta* (cf. 45, 18.), quod h. l. est: *non dedolata aut ad regulam exacta.* De Germanorum modo aedificandi eadem tradit Herodianus VII 2, 3. *Ἐδῄου τε οὖν* (sc. Maximinus) *πᾶσαν τὴν χώραν, μάλιστα τῶν λῃῖων ἀκμαζόντων· τάς τε κώμας ἐμπιπράς, διαρπάζειν ἐδίδου τῷ στρατῷ. εὐμαρέστατα γὰρ τὸ πῦρ ἐπινέμεται τάς τε πόλεις αὐτῶν, ἃς ἔχουσι, καὶ τὰς οἰκήσεις ἁπάσας. · λίθων μὲν γὰρ παρ' αὐτοῖς ἢ πλίνθων ὀπτῶν σπάνις. ὕλαι δ' εὔδενδροι· ὅθεν ξύλων οὔσης ἐκτενείας, συμπηγνύντες αὐτὰ καὶ ἁρμόζοντες, σκηνοποιοῦνται.*

citra] i. e. *sine;* Agr. 1. citra fidem, Dial. 27. citra damnum.

9. *quaedam loca*] i. e. *quasdam interiores domorum partes* (einige räume), haud dubie eas, quae pro *cubiculo* essent; ita enim coniicias ex eo, quod antecedentia „*citra speciem aut delectationem*" de externa aedificiorum forma dicta sunt.

terra ita pura] Ea terra albane, an rubrica, an silacea fuerit, an alia, nemo dixerit.

ut picturam — imitetur] Locus obscurior sic videtur explicandus. terra illa, qua parietes illinuntur, *quasi quendam ornatum iis addit,* ita ut tales parietes quodammodo comparari possint cum Italorum parietibus pictura inductis ac lineamentis colorum distinctis. — *pictura* h. l. non significat *figuras pictas,* sed simpliciter *inductum unum colorem* (Germ. *anstrich*); — *lineamenta colorum* autem sunt lineamenta, quae aliis coloribus in picto pariete fiunt, sive *lineamenta colorata,* qualia hodie quoque in Pompeianis reliquiis comparent. — *imitari picturam* etc. est *loco picturae esse,* quod Germanice dicas *vertreten.* hoc igitur voluisse videtur Tacitur: splendente terra illiti parietes idem fere sunt apud Germanos, quod apud nos picti ac lineamentis colorum distincti. haud dissimilis haec comparatio illi c. 13, 5, quum de armis adolescentibus traditis dicit: *haec apud illos toga.*

solent] sc. non eidem, qui domos

terraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt, et si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quaerenda sunt. 15

XVII. Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina consertum. cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt. locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante,

habebant, sed aliae quaedam nationes incultiores in remotioribus et frigidioribus terris habitantes; cf. c. 17, 5. *Gerunt et ferarum pelles.*

aperire] i. e. *fodere;* cf. Verg. Georg. III 376. *Ipsi in defossis specubus secura sub alta Otia agunt terra.*

insuper] Incertum est, utrum sit loci potestate i. q. *supra*, *a parte superiore*, ut supra c. 12, 4. Caes. b. g. II 9. *centones insuper iniecerunt*, an translato sensu valeat *praetera, ad hoc*, ut infra c. 31, 8. 45, 4. Hoc probabilius.

hiemi] Non est i. q. *hieme*, sed per metonymiam valet *hominibus hieme vexatis.* cf. c. 46, 16. *Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium.*

molliunt] i. e. efficiunt, ut facilius tolerare possint (Germ. *erträglicher machen*), vel simpliciter *facilius tolerant.*

hostis] Haec vox, quae subiectum est primariae enuntiationis, attractione in secundariam illata est. sensus enim est: et quia hostis, si quando advenit, aperta quidem populatur, cet.

quaerenda sunt] sc. iis, qui sciunt quidem specus cum frugibus adesse, sed, *ubi sint*, nesciunt.

XVII. 1. *Tegumen*] laneum vel linteum; texendi artem omnibus gentibus indoeuropaeis communem fuisse docent verba *vâ*, *vabh* (Fick Lex. I³ 203. 769). de re cf. Wackernagel kl. schr. I pg. 40 sq.

sagum] supra c. 6, 7. *sagulum* vestimentum apud Romanos militum ac rusticorum proprium, num eiusdem apud Germanos materiae atque formae fuerit, valde dubium est. quare *sagum* indefinite intelligendum *vestimenti genus sago romano quodammodo comparandum.*

cetera intecti] i. e. *ceteris corporis partibus intecti*, sc. quae apud alios tegi solent; cf. Caes. b. g. IV 1, 10. *In eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitus, praeter pellis, haberent quicquam, quarum propter exiguitatem magna est corporis pars aperta, et lavarentur in fluminibus.* ib. VI 21, 5. *Pellibus aut parvis renonum tegimentis utuntur, magna corporis parte nuda.* Adaccus. *cetera* cf. c. 29, 12. 45, 30. quae sequuntur *iuxta focum — agunt* aperte significant non in publicum prodiisse Germanos intectos, sed tunica vel veste indutos; quae qualis fuerit, statim post describitur: alia autem et meliore quidem utebantur locupletes, alia pauperes. illi igitur genere vel pretio vestis, non eo distinguebantur, quod soli veste induti erant.

agunt] Non omnes, sed nobiles et ditiores, de quibus dictum c. 14, 15. 15, 1—6.

sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus ex-
5 primente. gerunt et ferarum pelles, proximi ripae neglegenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. eligunt feras, et detracta velamina spargunt maculis pellibusque beluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod fe-
10 minae saepius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos; sed et proxima pars pectoris patet.

XVIII. Quamquam severa illic matrimonia, nec ullam

stricta] i. e. angusta (Germ. *knapp, stramm*); cf. c. 30, 5.

gerunt] sc. *alii, nonnulli;* cf. c. 16, 2.

ripae] sc. *Rheni ac Danuvii*, qui fines imperii erant, cf. c. 23, 2. 28, 14. 37, 3. 41, 4. Agric. 28.

neglegenter] i. e. rarius ac minus fastidiose, quippe quibus alius et varius cultus suppetat.

ulteriores] i. e. remotiores a ripa, = interiora colentes.

ut quibus — cultus] i. e. quippe qui *alias munditias*, vel e lana vel ex alia materia confectas, per commercia *non accipiunt*.

7. *eligunt feras*] sc. *quas* pellium causa *venentur;* non enim promiscue omnes placent.

velamina] proprie sunt vestes, quibus homines velantur, h. l. insolentius dicuntur de *pellibus ferarum;* nimirum quia Tacitus *pellium* vocabulo statim post carere non potuit, hic eius loco aliud posuit.

maculis pellibusque] i. e. maculis ex beluarum pellibus confectis. De re ipsa cf. Verg. Georg. III 382 sq. *Gens effrena virum Rhipaeo tunditur euro, Et pecudum fulvis velatur corpora setis*, ad quem locum scholiasta: vestes de pellibus, quae vocantur *renones*, ut Sallustius dicit, quia pecudum de pellibus faciunt *gunnas*, quibus vestiuntur omnes barbari, id est ovium et caprarum luporumque pellibus utuntur.

exterior Oceanus] i. e. sinus Codanus ac mare Balticum. ceterum *beluae, quas Oceanus atque mare ignotum gignit*, per metonymiam dictum pro *beluis, quae in insulis Oceani et in terris, quas mare alluit, gignuntur.* nam de beluis *in ipso mari viventibus*, quarum maculosae pelles ad ornatum velaminum adhibeantur, cogitari non potest.

3. *habitus*] Germ. *d. tracht;* v. Agric. 21. infra 45, 8.

lineis amictibus] cf. Pl. n. h. XIX 1. *Vela* (e lino) *texunt iam quidem et transrhenani hostes, nec pulchriorem aliam vestem eorum feminae novere.* ib. 2. *In Germania autem defossi atque sub terra id operis* (sc. texendi lina) *agunt.*

purpura] i. e. *rubro colore*, plantarum suco parato; nam de vera illa et genuina purpura phoenicea, quae vel apud Romanos summi pretii erat, cogitari nequit.

variant] i. e. distinguunt atque ornant (Germ. *ausputzen*).

brachia ac lacertos] *brachia* sunt a manu usque ad cubitum: *lacerti* a cubito usque ad umerum.

XVIII. 1. *Quamquam — matrimonia*] *Quamquam* particulae usus,

morum partem magis laudaveris. nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. inter- 5
sunt parentes et propinqui ac munera probant, munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves, et frenatum equum, et scutum cum framea gladioque. in haec munera uxor accipitur, atque invicem ipsa ar-

ubi primario enuntiato iuncta restringit praecedentia, breviloquentia sive contractiore cogitandi modo nititur, siquidem et totum, quod conceditur, et simul *tamen*, quo illud tollitur, in plena sententia supplendum est. Igitur sententiarum nexus hic est: „*quamquam nudum pectus lascivos mores et invitationem libidinis proderc videatur, tamen (non ita est, sed) severa illic matrimonia.*“ cf. Dial. c. 28. 33.

qui non libidine — ambiuntur] per zeugma ex *ambiuntur* verbo ad prius nomen eruendum est hoc praedicatum: *plures uxores habent.*

plurimis] sic in omnibus codd. est, i. e. permultis.

pluribus nuptiis ambiuntur] *ambiri* significat adiri atque expeti a virginum parentibus aut propinquis; cf. Hist. IV 11. *Mucianus unus ambiri coli.* ib. IV 51. *magnificum tantis sociorum auxiliis ambiri.* dictionem Tacitus sumpsit a Vergilio Aen. VII 333. *Neu conubiis ambire Latinum Aeneadae possint.* universa sententia haec est: qui —, sed quia nobilitate eminent, nuptiis expetuntur. cuius rei exemplum est Ariovisti, de quo Caesar b. g. I 53. *Duae fuerunt Ariovisti uxores, una Sueba natione, quam ab domo secum eduxerat. altera Norica, regis Vocionis soror, quam in Gallia duxerat a fratre missam.* alii vel novem habuisse feruntur. Cf. Wackern. kl. schr. I 10.

5. *uxor — maritus*] Nota chiasmum; cf. 28, 10. ceterum offerendo dotem maritus emit uxorem, solvit mundium: vide Wackernagel kl. schriften I 6 sq.

probant] i. e. examinant, examinata accipiunt.

munera] Per anaphoram repetitur obiectum propter prorsus singularem munerum naturam, *quae Romanis vix munera videantur.*

7. *ad delicias muliebres*] i. e. ad eas res, quibus Romanae mulieres mirifice delectabantur, et quarum cupidissimae erant, velut *unionum, gemmarum, anulorum, catenarum, armillarum, sericorum*, et quae sunt huius generis alia; cf. Ann. III 53.

quibus comatur] — *instrumenta curiose comendi*, quae universa recentiores peregrino vocabulo *toilette* significant.

3. *In haec munera*] i. e. *respicientes* haec munera = *his muneribus probatis*, quippe quo tanquam fundamento novum matrimonium nitatur cf. Liv. XXIII 34. XXXIV 35. *Condiciones, in quas cum tyranno pax fieret, has conscripsit.* XLII 62. *Mitteret — qui foedus in easdem leges renovarent.* Draeger hist. synt. I p. 613.

boves cet.] commemorantur praeterea servi, anuli, nummi, denique fundi. Cf. in Muellenhoff u. Scheerer

10 morum aliquid viro affert. hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur. ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio 15 passuram ausuramque. hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant; sic vivendum, sic pereundum; accipere se, quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant rursusque ad nepotes referantur.

denkmäler: Schwäbisches verlöbnis pg. 239. 535.

ipsa armorum aliquid etc.] Nimirum mutua haec dona primum et maxime necessarium putabatur, ad novam domum et larem familiarem condendum.

arcana sacra] *quae arcani aliquid habent*, i. e. in quibus praeter id, quod manibus agitur et oculis conspicitur, reconditum aliquod inest, quod sola mente sentiri potest. talia sacra quum essent Romani moris, certe in solennioribus nuptiis, quae confarreatione fiebant, verborum sensus hic est: haec simplicissima coniugii per mutua munera ineundi ratio *apud eos obtinet pro* nuptialium cerimoniarum *nostrarum*, arcanis ac pro coniugalibus diis. — Ii dii, ut refert Augustin. de C. D. VI 9. fuere Iugatinus, Domiducus, Thalassius, Hymenaeus, Iupiter, Iuno, Venus, Diana, alii. Quae omnia, magnifice composita, quamquam plurimum religionis habere videbantur, tamen multo minorem vim habebant ad coniugium integre servandum, quam Germanorum simplicissima consuetudo. similis Germanici ac Romani moris comparatio est c. 13, 5. *Haec apud illos toga, hic primus iuventae honos.*

extra — cogitationes etc.] Germ. *enthoben des gedankens an* . . . .

auspiciis] i. e. *initiis*. Per pleonasmum quendam dicuntur *auspicia incipientis matrimonii*, quamquam eius dictionis haec vis est, ut *initii* notio magis emineat; cf. c. 30, 1. *Chatti initium sedis — incohant.*

passuram ausuramque] i. e. *cui certum sit pati et audere* (Germ. *bestimmt zu leiden)*, cf. c. 40, 19. Agric. c. 31. *Hic per delectus alibi servituri auferuntur.* De re ipsa v. ad c. 7, 11.

denuntiant] i. e. quasi clare eloquuntur et indicant.

16. *sic pereundum*] sc. si belli fortuna ita ferat.

accipere se — quae reddat] Haec non de *ipsis rebus* muneri acceptis, bubus, equo, armis, intelligenda, sed de *officiis animoque*, ad quem uxor per illa munera obligatur. Ad eam sententiam transitus paratur verbis *sic vivendum.*

digna] h. l. ut saepe absolute positum (v. Sall. Cat. 51. Iug. 62) et pro cuiusque loci ratione intellegendum, h. l. dictum in re *magni pretii egregiique status* (Germ. *preiswürdig*).

quae nurus accipiant] Haec non pendent ex *digna reddat*, sed ex *accipere;* per anaphoram enim *quae* repetitum est, qua figura nihil frequentius in hoc libello; cf. 6, 10. 7, 3. 9. 13. 10, 16. 11, 7. 12. 13, 5. 16. 14, 12. 16, 3. 18, 10. 14. 19, 7. 13. 20, 1. 24, 9. 25, 2. 32, 6. 37, 11. 40, 13. 43, 16. 46, 12. Agric. 9. 15. 18. 25. 34. 40. 41.

rursus] Haec particula non solum

XIX. Ergo saepta pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae. litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. paucissima in tam numerosa gente adulteria; quorum poena praesens, et maritis permissa. accisis crinibus, nudatam, coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. publicatae enim vero pudicitiae nulla venia; non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur.

adhibetur, ubi eadem actio ab eadem persona repetitur, sed etiam ubi eadem res ab alia persona fit. in quo quum in universum sit *ab altera parte*, id h. l., ubi *nurus* opponuntur matribus familiae, valet *a sua parte* = *et ipsae* (Germ. *ihrerseits*). scripsimus autem cum optimis codicibus *rursusque*. cod. *B*. habet *rursus que* texte Urlichsio, sed saepius ita separavit v. c. 3. 5. 45. pronomen *quae* in primo et altero membro accusativus est, in tertio nominativi vice fungitur ut ap. Sall. Iug. 14, 16. *si omnia, quae aut amisi aut ex necesariis advorsa facta sunt* — ib. 31, 18. 105, 5.

XIX. 1. *Ergo*] i. e. cum tanta sit matrimoniorum severitas.

saepta pudicitia] *Saeptum* dicitur, quicquid quasi saepe cinctum est, ut adiri non possit. quo quum tutum fiat, *saepta pudicitia* est *munita, firma, inexpugnabilis*, contraria eius, *quae*, ut Sallustius ait Cat. 13, 3., *in propatulo habetur*.

nullis — corruptae] negatio pertinet ad praedicatum; cf. c. 20, 4. 35, 9. Agric. c. 16.

illecebris — irritationibus] *illecebrae* primum leniter commovent; — *irritationes* incendunt atque inflammant acrius; v. Agric. c. 20.

litterarum secreta] quum h. l. in universum agatur de fide coniugii a Germanis sancte ac pudice servata, a Romanis levissime laesa, *litterarum secreta* nihil aliud significant nisi *epistulas amatorias secretas*, quibus illiciti amores iuvabantur. Tacitus igitur non negat Germanis litterarum et scripturae usum fuisse, sed negat abusum ad res amatorias.

in tam numerosa gente] i. e. pro maxima gentis multitudine; cf. c. 4, 4.

praesens] i. e. non in futurum tempus dilata, sed continuo flagitium sequens ac statim in deprehensa exercita (Germ. *unmittelbar stattfindet*). Wackern. l. l. pg. 9. 10.

7. *publicatae*] i. e. *vulgatae* (Germ. *preisgegeben*). In pudicitia Germanarum illustranda Tacitus praecedentem sententiam ita dilatat, ut ex speciali transeat in generalem; quare supplendum *sive nuptae, sive innuptae;* de hac enim sequentia valent, ut ostendunt verba *maritum invenerit*. quoniam igitur causa non adiungitur prioribus *Madvigius* codicum *enim* probabiliter mutavit in *enim vero*. Similiter idem apud Livium XXII 25, 3: *Metilius tr. pl. id enimvero ferendum esse negat* correxit, ubi cod. *enim* prave scribunt.

9. *vitia*] i. e. *virginum vitiationes*. de *stupro* enim virgini illato et *vitiare* et *vitium* saepissime dicitur.

saeculum] a *serendi* verbo factum singulas aetates humanas complectitur et quidquid eo spatio

10 melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt, et cum spe votoque uxoris semel transigitur. sic unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tamquam matrimonium ament. numerum 15 liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur, plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges.

temporis factum est vel fieri solet. h. l. vertamus: *lauf der welt.*

10. *melius — eae civitates*] sc. agunt. Tacitus enim non solum *dicendi*, sed etiam *movendi* et *agendi* verba omittit: Agric. 19. *nihil per libertos servosque publica erei.* Ann. I 43. *melius et amantius ille, qui gladium offerebat.* IV 38. *melius Augustum, qui speraverit.* Cf. Draeger syntax des Tac.[2] § 35.

adhuc] non temporis potestate valet *etiamnum*, sed vim intendit comparativi, quo sensu priores dicebant *etiam.*

tantum] de praemissa voce v. ad c. 29, 7.

cum spe — transigitur] *Transigere cum aliqua re* vel *transigere rem* significat *finire rem et absolvere;* v. Agric. c. 34. *Transigite cum expeditionibus.* Infra c. 22, 7. *Rixae raro conviciis transiguntur.* Sententia igitur haec est: in matrimonio ineundo spem votumque uxor ita concipit, ut non altera vice concipere possit; quippe prima spes eadem et ultima est. *Spes* est *obtinendi coniugii; votum* (gelöbnis) *in ipsis nuptiis* de coniugio caste fideliterque gerendo concipitur. — *Semel,* ubi omnis repetitio excluditur, vernaculâ est *ein für allemal.*

unum] Strictiore sensu est *unum modo;* cf. c. 24, 1. *Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem.* v. Agric. c. 28, 2. Ceterum haec magis ingeniose affinguntur Germanis, quam veram eorum mentem referunt.

ne — ultra] sc. *sit;* v. ad c. 13, 12. — *Ultra* h. l. adverbium est (Germ. *weiterhinaus*); nihilominus sententia non aliter constat, nisi suppleveris *unum virum,* vel *unum matrimonium.*

cupiditas] sc. *viri.*

14. *numerum — finire*] i. e. numero modum vel fines ponere, numerum minuere, sc. iam natos exponendo aut necando, vel nondum natos abortu abigendo; cf. Iuven. Sat. VI 595 sq.

15. *liberorum*] suscepit pater natos simulatque tolli eos iussit per propinquos velut per aviam — inde *hebamme* dicitur, cf. M. Heyne in Grimm. Lex. s. v. W. Wackernagel Familienrecht cet. opusc. I 11 sq.

ex agnatis necare] *Agnati* sunt ἐπίγονοι *(nachgeborne)*, i. e. qui post familiam iam constitutam, ubi heres iam est, deinde nascuntur. cf. Cic. p. Caec. 25, 72. *Cui filius agnatus sit, eius testamentum esse ruptum.* de Orat. I 57, 241. *Constat agnascendo rumpi testamentum.* eandem rem iisdem verbis de Iudaeis tradit Tacitus Hist. V 5, 3. *Necare quemquam ex agnatis nefas.*

flagitium] v. ad c. 12, 6.

alibi bonae leges] Haud dubie Tacitus respicit ad Romanos, quibus lege Iulia de maritandis ordinibus et lege Papia Poppaea frustra consultum erat; cf. Ann. III 25. Similis est sententia Iustini vel potius Trogi in comparatione Scytharum

XX. In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt. sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus delegantur. dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas; inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, 5 virtus agnoscat. sera iuvenum venus, eoque inexhausta pubertas. nec virgines festinantur; eadem iuventa, similis pro-

cum Graecis, Iust. II 2, 15. *Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio quam in his cognitio virtutis.* Nec discrepat Tacitus ipse Ann. III 26, 1. *Vetustissimi mortalium nulla adhuc mala libidine sine probro, scelere, eoque sine poena aut coercitionibus agebant.* Horat. C. III 24, 35. *quid leges sine moribus — vanae — proficiunt.*

XX. 1. *nudi ac sordidi*] Utrumque de vestitu intellegendum. *Nudi* sunt, qui tenui et parum sufficiente amictu utuntur (cf. c. 17, 2.); — *sordidi*, qui vestem immundam et pannosam gerunt; cf. c. 46, 4.

in hos artus — excrescunt] *Excrescere* h. l. significat *crescendo plenum magnitudinis modum attingere*, ut nihil supra esse possit. — *In* finem designat, quo aliqua res tendit. — cf. Caes. b. g. IV 1. *Quae res et vires alit, et immani corporum magnitudine homines efficit.*

quae miramur] Potest hic de exercitibus Germanorum cogitari, quorum milites magnitudine insolita Romanis admirationem inicebant; certe aliquoties eorum magnitudinis mentio fit apud Tacitum, velut Ann. I 64. *Cheruscis — procera membra;* Hist. IV 14. V 18, 1. Caes. b. g. I 39. *Ingenti magnitudine corporum Germanos esse.* Probabilius tamen est, a Tacito *servos* Germanos intelligi, qui *Romae* serviebant, et propter procera et robusta corpora in magno honore erant. Suadet eam explicationem *hic* pronomen, quod rem *praesentem* monstrat; altera sententia *ille* posceret.

nec ancillis — delegantur] cf. Dialog. c. 29. *At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae.* Et his locis et supra c. 15, 3. *delegare rem alicui* dicitur in re, quae alii committitur tamquam nihil ad nos, vel infra nos. *nutrices* non inveniuntur in Germania ante sextum p. Chr. saeculum.

4. *educationis deliciis*] i. e. educatione molliore et elegantiore.

inter — pecora] sc. tum domi, tum in pascuis.

aetas separet — virtus agnoscat] i. e. sumptis armis cf. c. 13. ita mutata est cogitandi forma, ut, quod attributum praedicati esse debebat *(aetate separentur, — virtute agnoscantur)*, subiectum enuntiati factum sit; cf. c. 1, 4. 13, 7. 27, 4. Agric. c. 6.

3. *venus*] cf. Caes. b. g. VI 21. *Intra annum vicesimum feminae notitiam habuisse in turpissimis habent rebus.*

Nec virgines festinantur] *Festinantur* ea, quae nimio studio ante iustum tempus fiunt (v. Sall. hist. I *profectionem*, id. fr. inc. *soleas festinate*). *Virgines* autem quum h. l. cogitentur respectu *nuptiarum*, sensus est: *virgines non immaturae collocantur*, non ante XV aetatis annum. Cf. W. Wackernagel Familienrecht der Germanen, opusc. I pg. 5.

eadem iuventa] sc. atque viris,

ceritas; pares validaeque miscentur, ac robora parentum liberi referunt. sororum filiis idem apud avunculum, qui apud patrem
10 honor. quidam sanctiorem artioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam et animum firmius et domum latius teneant. heredes tamen successoresque sui cuique liberi, et nullum testamentum. si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres,
15 patrui, avunculi. quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gratiosior senectus, nec ulla orbitatis pretia.

quibus nubunt; non enim puellae senibus iunguntur. *pares validaeque* breviter dictum pro: pares aetate pariterque validae ac viri.

referunt] i. e. ostendunt, repraesentant: cf. c. 43, 2. Eodem sensu dicitur *reddere aliquid;* cf. Dial. 1, *Dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet.*

9. *idem — honor*] *honor* h. l. non nimis stricto sensu accipiendum. Sensus est: *eodem loco atque numero sunt*, quo apud patrem. causa eius moris fuit, quod sororis patre ac marito mortuo, frater et sororis viduae et eius filiorum tutelam suscipiebat, nec minus his quam suis filiis prospiciebat. inde repetendum est, quod *ô-heim*, i. e. avi domus, significat id quod *avunculus* et a *nepote* fiat germ. *nefan.*

in accipiendis obsidibus etc.] i. e. si obsides accipiendi sunt, magis *hos* (= sororum filios) sibi dari volunt. — Obiectum per synesin ex verbis „*hunc nexum sanguinis*" eruendum. — De *exigunt* verbo cf. c. 14, 11.

domum latius] i. e. plures ex eius familia.

12. *heredes* etc.] sc. *bonorum;* — *successores*, sc. *dignitatis* in regenda domo; cf. c. 32, 7.

proximus gradus in possessione] per metonymiam *gradus* dicitur pro *eo*, *qui gradum obtinet*, quemadmodum in re militari *ordines* sunt *ii qui ordines ducunt* = *centuriones.* — *Possessio*, quae vox h. l. descendit a *possido*, Germanice est *die besitzergreifung* (v. Agric. 18.). Quare sensus est: *proximi in adeunda hereditate sunt* etc.

15. *propinquorum — affinium*] *Propinqui*, plerumque latiore sensu dicti, h. l. non diversi sunt a *cognatis* vel *consanguineis.* — *Affines* sunt vel mariti vel uxoris cognati utraque cognatione per nuptias copulata.

gratiosior] est, qui plus gratia atque auctoritate apud alios valet.

orbitatis pretia] Hoc, ut plurima in hoc capite, ad discrepantes spectat eosque pessimos Romanorum mores. Romae enim orborum divitum *amicitia et favor* a multis expetebatur *omnisque generis officiis* captabatur spe hereditatis obtinendae. Plin. ep. IV 15. *nostro saeculo plerisque etiam singulos filios orbitatis praemia graves faciunt.* Senec. ad Marc. cons. 19: *in civitate nostra plus gratiae orbitas confert, quam eripit.* cf. Dialog. c. 6. Ann. XIII 42. XIII 52. XV 19. *pretia* igitur sunt vana haec *commoda utilitatesque*, quae orbis Romae contingebant, velut munera, epulae, salutationes.

XXI. Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est. nec implacabiles durant; luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem. 5

Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. quemcunque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. quum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes; proximam domum non invitati adeunt; nec interest: pari humanitate accipiuntur. 10 notum ignotumque quantum ad ius hospitis nemo discernit. abeunti, si quid poposcerit, concedere moris, et poscendi invicem eadem facilitas. gaudent muneribus, sed nec data

XXI. 2. *nec*] i. e. *nec tamen;* cf. c. 45, 15. et v. ad Agric. c. 8.

implacabiles durant] sc. *in inimicitiis.*

numero] cf. c. 12, 8.

recipitque] i. e. armentorum ac pecorum numero accepto omnes propinqui eius, qui caesus est, inimicitias ponunt, neque amplius interfectorem persequuntur.

universa domus] sc. eius, qui caesus est. — *Domus* complectitur parentes, filios et cognatos.

inimicitiae] sc. quae non luuntur, vel lui nequeunt.

iuxta libertatem] i. e. *ubi simul valet libertas.* Latissimo autem sensu libertas h. l. intelligenda est *licentia nullis legibus coercita.* In tali enim libertate inimicitiae *periculosiores sunt quam in civitate, ubi leges sunt de vi.*

6. *Convictibus et hospitiis*] *Convictus* sunt, ubi vicini et noti inter se homines conveniunt epulandi causa; — *hospitia,* ubi ignotis vel peregrinis domus atque cibus praebetur. cf. Caes. b. g. VI 23. *Hospitem violare fas non putant. Qui quaque de causa ad eos venerunt, ab iniuria prohibent sanctosque habent.*

quemcunque mortalium etc.] Quamquam hoc generaliter dictum est, tamen de illo Chattorum genere, qui anulum ferreum gerunt, maxime valere videtur; v. ad c. 31, 14.

apparatis epulis] i. e. epulis solito melioribus. *Apparatus* enim, tum substantivum tum adiectivum, praegnanti sensu dicitur de quaesitiore modo alicuius rei, imprimis ad victum cultumque pertinentis, instruendae; cf. c. 14, 14. *Epulae — largi apparatus.* c. 23, 4. *Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famen.*

hospes] i. e. qui peregrinum domi exceperat.

interest] sc. utrum invitati veniant, an *non invitati;* utrumque perinde est.

quantum ad ius hospitis] formula *quantum ad* praedicatum ad certam rem restringitur, cf. Agric. c. 44. *Quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit.* Hist. V 10. *Proximus annus, quantum ad Iudaeos, per otium transiit.*

facilitas] *Facilitas poscendi* h. l.

imputant nec acceptis obligantur: victus inter hospites com-
15 munis.

XXII. Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. lauti cibum capiunt; separatae singulis sedes et sua cuique mensa. tum ad negotia nec minus saepe ad
5 convivia procedunt armati. diem noctemque continuare potando nulli probrum. crebrae, ut inter vinolentos, rixae raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur. sed et de reconciliandis invicem inimicis et iungendis affinitatibus

in eo cernitur, quod *non dubitant poscere.*

imputant] sc. *ei, cui dederunt;* i. e. *nullam* ab eo, cui dederunt, *gratiam aut exspectant aut exigunt.*

victus — communis] ita legendum esse docet Caesar b. g. VI 22. *iis* (i. e. hospitibus) *omnium domus patent victusque communicatur.* et cod. *B* veri vestigia habet: *cómis.* Quod volgo scribitur: *victus inter hospites comis* non magis probabile est quam Lachmanni: *vinclum inter hospites comitas.*

XXII. 1. *plerumque*] v. ad c. 8.

lavantur] Per se patet et hoc et sequentia non de omnibus Germanis in universum dici, sed de iis tantum, qui et genere et opibus ceteros anteirent.

saepius] Ubi quid variatis vicibus fit, *saepius* respondet alii temporis particulae, vel positae, vel e nexu supplendae; ita h. l. supplebis *saepe frigida.* v. Agric. c. 9. *tempora curarum remissionumque divisa: — gravis, intentus, severus et saepius misericors.* Ann. XI 16. *Modo comitatem et temperantiam — saepius vinolentiam ac libidines usurpans.*

plurimum] i. e. maximam anni partem.

separatae singulis sedes etc.] non lecto aut triclinio utentibus Romanorum more, sed more Homerico.

sua cuique mensa] sc. *patrifamilias*, de quibus solis h. l. agitur. nam de ceteris familiae hominibus cogitari nequit. ceterum ex forma voc. *tisch* a disco appellatur.

armati] v. ad c. 11, 3.

diem noctemque continuare] i. e. de die in noctem potare.

crebrae] dicuntur, quae exiguo vel temporis vel spatii intervallo intermisso se excipiunt: Agric. 22. *crebrae eruptiones;* ib. 24. *gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit.* Annal. II 26. *crebris epistulis monuit.* Caes. b. g. V 12. *hominum est infinita multitudo creberrimaque aedificia;* Cic. ep. ad Att. I 19. *te superarem et in scribendo multo essem crebrior quam tu.*

ut inter vinolentos] v. ad c. 2, 6. — *Vinolenti* generaliter dicuntur pro *ebriis.*

transiguntur] v. ad c. 19, 11.

sed et etc.] *Et* primo loco positum non correlativi potestate respondet bis repetitae particulae, sed valet *etiam*, tectam oppositionem indicans in hunc modum „*(in conviviis illis) non solum rixantur et digladiantur, sed etiam — consultant;*“ v. c. 9, 3. *invicem* = inter se, cf. c. 37, 10.

de iungendis affinitatibus] Germ.

et adsciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis consultant, tamquam nullo magis tempore 10
aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia ioci.. ergo detecta et nuda omnium mens postera die retractatur, et salva utriusque temporis ratio est; deliberant dum fingere nesciunt, constituunt dum errare non 15
possunt.

heirathen zu stiften, zu schliessen; cf. ad c. 20, 6.

asciscendis] *Asciscere principes* est: qui non essent principes, *in principum numerum recipere;* vel simpliciter *eligere principes;* cf. c. 12, 15.

de pace — bello] cf. Hist. IV 14. 29.

simplices cogitationes] *Simplices cog.*, quae h. l. *magnis* opponuntur, sunt *cogitationes rerum simplicium* (cf. c. 31, 14. Sall. Cat. 43. *Illos dubitando — magnas opportunitates corrumpere* — i. e. rerum magnarum opportunitates), i. e. *neque implicitarum neque difficilium*, ad quas recte concipiendas non opus est nisi sano incorruptoque sensu, quasque animus, ubi ei obiiciuntur, facile admittit et amplectitur; nam hoc ipsum significant verba *ad quas pateat animus.* Eiusmodi cogitationes sunt „*de reconciliandis amicis, de iungendis affinitatibus et asciscendis principibus.*"

ad magnas incalescat] *Magnae cogitationes* sunt inprimis *bellorum atque armorum*, ad quas *incalescunt*, i. e. summo studio atque ardore concitantur (Germ. *mit begeisterung erfüllt werden);* cf. Hist. IV 14, 2. *Civilis primores gentis et promptissimos vulgi, specie epularum sacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac laetitia incaluisse videt, — servitii mala enumerat.*

12. *astuta — callida*] Illud Germ. est *verschmitzt*, hoc *gerieben; astuti* enim natura sunt ad fallaciam facti, *callidi* usu ad decipiendum exercitati, unde *calliditas fori* Agric. c. 9.

aperit adhuc] Addita *adhuc* voce Tacitus significat, nondum Germanos ad simulationem ac dissimulationem Romanis usitatam corruptos esse, sed verendum esse, ne serius ocius hanc virtutem amittant.

licentia ioci] sc. in conviviis usitati.

ergo — rectractatur] i. e. posteaquam in medium protulerunt et patefecerunt quid quisque sentiat, iterum proximo die eadem res disceptatur. ex eo, quod Germani *per licentiam ioci* secreta pectoris aperire solebant, concluditur etiam in consultando *detectam et nudam esse omnium mentem*, i. e. *simpliciter, sincere ac minime subdole eos sensus suos declarare.*

retractatur] absolute: *iterum consultatur*, sc. de eo, de quo pridie agebatur.

14. *salva — ratio est*] i. e. utrique tempori suum tribuitur, et priori diei *iocus, laetitia ac nulla mentis occultatio* et postero *sobria consultatio.* Salvum est, quod nullum detrimentum capit. — Quae sequuntur, asyndeta ratione praecedentia explicant.

dum etc.] *Temporis* notio, quae est in *dum*, commutatur cum *rebus, quae illo tempore sunt.* Quare eo

XXIII. Potui umor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus; proximi ripae et vinum mercantur. cibi simplices: agrestia poma, recens fera, aut lac concretum; sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. adversus
5 sitim non eadem temperantia. si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincentur.

tempore, quo = *eo animi statu, quo fingere nesciunt* = *hilares sine fallacia* — Eodem modo *dum errare non possunt* = *sobrii.*

XXIII. 1. *Potui*] Dativus pendet ex omisso *est;* cf. c. 46, 12. *Victui herba, vestitui pelles.* ceterum *totum* hunc locum explicavit W. Wackernagel: mete, bier, wîn, lît, lûtertranc, in opusc. I 86—106.

frumento] *Frumentum* h. l. non generale frugum nomen est, sed proprium eius generis, quod alias *triticum* vocatur.

in quandam similitudinem vini corruptus] In *corruptus* voce inest *depravatae naturae* notio. non depravatus autem dicitur *umor* ipse, sed comparatur cum *depravato vino.* quare verba, praedicato enuntiati cum attributo genitivi in unum coartato, hunc sensum habent: „*umor — in quandam similitudinem vini corrupti factus.*"

ripae] sc. *Rheni;* v. ad c. 17, 5.

3. *simplices*] sc. *sunt.*

recens fera] cf. Caes. b. g. IV 1, 8. *Maximam partem lacte atque pecore vivunt.* VI 22, 1. *Maior pars victus in lacte, caseo, carne consistit.* Mela III 3. *Victu ita asperi incultique (sc. sunt Germani), ut cruda etiam carne vescantur. Recens* spectat ad morem Romanorum carnem ferinam per aliquod tempus conservandi, quo mollior fieret et exquisitiorem gustum acciperet.

sine apparatu] Praegnanti sensu *apparatus* dicitur de *exquisitiore et lautiore confectione;* cf. c. 21, 8.

sine blandimentis] i. e. *sine cupediis.* nam *blandimenta* sunt, quae Sallustius Iug. c. 89, 7. dicit *irritamenta gulae.*

expellunt] Non *cibi*, sed *Germani*, quod subiectum in hoc libello saepissime *ἀπὸ κοινοῦ* est intelligendum. sensus est: non plus cibi capiunt, quam ad satietatem sufficit; quod secus est in potu. plus enim bibunt, quam opus est ad sitim restinguendam.

adversus sitim] *adversus* non nude pendet ex *temperantia*, sed vim habet attributi adverbialis, quod vernacula reddas: *dem durst gegenüber* = *hinsichtlich des durstes;* cf. c. 46, 20. *Securi adversus deos rem difficillimam assecuti sunt.* v. Agric. 5, 4.

non eadem temperantia] v. ad c. 26, 9.

si indulseris ebrietati] *Indulgere* quid sit h. l., Tacitus ipse sequentibus explicat; Germ. est: *vorschub leisten.* — *Ebrietas* h. l. non significat *statum ebriorum*, sed *insatiabilem bibendi cupiditatem* (trunksucht).

6. *haud minus facile*] Non hoc dicit Tacitus, *facile armis vinci Germanos, nec minus facile vitiis;* sed hoc ponit: *huc usque eos non esse victos, nisi armis;* si vero ebrietas invaluerit, *vitia pariter atque arma valitura* ad illos vincendos. Clare patet haec sententia, si *facile* interpretatus fueris *certo.*

vitiis] *Vitia* sunt *mala ebrietatis,*

XXIV. Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem. nudi iuvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu iaciunt. exercitatio artem paravit, ars decorem, non in quaestum tamen aut mercedem; quamvis audacis lasciviae pretium est voluptas spectantium. 5

Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, quum omnia defecerunt, extremo ac novissimo iactu de libertate ac de corpore contendant. victus voluntariam servitutem adit; quamvis iuvenior, quamvis robustior alligari se ac venire patitur. ea est in re prava 10 pervicacia; ipsi fidem vocant. servos condicionis huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsolvant.

velut torpor, languor, inertia, occasionum neglectio, temeritas.

XXIV. *genus spectaculorum*] optime rem demonstravit Müllenhoff Schwertertanz, in 'Festgaben für Homeyer' p. 111 sqq. G. Freytag lepide descripsit Ingo et Ingr. pg. 43.

quibus id ludicrum est] i. e. qui eo ludi genere delectantur, quibus id delectationem affert; *id* enim subiectum est, *ludicrum est* praedicatum.

infestas] i. e. cuspidibus directis intentas, eoque periculum minitantes.

3. *artem*] *Ars* latiore sensu dicitur cuiuscunque rei tractatio ita certa, ut nunquam aberret aut labatur (Germ. *gewandtheit)*; cf. Agric. 36. *Arte Britanni — missilia nostrorum vitare.* Ann. II 8. *Batavi — dum artem nandi ostentant, turbati.*

paravit] Perfecto significatur, eam artem in certam et constantem consuetudinem abiisse, *quae iam gentis propria sit.*

in quaestum cet.] i. e. non eo consilio, ut quaestus fiat, *non quaestus causa;* vid. Agric. c. 8. Cogitavit Tacitus hic quoque de Romanis gladiatoribus, ioculatoribus, circulatoribus ac scenicis, pro sola mercede prodeuntibus. — Quae sequuntur, adversativam sententiam asyndetam habent; cf. c. 38, 12.

quamvis audacis] *Quamvis* non vim habet concessivam, sed adiectivi potestatem intendit. — *audax* attributum de persona ad rem translatum dicitur de eo, in quo audacia ostenditur, i. e. de re periculi plena. Quare sensus est: *vel maxime periculosae lasciviae.*

pretium cet.] = *praemium.* — *voluptas* complectitur etiam *admirationem et plausum*, voluptatis indicium; nihil aliud enim quaerebant adolescentes, nisi ut placeret suus ludus.

inter seria exercent] i. e. *seriis immiscent, interponunt.*

extremo ac novissimo] i. e. *desperato et ultimo;* cf. Agric. c. 34. *Novissimae res et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis.*

alligari] fere idem videtur significare atque *vinciri*, ut vincula manibus pedibusque iniciantur nam verb. *alligandi* simplicis vice fungitur, et proprie ad servos refertur, opp. *solvere.*

per commercia] Germ. *auf handelswegen;* cf. Agric. c. 28, 4. *Ac*

XXV. Ceteris servis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur: suam quisque sedem, suos penates regit. frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis ut colono iniungit, et servus hactenus paret; cetera domus
5 officia uxor ac liberi exsequuntur. verberare servum ac vinculis et opere coercere rarum; occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum,

fuere, quos per commercia venundatos — indicium tanti casus illustravit.

tradunt] sc. aliis, alienis.

exsolvant] = *liberent;* cf. Ann. VI 44. *Donec Tiridates — pudore proditionis omnes exsolvit.* Hist. III 61. *Donec Priscus et Alphenus — pudore proditionis cunctos exsolverent.*

XXV. 1. *Ceteris servis*] *Ceteri*, oppositi iis, qui aleae iniquitate servitutis condicionem subierunt, sunt *omnes alii*, vel in domo nati, vel empti, vel capti.

descriptis] i. e. *divisis, distributis.* Romanorum enim mos, qui ablativis sequentibus declaratur, is erat, ut non solum nullum fere opificii genus non a servis exerceretur, sed etiam plurima domestica ministeria, quae apud nos ab uno aut a paucis praestantur, *singulis singula attributa essent*, unde ingens vocabulorum numerus, quibus servi pro ministerii ratione appellabantur.

sedem — regit] *Sedes* non plane idem, quod *domus*, sed complectitur *id agri*, quod quisque habet, *cum domicilio.* — *Penates* vox explicata c. 15, 3. — *Regit* = ita praeest, *ut non ex domino pendeat*, quae sententia adiuvatur *suus* pronomine cum vi praemisso.

3. *vestis*] Haud dubie intelligendum *textile lineum;* v. ad c. 17, 10.

ut colono] sc. Romano vel Italo, qui agrum a possessore conducit colendum, pro eoque certum pretium pendit.

hactenus paret] i. e. *ita tantum* (Germ. *nur in soweit*) *domino officium praestat*, sc. quatenus frumentum etc. praebet. *Alia* officia, quae non *dando tributo*, sed *laboribus obeundis* constant, non praestat; *nam* quae adhuc praestari possunt, ea domini uxor ac liberi exsequuntur. — De *hactenus* voce c. 35, 1. Agric. 10. Ann. XII 42. XIV 3. 51. XV 60.

cetera domus officia] i. e. *alia omnia officia*, eaque domestica. Quae quamquam diversa sunt a pendendo frumento, pecore, veste, tamen per *cetera* vocem tanquam partes generi latius patenti (velut German. *leistungen*) subiciuntur. Haud infrequens est hic usus apud Graecos in voce ἄλλος, apud Latinos in voce *alius* et *ceteri;* v. Sall. Fr. Hist. I, 10. Tacit. Hist. IV 56. *Legatis tantum legionum interfectis, ceterum vulgus — facile accessurum*, i. e. *ceteros*, sc. vulgus militum. — *Domus*, sc. domini heri. pariter *uxor ac liberi* intelligendi sunt *domini*, non servi; cf. c. 15, 5.

6. *opere*] Praegnanti sensu est *opere gravissimo et molestissimo*, quo mali servi improbitas frangatur.

disciplina et severitate etc.] Et haec et sequentia per ἓν διὰ δυοῖν dicta sunt pro *disciplinae severitate*, ut est Hist. I 51. et *impetu irae.* — *Disciplina* est ratio morum regendorum magis consuetudine et usu confirmata quam legibus instituta.

ut inimicum] i. e. ut quemvis alium, qui inimicus sit.

nisi quod impune est. liberti non multum supra servos sunt; raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis dumtaxat iis gentibus, quae regnantur; ibi enim et 10 super ingenuos et super nobiles ascendunt. apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

XXVI. Faenus agitare et in usuras extendere ignotum, ideoque magis servatur quam si vetitum esset. agri pro numero cultorum ab universis in vicis occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. facilitatem partiendi camporum spatia praestant. arva per annos mutant, 5

nisi quod cet.] i. e. hoc tantum discrimine, quod inimicum occidere non impune est, at servus impune occiditur.

9. *aliquod momentum*] sc. *habent* vel *faciunt*, = *aliquid valent*. — De nimia libertorum apud Romanos potentia cf. Ann. XIV 39.

quae regnantur] i. e. quibus reges praesunt; cf. c. 43, 24. *Trans Lygios Gotones regnantur*. Hist. I 16. *Neque enim hic, ut gentibus, quae regnantur, certa dominorum domus, et ceteri servi*. Ann. XIII 54.

impares libertini] i. e. *inferiore conditione utentes*, sc. quam ingenui. — *Libertinos* hic dicit, quos modo dixerat *libertos;* utrumque proprie. *liberti* enim vocantur respectu *dominorum* suorum, a quibus manumissi sunt; *libertini* eidem dicuntur respectu *condicionis mutatae*, siquidem, qui non ingenui essent, tamen manumissione non amplius essent servi.

libertatis] sc. qua civitas fruitur.

XXVI. 1. *Faenus agitare*] i. e. *faenus exercere* = *pecunias faenori dare*. Cf. Annal. IV 6. *frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus equitum Romanorum agitabantur*.

in usuras extendere] i. e. pecunias ita mutuas dare ut usurae exigantur.

ideoque magis servatur] Subiectum verbi est universa praecedentis enuntiati sententia. quae quum negativa sit (nam *faenus agitare ignotum* = *faenus non agitatur*), sensus hic prodit: *ideoque* non fenerari *magis servatur* cet. pertinet hoc ad illud, quod Tacitus supra dixit c. 19, 16. *Plus ibi boni mores valent quam alibi bonae leges*.

3. *ab universis in vicis*] sic legendum est ex opt. cod. vestigiis. nam quod *B* habet *in vices* hoc omnium fere scriptorum consuetudini repugnat. *in vicis* id quod *vicatim*: Liv. IX 13, 7. *Samnites vicatim habitantes*. Plin. n. h. VI 26, 117. *Mesopotamia vicatim dispersa*. Sententia est: agros universi occupant, cum alicubi considunt vicosque (vide c. 12, 11) condunt, non sibi quisque partem aliquam sumit, occupatos ita partiuntur, ut singulas partes *(huoba, hufe)* ingenuis, binas ternasve nobilioribus darent. tanta autem pro numero cultorum spatia occupabant, ut ne dimidiam quidem partem quotannis colerent. initio igitur fuit, quod Caesar b. g. IV 1. de Suebis tradit: *privati ac separati agri apud eos nihil est*. postea privatam sortem (hluz) obtinebant.

5. *arva*] i. e. agros, qui arantur et conseruntur. — *Arvorum mutatio annua* non pertinet ad *possessionem*,

et superest ager. nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant et prata separent aut hortos rigent; sola terrae seges imperatur. unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species: hiems et ver
10 et aestas intellectum ac vocabula habent, autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

sed ad *usum*. non duobus enim aut pluribus annis deinceps eosdem agros conserebant, sed ubi messem fecerant, arva inculta relinquebant, ut cessatione frugibus ferendis rursus idonea fierent. eandem rem sed minus accurate tetigit Caesar b. g. VI 22, 1 sqq. *Agriculturae non student, maiorque pars victus eorum in lacte, caseo, carne consistit; neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierint, quantum et quo loco visum est, agri adtribuunt, atque anno post alio transire cogunt.* Quae quamquam in universum aliquam habent cum hoc loco similitudinem, tamen duobus insignia sunt erroribus, primum enim falsum est *agriculturam non exercuisse* Germanos; contrarium enim docet Tacitus; neque cerevisiae confectio, quo potu tantopere delectabantur, potuisset fieri, nisi satis magnae frumenti copiae agricultura prospexissent. tum apertum est Caesarem *mutationem arvorum annuam* confudisse cum *annua emigratione totarum gentium in alias regiones*, quae res nullo modo fieri potuit.

superest] v. ad c. 6, 1. plena sententia est: *et, ut id facere possint*, abundantia agri adiuvantur.

cum ubertate — contendunt] ut Romani faciunt, qui quamvis uberes sint et ampli agri, tamen labore adhibito praeter segetem alios fructus percipiunt.

ut pomaria — rigent] cf. cap. 5. *frugiferarum arborum impatiens. prata* 'sunt in quibus ad fructum percipiendum falce duntaxat opus est; ex eo dictum, quod paratum sit ad fructum capiendum' Ulpian. in Digest. L 16, 31. Germani pascuis contenti erant, nedum hortos rigarent. itaque cum Nipperdeio scribendum est *aut hortos r.*, codices fere omnes habent *ut*, pauci eique interpolati *et*.

sola terrae seges imperatur] i. e. nihil aliud agriculturâ nisi frumentum quaeritur; cf. Cic. de senect. 51. *Terra nunquam recusat imperium*, i. e. quod imperatur.

9. *in totidem*] sc. *quot nos*. saepe enim in comparatione atque correlatione alterum membrum omittitur; cf. 4, 7. *laboris atque operum non eadem patientia*, sc. quae pugnae atque impetus. 23, 5. *adversus sitim non eadem temperantia*, sc. quae adversus famem. 34, 2. *aliaeque gentes haud perinde memoratae*, sc. atque hae; 35, 7. 14; 44, 2. 45, 1.

intellectum — habent] i. e. quid sit hiems cet., et intelligitur et vocabulo significatur.

autumni] Initio Germani duas anni partes statuerunt (Hildebr. v. 50: ih wallôta sumaro enti wintro sehstic i. e. XXX annos), postea a diebus longioribus *lenzo*, denique pomis uvisque acceptis additum ob *καρπούς herbist*.

bona] i. e. laetus uvarum et pomorum proventus.

XXVII. Funerum nulla ambitio; id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant; sua cuique arma, quorundam igni et equus adicitur. sepulcrum caespes erigit; monumentorum arduum et operosum honorem ut gravem de- 5 functis aspernantur. lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. feminis lugere honestum est, viris meminisse.

Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. nunc singularum gentium instituta ritus- 10 que, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam.

XXVII. 1. *Funerum nulla ambitio*] i. e. funera non sunt *ad vanam ostentationem*, ut apud Romanos, composita. quamquam quod Caes. b. g. VI 19. scribit *funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa* idem paulatim ad Germanos quoque transiit. Cf. J. Grimm opusc. II 241 sqq. ceterum initio corpora mortuorum saxis condita, tum combusta sunt, donec Christiani mortuos igne cremari prohibuerunt.

certis] i. e. more solitis (cf. c. 9, 1.), eisque melioribus ac pretiosioribus, velut quercubus betulisve quae vepribus redimiebantur.

struem — cumulant] i. e. in struem *copiose* iniciunt.

vestibus] Non videntur *vestimenta*, sed *stragulae, tapetes;* cf. c. 10, 4.

4. *caespes erigit*] pro: *caespite erigitur;* v. ad c. 20, 5. 44, 5.

monumentorum arduum — honorem] Adiectiva, quibus *attributum* obiecti definitur, translata sunt ad *obiectum* ipsum; proprie enim dicendum erat *monumentorum arduorum et operosorum honorem.* — *Monum. ardua* sunt in *magnam altitudinem erecta, praealta.* — *Operosa* dicuntur, ad quae exstruenda multum operae, temporis, virium, pecuniae, requiritur.

gravem] i. e. pondere suo ac mole defunctos prementem.

ponunt] i. e. omittunt, desinunt; Cic. Tusc. III 66. *Quid est autem, quod plus valeat ad ponendum dolorem?* Sallust. Iug. 112. *bellum poni.*

in commune] opp. *singularum g.* cf. c. 38. 40. Agric. 12. Hist. I 25, 36. 85. II 54. IV 67. Ann. I 28, II 38, III 27, XV 12. 52. 63.

10. *instituta*] sc. civilia ac bellica. — *Ritus*, sc. circa religiones vel superstitiones; cf. c. 45, 7.

gentium] *Gentis* vocabulo hic quoque totum aliquod amplumque corpus significatur, cui tanquam membra sive partes subiectae sunt *nationes.* illas Germanice dixeris *volksstämme*, has *völkerschaften.* nec repugnat locus c. 2, 19; ibi enim latissimo sensu *gens* de universis Germanis dicitur.

expediam] i. e. tradam et explicabo; cf. Ann. IV 1. *Nunc originem, mores, — expediam.* Hist. I 51. *Nunc initia causasque motus Vitelliani expediam.* IV 48. *Ea de caede quam verissime expediam.* Sall. Iug. 5.

XXVIII. Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctor divus Iulius tradit; eoque credibile est etiam Gallos in Germaniam transgressos. quantulum enim amnis obstabat, quo minus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet
5 permutaretque sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia divisas! igitur inter Hercyniam silvam Rhenumque et Moenum amnes Helvetii, ulteriora Boii, Gallica

XXVIII. 1. *Validiores* etc.] Duplex hic esse potest comparationis ratio, prout vel *antiquiores* Galli cum *serioribus*, vel *Galli* cum *Germanis* comparantur; illud si voluit Tacitus, supplendum *quam nunc sunt;* sin hoc, *quam Germanorum.* hoc unice verum esse docet Caes. b. g. VI 24. *Ac fuit antea tempus, quum Germanos Galli virtute superarent.* — Gallos priorem amisisse virtutem tradit etiam Tacitus Agric. c. 11.

summus auctor] Caesar dicitur non propter artem scribendi, sed quia *summa eius de illis rebus fides est*, cuius testimonium plus quam aliorum valet.

etiam] Pertinet haec particula ad *est*, non ad *Gallos.* ceterum praeter illos qui statim post commemorantur, ipse Tacitus infra c. 43, 1—4. affert Cotinos et Caesar b. g. VI 24: *ea quae fertilissima Germaniae sunt loca circum Hercyniam silvam* [*erchynu* = elevare, Zeus gr. celt.[2] pg. 895, nunc vocatur rauhe alp] *Volcae Tectosages occupaverunt atque ibi consederunt.* quae nationes etsi videntur Taciti aetate evanuisse, memorabile tamen nationis nomen (Walch, Wälsch) apud nos aeque invaluisse in totius gentis Gallorum nomen, atque apud illos Alamannorum, qui eisdem fere locis habitabant.

quantulum enim cet.] i. e. *parum enim.* Eadem probandi forma Tacitus utitur Agric. 15. *Quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent?* Ann. III 53. *Quantulum istud est, de quo aediles admonent?* Hist. V 25.

evaluerat] i. e. ad vim quandam et potentiam pervenerat.

promiscuas] i. e. omnibus sine discrimine patentes; cf. c, 44, 9.

divisas] id est: *nondum a regibus occupatas ac possessas;* scilicet possessio non poterat fieri, quin terrae nullius adhuc domini *dividerentur* inter occupantes.

6. *Hercyniam silvam*] Antiquissimis temporibus, quibus universa Germania silvis horrida erat, Hercynia silva indefinito ac latissimo ambitu saltuosas regiones complectebatur, quae transversae per Germaniam inde a Nigra silva usque ad Carpathicos montes et Sudetos porrigebantur. cf. Caes. b. g. VI 25. Tac. Ann. II 45. Plin. n. h. XVI 2. de nomine supra diximus.

Helvetii] Non loquitur Tacitus de eis Helvetiis, qui iam fixas in Helvetia sedes habebant, sed qui multo ante, quum ea gens latius in Galliam se extenderet, inde in Germaniam transgressi erant. Gallis eos annumerat etiam Hist. I 67. *Helvetii, Gallica gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara.* cf. Caes. b. g. I 1. *Helvetii reliquos Gallos virtute praecedunt, quod fere quotidianis proeliis cum Germanis contendunt, quum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.*

ulteriora] Bavariae et Bohemiae partem.

utraque gens, tenuere. manet adhuc Boihaemi nomen, significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis, Germanorum natione, an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, quum eodem adhuc sermone institutis moribus utantur, incertum est, quia pari olim inopia ac libertate eadem utriusque ripae bona malaque erant. Treveri et Nervii circa affectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur. ipsam Rheni ripam haud dubie Ger-

8. *manet*] = exstat; cf. c. 29, 5. 37, 3.

significatque] i. e. nomen *Boihaemi* (i. e. Boiorum sedes, *haims*) quasi *signum est loco impressum*, quo vetus memoria cognoscitur.

10. *ab Osis, Germanorum natione* etc.] i. e. „*incertum est, utrum Osi Germanorum natio fuerint et ab iis Aravisci in Pannoniam venerint, an Osi ab Araviscis, Pannonica natione, in Germaniam commigraverint.*“ quae inter hunc locum et c. 43, 4. *Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos*, intercedit discrepantia, eo redit, quod Tacitus primo de Germanica Osorum origine incertus fluctuat, postea dubitatione abiecta linguam Pannonicam pro certo argumento peregrinae originis habet. *Osi* habitasse videntur haud multum a fontibus Viaduae et Vistulae ad saltum Carpathicum versus; *Aravisci* in dextra Danuvii ripa inter Vindobonam et Arrabonem oppida.

quum] i. e. *quamquam;* v. ad c. 36, 8.

eodem] sc. quo Aravisci utuntur.

utriusque ripae] sc. Danuvii. — *Bona malaque* per chiasmum (cf. c. 18, 5.) referuntur ad *inopia ac libertate.* — Argumentatio hanc vim habet, ut ostendatur, causam non fuisse, cur alterutri in alteram Danuvii ripam transgrederentur.

14. *Treveri* etc.] sedes habuerunt ad utramque ripam Mosellae; de iis cf. Caes. b. g. VIII 25. *Nervii* inter Mosam et Scaldim.

circa affectationem — originis] i. e. *quod attinet* ad affectationem = *in eo, quod cupide Germanicam originem sibi vindicant*, vel *quod pro Germanis haberi volunt.* — De vi *affectatio* vocis v. ad c. 5, 18.

ultro] i. e. *adeo* = *eo procedunt*, ut ambitiosi sint; Agric. c. 19.

a similitudine et inertia] i. e. *a similitudine inertiae.* Inertia autem quum sit attributum Gallorum, attributivus genitivus *inertiae Gallorum* sensu non differt ab eo, quod est *inertium Gallorum.*

17. *ripam*] et hoc et aliis locis *ripa* vox non nimis stricto sensu accipienda *satis latum tractum, qui secundum Rhenum ac Danuvium porrigitur*, significat.

haud dubie] Hae voces non ad *colunt*, sed ad *Germanorum populi* pertinent. nam omnes gentes, ubicunque colunt, ibi *haud dubie colunt.* huius autem loci sententia est: Rheni ripam incolentes *haud dubie Germanorum populos esse.* Quare id breviloquentiae genus hic obtinet, quo adverbium ad substantivum relatum vim enuntiati attributivi habet, quae ratio h. l. sic constat: „*ipsam Rheni ripam*

manorum populi colunt, Vangiones Triboci Nemetes. ne Ubii quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint ac liben-
20 tius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati ut arcerent, non ut custodirentur.

XXIX. Omnium harum gentium virtute praecipui Batavi non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Chattorum quondam populus, et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent.

ii, qui haud dubie Germanorum populi sunt, incolunt" v. ad c. 8, 3.

Vangiones Triboci Nemetes] cf. Caes. b. g. I 51. Plin. n. h. IV 31. Hae nationes in sinistra Rheni ripa erant, iis fere regionibus, quibus hodie Alsatiae et Palatinatui Rhenano nomen est.

Ubii] nomen Muellenhoffio interprete significat luxuriosos ac superbos (Ueppige).

meruerint] i. e. suis in populum R. meritis consecuti sint, ut colonia fierent. Merita illa satis antiqua fuere, quippe quae eo constabant, quod Ubii mature se ad Caesaris applicaverant amicitiam; cf. b. g. IV 8. IV 11. IV 16, IV 19, VI 29.

libentius — vocentur] cf. Hist. IV 28. *Actae utrobique praedae infestius in Ubiis, quod gens Germanicae originis eiurata patria Romanorum nomen Agrippinenses vocentur.*

conditoris sui] i. e. Agrippae. Erravisse se hoc loco postea sensit Tacitus correxitque Ann. XII 27. *Sed Agrippina, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius.* (a. 50 p. Chr. n.) *ac forte acciderat, ut eam gentem Rhenum transgressam avus Agrippa in fidem acciperet* (a. 38 ante Chr. n.).

erubescunt] cf. c. 13, 9. *Nec rubor inter comites aspici.*

transgressi olim] Caesaris tempore in dextra Rheni ripa colebant: postea ab Agrippa transducti sunt. Sueton. Aug. c. 21. Strabo IV 3.

experimento] Ablat. causalis est, = *propter expertam et probatam fidem suam.*

super — ripam] i. e. *in ipsa — ripa.*

ut arcerent] Absolute = *ut propugnaculo essent.*

XXIX. *Batavi*] paenultima longa, Iuven. VIII 51. Martial. VI 82, 6. VIII 33, 20. Sil. Ital. III 608. Unus Lucanus I 43. *Vangiones Batavique truces cet.* ipsum autem nomen paene vertit T. ‚virtute praecipui,' a rad. *bat* = praestans.

non multum ex ripa cet.] i. e. parvam quidem ripae partem, sed *totam* insulam. cf. Hist. IV 12. *Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Chattorum, seditione domestica pulsi extrema Gallicae orae vacua simulque insulam inter vada sitam occupavere, quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit.* De Batavis cf. praeterea Ann. II 6. Caes. b. g. IV 10.

in quibus — fierent] Coniunctivus repetendus ex latente notione *fati, sic volentis, ut pars — fierent;* cf. Agric. 34. *Defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis.*

manet honos et antiquae societatis insigne. nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit; exempti oneribus et collationibus et tantum in usum proeliorum sepositi velut tela atque arma bellis reservantur. est in eodem obsequio et Mattiacorum gens. protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum ultraque veteres terminos imperii reverentiam. ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et caelo acrius animantur.

Non numeraverim inter Germaniae populos, quamquam trans Rhenum Danuviumque consederint, eos, qui decumates agros exercent. levissimus quisque Gallorum et inopia audax

5. *manet*] v. ad c. 28, 8.

insigne] i. e. *signum* sive *documentum*, sc. quo antiqua societas cognoscitur. Id *insigne* quale fuerit, sequentia per *nam* adiuncta declarant.

nec tributis contemnuntur] i. e. nec ut victis et ob impotentiam contemptis tributa iis imponuntur.

atterit] *Atteruntur* quae paulatim fracta et imminuta vim suam atque robur amittunt; cf. Hist. I 89. (Intenta alimentorum pretia) *motu Vindicis haud perinde plebem attriverant.* Ceterum proprium Taciti ut h. l. *contemnuntur* — *atterit* et subiectum et genus verbi mutare: Hist. III 77. *reliquae* (naves) *captae aut pressas mare hausit.*

exempti oneribus cet.] *Onera* sunt tributa statuta et annua; — *collationes* munera extraordinaria, principi tum ob secundas quasdam res tum ob adversas oblata, interdum vero etiam ab eo extorta. — Ipsi Batavi memorant Hist. IV 25 *sibi non tributa, sed virtutem et viros indici.*

tantum — *sepositi*] Contra vulgarem usum *tantum* adverbium haud raro a Tacito praemittitur; cf. c. 4, 6. 19, 10. 40, 19. 41, 9. Agric. 7. — Ad *sepositi* cf. Agric. c. 31. *Ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Ann. XIII 55. De re ipsa v. Hist. IV 12. *Nec opibus Romanis, societate validiorum, attriti viros tantum armaque imperio ministrant.* *arma* (arceo) *tela* waffen zu schutz und trutz. cf. c. 33, 6.

9. *Mattiacorum gens*] sedem habebat ad Taunum montem (Wiesbaden). *obsequium* cf. c. 40, 2. 43, 28.

in sua ripa] i. e. in patria terra.

agunt] i. e. vivunt, sunt; cf. 17, 3. 46, 4. Sall. Iug. c. 55.

cetera] v. ad c. 17, 2.

ipso adhuc — *caelo*] i. e. *eo. quod adhuc* antiquam patriam incolunt, neque, ut Batavi, alienas sedes habent.

acrius animantur] i. e. acriore patriae sensu incitantur.

decumates] hoc voc. nusquam alibi invenitur, sed ut supernas, infernas (abies), ita videntur decumates agri idem esse quod decumani, i. e. qui decimam pendunt.

exercent] i. e. *colunt ac laboriose tractant;* Agric. c. 31. Ann. XII 43. XIII 54.

dubiae possessionis solum] Ita dicuntur decumates agri, tum quia a Romanis, qui condicione decuma-

dubiae possessionis solum occupavere; mox limite acto promotisque praesidiis sinus imperii et pars provinciae habentur.

XXX. Ultra hos Chatti (initium sedis ab Hercynio saltu incohatur) non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae civitates, in quas Germania patescit, durant; siquidem colles paulatim rarescunt, et Chattos suos saltus Hercynius pro-
5 sequitur simul ac deponit. duriora genti corpora, stricti artus, minax voltus et maior animi vigor. multum, ut inter

rum eos concesserant, rursus poterant adimi, tum quia Romani ipsi non satis certi domini erant, omissuri, si hostes acrius instarent.

limite acto] *Limes* (v. Agric. 41.) h. l. est ingens illud vallum, crebris castellis munitum, quod primo ad arcendas hostium irruptiones inde a Rheno usque ad Danuvium pertinebat, postea plurimum valuit ad culturam Romanorum Germanis inferendam. — *Limitem agere* est *facere*, *instituere*, quia limes, dum fit, in longitudinem protenditur.

habentur] Grammaticum subiectum sunt *Galli decumates agros exercentes;* sed praedicatum ita comparatum est, ut *hominum* notio commutetur cum *terra*, quam incolunt. *provinciae* i. e. Germaniae superioris, de qua egit Marquardt RSV. I 125.

XXX. 1. *ultra hos*] sc. septentrionem et orientem versus. — *hos* i. e. *decumatium agrorum cultores.*

initium — durant] *incohatur* est opt. cod. lectio, neque *initium incohare* habet ullam offensionem, cum idem Tacitus dicat *orto initio* Ann. I 31. II 1. Hist. I 39. 76. III 14. 44; *et principium anni incipere* Ann. XIII 10. deinde verba *initium — incohatur* cum L. Urlichsio parenthesi inclusimus, ut idem significent, quod: 'quorum sedes initium capiunt'; denique *durant* scil. Chatti apte opponitur *solo dubiae possessionis*, de qua modo dictum erat. *effusa* loca sunt *longe patentia;* cf. Vell. II 43: *Effusissimum Adriatici maris traiecit sinum.* — *Palustrem* fuisse Germaniam, supra iam dictum 5, 2: *paludibus foeda.* — Ad verba *ut ceterae civitates* supplendum *sunt; civitates* autem hic *loca* non *homines* designant.

Chattos suos saltus Hercynius prosequitur cet.] Audaci personificatione *saltui Hercynio* tribuitur, quod *hominum in eo saltu* est. Sensus enim est: Chatti saltus Hercynii tractum sequuntur = per saltum Hercynium porriguntur, et ubi desinit, in plana se extendunt. — *Chattorum* et nomen et sedes hodie quoque manet; *Hassi* enim veteres sunt Chatti.

5. *stricti*] i. e. torosi ac robusti. *Strictum* enim (Germ. *stramm*) opponitur *soluto*, *laxo*, *flaccido*, *molli;* cf. c. 17, 4.

ut inter Germanos] non cum contemptu dictum: 'quamquam disciplinae Romanorum imperiti sunt'. est autem duplex partic. *ut* comparat. usus et vis, una explicativa: c. 2, 14. *quidam, ut in licentia vetustatis, pluris deo ortos affirmant* i. e. quoniam hanc licentiam dat vetustas, 2, 6. *ut inter vinolentos.* Agr. 11. Hist. I 4. 34. 55. 90. II 34. 73. III 33. 59. 71. IV 33. Ann. I 65. II 82. IV 62. Plane alia est nostri loci ratio, ubi *ut* praedicatum restringit. cf. Cic. de orat. II 54. *Caelius ut homo neque doctus neque aptus*

Germanos, rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intellegere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, quodque rarissimum nec nisi 10 Romanae disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu. omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant. alios ad proelium ire videas, Chattos ad bellum; rari excursus et fortuita pugna; equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, 15

ad dicendum — vicit tamen superiores; id. Brut. 27. *Pisistratus multum ut temporibus illis valuit dicendo.*

praeponere — audire — nosse etc.] Infinitivi sunt nominativi appositionis ad verba *multum sollertiae* pertinentis, qua, quibus rebus constet illa sollertia, declaratur; cf. Sall. Cat. 29. *Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque civis, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere.*

nosse ordines] Quum omnis Chattorum sollertia ad rem militarem referatur, *ordines* sunt *militares*, ad certum modum atque numerum instituti, sine quibus disciplina et ratio militaris esse nequit. Unde *ordines habere, signa sequi, imperium observare*, ut est apud Sall. Iug. 80. primum fuit in Romana militia.

occasiones] sc. hostes ex improviso circumveniendi. Hoc quoque militare vocabulum est; Agric. c. 14.

differre impetus] i. e. *non caeco* impetu uti; cf. v. 14.

disponere diem] *dies* per metonymiam dicitur pro *muneribus militiae die peragendis*, qualia sunt pabulari, aquari, stationes obire, armis exerceri. — *disponere* valet apte partiri atque ordine facere.

vallare noctem] i. e. vallum facere *ad securitatem noctis* = *ut noctu tuti sint;* adverbialem praedicati declarationem Tac. in obiectum commutavit. v. ad c. 45, 12. *frumenta — laborant.*

fortunam inter dubia] cf. Liv. XXII 25, 14. *Bono imperatori haud magni fortunam momenti esse; mentem rationemque dominari.*

concessum] Quod uni *concessum*, id ceteris negatum, neque cum illo commune; quare non differt ab eo, quod est alicui *proprium et peculiare.*

12. *robur in pedite*] cf. Agric c. 12, supra c. 6, 13.

super arma] i. e. ad hoc, quod arma portat, cet. vel: *non solum* armis, *sed etiam* ferramentis — *onerant;* cf. 32, 3. 43, 18. Agric. c. 17.

ferramentis] i. e. instrumentis ferreis, velut securibus, ligonibus, rastris, serris, quae apud Romanos ad impedimenta pertinebant, plaustris vecta; cf. Caes. b. g. V 42.

copiis] i. e. utensilibus, cibariis; v. Agric. 22. 25.

ad bellum] sc. quod poscit *prudentiam, artem, consilium*, quum ad proelium *viribus* modo et *impetu* opus sit.

equestrium — virium] i. e. gentium, quae equitatu valent, quarum robur in equite. — Universa haec observatio pertinet ad verba *for-*

cito cedere; velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiae est.

XXXI. Et aliis Germanorum populis usurpatum raro et privata cuiusque audentia apud Chattos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque submittere, nec nisi hoste caeso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum.
5 super sanguinem et spolia revelant frontem, seque tum demum pretia nascendi rettulisse dignosque patria ac parentibus ferunt. ignavis et imbellibus manet squalor. fortissimus quisque ferreum insuper anulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat. plu-

tuita pugna, quae eadem est atque *equestris,* Chattis, quia iis in pedite robur est, insolita et parum usurpata. quare nexus sequentium verborum cum praecedentibus est causalis, *nam* particulâ supplendâ declarandus.

cito — cedere] cf. Sall. Hist. fr. inc. 21. *More equestris proeli sumptis tergis atque redditis.*

velocitas iuxta formidinem] Asyndeta horum verborum ratio sic expedienda: *at apud Chattos* velocitas etc. facilius id apparebit, si reputaveris, praegressum *sane*, quod concedendi vim habet, non differre a *quidem.* — *Iuxta* h. l. adiectivi instar est. Nam quod *iuxta aliq. rem* est, quia eodem loco atque numero est, ei rei *par* est vel ab ea *non diversum;* cf. Ann. VI 42. *Populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est.*

cunctatio] quae posita est in *differendo impetu*; cf. v. 8.

XXXI. 1. *usurpatum raro*] Enuntiati conformatio haec est, ut subiectum sit *submittere nec — exuere,* appositio subiecti *usurpatum raro* = *res raro usurpata,* praedicatum *in consensum vertit.* Agric. 1 init. *Clarorum virorum facta moresque posterist radere, antiquitus usurpatum, ne nostris quidem temporibus — aetas omisit.*

et privata — audentia] His verbis artius circumscribitur *raro* vocis potestas; quare *et* valet *et quidem;* v. ad c. 14, 13. 38, 8. — *audentia* Tacito dicitur pro *audacia;* cf. c. 34, 10. Ann. XV, 53.

obligatumque virtuti oris habitum] i. e. oris habitum, *quo se virtuti obligarunt;* quippe adverbiale attributum ad obiectum translatum est.

5. *super sanguinem* cet.] i. e. quasi superstantes *sanguinem* = *sanguine hostis fuso ac spoliis captis.* Metaphora ducta a *fundamento*, quod quasi *condicionis* instar est.

tum demum] sc. quum hoc fecerunt; cf. c. 11, 11.

ignavis et imbellibus] v. ad c. 12, 3.

ferreum anulum] cf. Plin. n. h. XXXIII 8. *Prometheo quoque ferreum anulum dedit antiquitas, vinculumque id, non gestamen intellegi voluit.* Chatti igitur anulo ferreo Marti se emancipaverunt.

absolvat] sc. ignominia, qua quasi vinctus tenetur.

plurimis — placet habitus] = plurimi sibi placent in hoc habitu. supplendum autem: eamque ob causam saepius eum anulum resumunt, quo denuo ad caedendum hostem obligentur. cf. ad c. 18, 4.

rimis Chattorum hic placet habitus, iamque canent insignes 10
et hostibus simul suisque monstrati. omnium penes hos initia
pugnarum; haec prima semper acies, visu nova. nam ne in
pace quidem cultu mitiore mansuescunt: nulli domus aut
ager aut aliqua cura; prout ad quemque venere, aluntur, pro-
digi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam 15
durae virtuti impares faciat.

XXXII. Proximi Chattis certum iam alveo Rhenum,
quique terminus esse sufficiat, Usipi ac Tencteri colunt.

iamque canent] Insigni brevitate, quam efficit *iam* particula, hoc significatur: ac *tam diu in hoc habitu permanent*, *etiam caeso hoste*, *ut* iam caneant = iam senes fiant.

insignes] Hoc non intelligendum de *honore* iis ob virtutem habito sed de *habitu aspectuque* a ceteris discrepante *ac prorsus singulari.*

monstrati] Ita per metonymiam dicuntur, qui *notabiles* sunt, et *in quos oculi coniciuntur;* cf. Hist. I 88. *Dolabella — vetusto nomine et propinquitate Galbae — monstratus.* Horat. C. IV 3, 22. *monstror digito praetereuntium.*

penes hos] v. ad c. 6, 13.

haec — acies] i. e. *hi* primam — aciem efficiunt, v. ad c. 3, 6.

nova] i. e. insolita (v. Sall. Cat. 51, 8. 18. Caes. b. g. VI 39. Tac. Ann. XV 30.) eoque horrenda, sc. hostibus; cf. c. 43, 22. *Nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum.* Ann. XIV 30. *Druidae — novitate aspectus perculere milites.*

nam ne in pace quidem etc.] Haec causam afferunt, cur illorum anulatorum acies *visu nova sit.*

cultu mitiore mansuescunt] i. e. feritatem suam deponunt *cultum mitiorem agentes.* ablativus instrumentalis transiit in modalem.

14. *aliqua cura*] i. e. *alicuius rei cura.* Ita c. 22, 11. *simplices cogitationes* sunt *simplicium rerum cogitationes.*

prodigi alieni, contemptores sui] Tacito obversatus videtur locus Sallustii Cat. 5. *Alieni appetens, sui profusus.*

exsanguis] i. e. confecta, viribus defecta.

durae] *Dura* h. l. dicitur virtus, quae per totam vitam incultu, inopia ac ferocitate constat, ab omni humanitate aliena.

donec — faciat] v. indicem s. v.

XXXII. *certum iam alveo*] i. e. insulis non impeditum ac divisum, sed *uno alveo euntem;* quippe Rhenus ipse dicitur certus, cuius *alveus* certus est. opponitur haec inferioris Rheni facies *superiori.* Pomp. Mela III 3, 24. *mox diu solidus Rhenus et certo alveo lapsus.*

Rhenum — colunt] i. e. Rheni ripam accolunt; cf. c. 28, 18.

quique — sufficiat] i. e. ac satis latum et profundum, ut *iustum terminum* efficiat. praegnanti enim sensu positum *termini* vocabulum.

Usipi] ita cod. Taciti plerique, ut Agric. 28. 32. Hist. IV 37. Ann. XIII 55. 56, Strabo, Plutarch. Contra *Usipites* cod. Med. Ann. I 51. et apud Caes. b. g. IV 1. 4. 16. Cassii Dionis codices fere omnes. incolebant autem usque ad Lupiam flumen, quam regionem Sugambri quondam obtinuerant. Notitia gen-

Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinae arte praecellunt, nec maior apud Chattos peditum laus quam
5 Tencteris equitum. sic instituere maiores, posteri imitantur. hi lusus infantium, haec iuvenum aemulatio; perseverant senes. inter familiam et penates et iura successionum equi traduntur; excipit filius non, ut cetera, maximus natu, sed prout ferox bello et melior.

XXXIII. Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant; nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis vicinarum consensu nationum seu superbiae odio, seu praedae dulcedine, seu favore quo-
5 dam erga nos deorum; nam ne spectaculo quidem proelii invidere: super sexaginta milia non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt.

tium init. saec. IV. vel paulo post conscripta (Müllenhoff Germania antiqua pg. 158 v. 14.) habet haec nomina: *Usipiorum Tubantium Tencterorum.*

Hi lusus] *Hi* subiectum enuntiati est, attractione mutatum, pro: *hoc*, sc. rei equestris studium; v. ad c. 3, 6.

7. *Inter familiam* etc.] *Inter* h. l. significat aliquid simul cum pluribus rebus fieri; quare sensus est: *quum familia traditur et penates et iura*, simul etiam equi traduntur. — *Familia* = *servi;* v. ad c. 15, 5.

penates] i. e. domus ipsa cum eius moderandae potestate; v. ad c. 15, 3.

iura successionum] Intellegi videntur constitutiones de adeunda hereditate, si vel plures liberi essent, vel plane nulli; cf. c. 20, 14.

prout ferox] i. e. prout unus aliquis ex filiis ferox est. — *ferox bello* est, qui ingentem animum gerit in bello; v. Agric. 11. 27.

melior] sc. *ceteris.* quanam re melior sit, e nexu patet, sc. *bellicoso animo et virtute bellica.* cf. Hist. IV 61. *Ceterum Civilis neque se neque quemquam Batavum in verba Galliarum adegit, fisus Germanorum opibus, et, si certandum adversus Gallos de possessione rerum foret, inclitus fama et potior*, sc. Gallis.

XXXIII. 1. *Bructeri*] habitabant inter Ruram, Amisiam, Lupiam. cf. Hist. IV 21. 61. 77. V 18. Ann. I 51. 60. XIII 56. — *Chamavi* et *Angrivarii* magis orientem versus ab utraque parte Visurgis habitasse videntur; cf. Ann. II 19. 41. XIII 55.

consensu] *Consensus* quum h. l. hostilis sit, commode peregrino vocabulo *coalition* redditur. — De duobus ablativis diversae potestatis uni praedicato iunctis, quorum alter h. l. instrumenti, alter causae est, v. Agric. 20. infra c. 46, 13.

spectaculo invidere] Tac. ut Cicero dativum adiungit invidendi verbo ut h. l. Ann. XIII 53. *invidit operi Aelius Gracilis*, XV 63. *non invidebo exemplo.*

oblectationi oculisque] = *oblectationi oculorum*, sc. tanquam gladiatores in circo depugnantes. De structura v. ad c. 12, 14. ceterum

maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare Fortuna maius potest quam hostium discordiam. 10

XXXIV. Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgubnii et Chasuarii cludunt, aliaeque gentes haud perinde memoratae; a fronte Frisii excipiunt. maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est ex modo virium. utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur, ambiuntque immensos insuper 5 lacus et Romanis classibus navigatos. ipsum quin etiam Oceanum illa temptavimus, et superesse adhuc Herculis columnas fama volgavit, sive adiit Hercules, seu, quidquid ubique magnificum est, in claritatem eius referre consensimus. nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit Oceanus in se 10

oppositio non fit ex aequo, ut pares casus sibi respondeant, sed ablativo instrumenti ex adverso positus dativus finalis.

quando] Temporalis particulae potestas transit in causalem; v. Sall. Iug. 102. Tac. Ann. I 57. IV 6.

urgentibus fatis] i. e. quoniam urgent, instant imperii fata. Tacitus enim (Hist. IV 26. *fatum et ira dei*, 54. *fatali igne signum caelestis irae datum*), Plinius, Seneca perniciem imminere et exitium a gentibus septentrionis sibi persuadebant, nisi populus Romanus ad pristinam morum integritatem reverteretur.

XXXIV. 1. *a tergo*] introrsus i. e. orientem versus, ad Visurgim.

Dulgubnii] ita Iacobus Grimm GDS 623; incolebant cum Chasuariis (Hase fl.) inter Amisiam superiorem et Lupiam.

haud perinde] sc. *atque hae* = *minus;* v. ad c. 26, 9.

a fronte] sc. occidentem versus, ad Amisiam.

Frisii] eam partem Germaniae, quae spectat inter occidentem et septentrionem, obtinent; praeter Chattos soli Germanorum et nomen et sedem retinuerunt. Frisios primum (a. 12. a. Chr. n.) Drusus vicerat (Annal. IV 72.); anno 28 p. Chr. cum seditionem fecissent, a Domitio Corbulone (a. 47) pacati sunt (Ann. XI 20.).

excipiunt] i. e. sequuntur, proximi sunt.

4. *vocabulum*] = *nomen;* cf. Ann. XII 66. *Deligitur artifex talium vocabulo Locusta.* XIII 12. *Delapso Nerone in amorem libertae cui vocabulum Acte fuit.* v. c. 2, 17.

ex modo] cf. c. 12, 7. *pro modo.*

praetexuntur] i. e. finiuntur, includuntur. metaphora ducta a toga, cuius margo limbo purpureo circumclusus est, cf. Plin. n. h. VI 25. *Qui* (montes) *omnes eas gentes praetexunt.* eodem modo dicitur *praetendi*; cf. Ann. II 56. *Armenia — nostris provinciis late praetenta penitus ad Medos porrigitur.*

7. *illa*] = ibi; cf. Ann. II 17. Hist. III 8. V 18.

fama] non Germanorum, sed Graecorum scriptorum; v. ad c. 3, 1.

referre consensimus] i. e. consensu referimus.

10. *audentia*] v. ad c. 31, 2.

Druso Germanico] Fuit is Au-

simul atque in Herculem inquiri. mox nemo temptavit, sanctiusque ac reverentius visum de actis deorum credere quam scire.

XXXV. Hactenus in occidentem Germaniam novimus. in septentrionem ingenti flexu redit. ac primo statim Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisiis ac partem litoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Chattos usque sinuetur. tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent, populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri. sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. id praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, ut superiores agant, non per iniurias assequuntur.

gusti privignus, Tiberii frater minor natu, quem Tacitus Hist. V 19. eodem modo appellavit *(diruit molem a D. G. factam)*. Drusus anno a. Chr. 12. ἔς τε τὸν ὠκεανὸν διὰ τοῦ Ῥήνου καταπλεύσας τούς τε Φρισίους ᾠκειώσατο καὶ ἐς τὴν Χαυκίδα διὰ τῆς λίμνης ἐμβαλὼν ἐκινδύνευσε, τῶν πλοίων ὑπὸ τῆς τοῦ ὠκεανοῦ παλιρροίας ἐπὶ τοῦ ξηροῦ γενομένων. Cassius Dio 54, 32. Suet. Claud. 1. Drusum dicit *primum Romanorum ducum Oceanum septentrionalem navigasse*, de qua re Augustus in mon. Ancyrano V 14. (Bergk): *classis Germanica Oceanum ab ostio Rheni ad solis orientis regionem usque ad sinum Codanum navigavit, quo neque terra neque mari quisquam Romanus ante id tempus adit.*

obstitit — inquiri] Accus. c. infinit. inde repetendus, quod *obstitit* sensu non differt a prohibendo; sed est ἅπαξ εἰρ. Cf. Dräger synt. §. 146.

mox] v. ad c. 2, 21.

sanctiusque] *Sanctum* dicitur, quodcunque a contagione impura et profana remotum est. hinc haud raro ponitur pro *pio et religioso.*

de actis — credere] Quum verba transitiva obiecti loco cum *de* praepositione construuntur, transitiva vis paene cessat; quo fit, ut obiecti notio ita extenuetur, ut fere in adverbii modalis potestatem abeat. Ita *de actis* est *respectu actorum.* —

XXXV. 1. *Hactenus*] De loco dictum valet *usque ad hunc terminum;* cf. ad c. 25, 4. Agric. c. 10.

ingenti flexu] v. ad c. 1, 3.

2. *Chaucorum gens*] obtinebat totam regionem quae ad Oceanum est inter Amisiam et Albim.

obtenditur] i. e. adiacet et ex adverso porrigitur; cf. Agric. 10.

7. *malit iustitia tueri*] sc. quam vi et iniuria; v. ad c. 26, 9.

sine impotentia] i. e. sine immoderato *imperandi* studio; cf. c. 36, 3.

secretique] i. e. nullo commercio mixti cum aliis nationibus, remoti a finitimorum coniunctione et commercio.

nullis raptibus etc.] De negatione ad praedicatum pertinente v. ad c. 19, 1.

prompta tamen omnibus arma, ac, si res poscat, ad exercitus plurimum virorum equorumque; et quiescentibus eadem fama.

XXXVI. In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem inlacessiti nutrierunt, idque iucundius quam tutius fuit, quia inter impotentes et validos falso quiescas; ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc 5 inertes ac stulti vocantur; Chattis victoribus fortuna in sa-

12. *si res poscat*] Haec formula satis usitata absolute, nullo addito obiecto ponitur; cf. c. 6, 4. 44, 6. Hist. I 79. II 5. Dial. 31. Sall. Iug. 12. 17. 35. Liv. XXXV 35. Plin. ep. VII 12. X 33.

ad exercitus] cod. omnes habent *exercitus plurimum virorum equorumque* idque retinuerunt Haupt Müllenhoff Halm. sed cum videretur abundantia esse, alii alia coniectaverunt, Nipperdey cum Walchio eiecit *exercitus*, id quod ideo probandum non est, quod nemo umquam hunc librum interpretando auxit; Reifferscheid post *plurimum* addidit *enim*. mihi levius locum emendasse videor, ut sententia sit: si quando bellum gerendum est, copiae non desunt ad parandos exercitus. cf. Caes. b. g. III 17. *Virodovix exercitum magnasque copias coegerat;* i. e. milites bene instructos, iustum exercitum, praeterea *plurimum virorum equorumque* (cf. Schneideri not. ad h. l.).

quiescentibus] i. e. pacem agentibus. Ita *quies* opposita *bello* c. 15, 6. 40, 14.

eadem fama] sc. quae in bello; v. ad c. 26, 9.

XXXVI. 1. *Cherusci*] 'silva quae appellatur Bacenis Cheruscos a Suebis prohibet (Caes. b. g. VI 10); incolebant inter Albim et Visurgim, ab Angrivariis lato aggere dirempti (Ann. II 19.).

marcentem] i. e. desidiosam et inertem; quae enim *marcent*, sucum atque robur perdiderunt.

nutrierunt] i. e. coluerunt auxeruntque.

3. *tutius*] *Tutum* h. l. est, quod tutos praestat; v. Agr. 30. *Arma — etiam ignavis tutissima sunt. — iucundius quam tutius* cum scriptoribus classicis Tacitus scripsit Dial. 36. 37. Agric. 6. 31. 42. Germ. 20. Hist. I 45. II 47. Postea paulatim ab hac ratione discessit, cf. c. 6, 20.

impotentes] i. e. temperare sibi nescientes, quominus alios iniustis de causis invadant; cf. c. 35, 8.

falso quiescas] i. e. si quiescas spe securitatis, oppido fallaris. *falso* adverbium enim non *modum* quiescendi sed *iudicium* de quiescendo continet; v. Sall. Hist. fr. I 49. *Pravissume per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit.* De sententia ipsa cf. Tac. Agric. c. 30. *Romanorum superbiam frustra per obsequium ac modestiam effugeris.*

ubi manu agitur] i. e. ubi vi atque armis certatur.

nomina superioris sunt] i. e. victor sibi arrogat nomen modestiae ac probitatis, quam non habet, at victis imponuntur nomina immodestorum et improborum.

5. *qui — boni aequique*] sc. vocati sunt; v. ad c. 2, 18. Sunt autem propterea ita vocati, quod „*pacem nutriebant.*“

pientiam cessit. tracti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens; adversarum rerum ex aequo socii sunt, quum in secundis minores fuissent.

XXXVII. Eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens. veterisque famae lata vestigia manent utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis
5 et tam magni exitus fidem. sescentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, quum primum Cimbrorum audita sunt arma Caecilio Metello et Papirio Carbone consulibus. ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus,

in sapientiam cessit] i. e. Chattorum victoria, fortunae debita, eorum sapientiae tribuitur.

tracti] i. e. *implicati et correpti;* cf. Ann. VI 26. *Agrippinae pernicies — Plancinam traxit.* ib. I 31. *Miles in rabiem prolapsus est orto ab unetvicesimanis quintanisque initio et tractis prima quoque ac vicesima legionibus.* Hist. III 29. *ruina sua traxit.*

ex aequo] i. e. *aequaliter, aequa ratione.* Agric. c. 20. *Multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, — iram posuere.*

quum] = *licet, quamvis;* cf. 28, 12. 41, 6. Agric. 21.

minores] i. e. non ex aequa = *inferiore* condicione.

XXXVII. *Eundem G. sinum*] Videtur totum hoc caput ceteris partibus conscriptis eo consilio adiectum esse, ut cum Cimbrorum mentione denuo pericula ostendantur quae a Germanis imminent; v. c. 33. extr. primum enim verba *eundem — sinum* pertinent ad Chaucos (*ingens flexus* c. 35.), non ad Cheruscos, praeterea post c. 36. Cheruscis c. 38. aptissime adiunguntur Suebi; denique cum haec Tacitus scripsit, Cimborum exiguae videntur fuisse reliquiae. cf. Plin. n. h. IV 69. *mons Saevo immanem ad Cimbrorum usque promunturium efficit sinum;* Ptolem. II 11, 12. *πάντων ἀρχτικώτεροι Κίμβροι.* neque vero Tacitus quidquam de Cimbris affert, nisi quod parvam esse eam civitatem dicit; statim enim ad Danuvium ac Rhenum *(utraque ripa)* digreditur.

castra ac spatia] = *castrorum spatia,* vel *spatiosa castra;* v. ad c. 12, 4. — Pariter *molem manusque* dictum pro: *molem manuum,* = *ingentem hominum vim.* Manus enim h. l. propriam potestatem retinet.

exitus] i. e. *profectionis ex sedibus patriis quum Galliam peterent.* Eodem sensu *exire* verbum legitur apud Caesarem b. g. I 5: *Helvetii id, quod constituerunt, facere conantur, ut e finibus suis exeant.* I 33: *Neque sibi homines feros — temperaturos existimabat, quin — in provinciam exirent.*

7. *Caecilio Metello et Papirio Carbone*] a. 113. a. Chr. n. u. c. 641. numero rotundo Tac. et hic et statim post utitur. male nonnulli ediderunt *ac*, scripsi cum optimis codicibus ex usu optimorum scriptorum ipsiusque Taciti, qui numquam in coniungendis consulum nominibus *ac* part. adhibuit; inde corrige Draeg. synt. §. 112. Nipp. ad Ann. IV 68.

ad alterum — consulatum] a. 98.

ducenti ferme et decem anni colliguntur. tam diu Germania vincitur. medio tam longi aevi spatio multa invicem damna. 10 non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. quid enim aliud nobis quam caedem Crassi, amisso et ipse Pacoro infra Ventidium deiectus oriens obiecerit? at Germani Carbone et Cassio, et Scauro Aurelio, 15

p. Chr. n. patet ex hac annorum computatione Germaniae libellum hoc anno a Tacito esse editum.

vincitur] cum acerbitate quadam dictum, ut postea, v. 24, *triumphati magis quam victi sunt;* nihil ait profici vanis illis Caesarum victoriis et triumphis.

invicem damna] *Invicem* ad *damna* pertinens vim habet enuntiati attributivi; sensus enim est: multa damna, *quae invicem illata sunt,* = *damna mutua*, sc. accepta sunt. cf. 22, 8. *de reconciliandis invicem inimicitiis.* Liv. IX 3. *his invicem sermonibus — nox traducta est.* in eandem sententiam locutus est Vell. II 8. *Tum Cimbri et Teutoni transcendere Rhenum multis mox nostris suisque cladibus nobiles.*

admonuere] Absolute positum verbum plenam sententiam hanc habet: admonuere *nos de inconstantia fortunae.* cf. Hist. I 64. *iurgia — prope in proelium exarsere, ni Valens animadversione paucorum oblitos iam Batavos imperii admonuisset.*

acrior est Germ. libertas] i. e. libertatis vis Germanis *acrior stimulus est* ad virtutem, quam Persis regia libido Arsacis.

14. *Crassi*] anno 53. a. Chr. n. cum toto exercitu ad Carrhas deleti.

amisso et ipse Pacoro] *Et ipse* ablativis absolutis ita interponitur, quasi plena esset enuntiati forma in hunc modum: *quum et ipse Pacorum amiserit;* cf. Agric. c. 25. *ne — circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.* Ann. XIV 26. *Corbulo Tiridaten — praemisso cum auxiliis Verulano legato, atque ipse legionibus citis, abire — subegit.*

Pacoro] Fuit is Orodis, Parthorum regis, filius a. 39. a. Chr. n. a Ventidio, Antonii legato, oppressus; cf. Tac. Hist. V 9. *Postquam in dicionem M. Antonii provinciae* (sc. *orientis*) *cesserant, rex Parthorum Pacorus Iudaea potitus interfectusque a P. Ventidio.*

infra Ventidium deiectus] i. e. *ita de potentiae fastigio delapsus, ut adeo Ventidio succubuerit.* Ignominia orientis, i. e. *Parthorum victorum,* repetitur ab ignominia victoris Ventidii, qui fuit homo despectus et ambiguae fidei. Picens enim humili loco natus bello Marsico prima aetate Romam captivus venit, adultusque mulis emendis vendendisque quaestum fecit. bello gallico quum in Caesaris notitiam gratiamque venisset, deinceps per omnes honorum gradus ad consulatum et pontificatum evectus Antonii partes secutus est. cf. Gell. N. A. XV 4.

15. *Carbone*] Cn. Papirius Carbo a. 113. a. Chr. n. ad Noreiam a Cimbris victus.

Cassio] L. Cassius Longinus a. 107. a Tigurinis ac Cimbris victus caesusque.

Scauro Aurelio] Legatus consulis eodem anno pulsus et interfectus; cf. Liv. ep. lib. LXVII.

et Servilio Caepione, Gnaeoque Mallio fusis vel captis quinque simul consularis exercitus populo Romano, Varum trisque cum eo legiones etiam Caesari abstulerunt; nec impune C. Marius in Italia, divus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero
20 et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae. inde otium, donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum expugnatis legionum hibernis etiam Gallias affectavere; ac rursus inde pulsi proximis temporibus triumphati magis quum victi sunt.

XXXVIII. Nunc de Suebis dicendum est, quorum non

Servilio Caepione] Proconsul cum Mallio consule gravissima clade a. 105. affectus, cuius causa fuisse dicitur discordia ducum.

Gnaeoque Mallio] ita scribendum cum titulis CIL I 557, 3. (pg. 163. 536); idem apud Sallust. Iug. 114. optimi codicis vestigia praebent. Cn. Mallius Maximus ignobilis fuit (Cic. Muren. 36, Plauc. 12), itaque de M. Manlio, de quo Liv. VI 20, prorsus non cogitandum.

populo Romano] sc. *libera etiamtum civitate.* ei oppositus *Caesar*, qui solus rei publicae instar erat, ex quo Augustus munia senatus, magistratuum, legum in se traxerat.

18. *nec impune*] i. e. nec sine magno acrique certamine.

in Italia] In campis Raudiis non procul a Vercellis, a. 101. a. Chr. n.

in Gallia] sc. quum ei res esset cum Ariovisto, b. g. I 32—58. cum Belgis, II 1—33. cum Usipetibus et Tencteris, IV 1—15. cum Sigambris, IV 16—19. cum Suebis, VI 9—28. ab anno 58—53.

Drusus] Quattuor eius expeditiones factae annis 12—9 a. Chr. n.

Nero] i. e. *Tiberius*, qui saepius bellavit in Germania, primum annis 8—7 a. Chr. n., tum a. 4—6 p. Chr. n. denique a. 10 et 11 p. Chr. n.

Germanicus] Eius quattuor expeditiones factae sunt annis 14—16 p. Chr. n. vid. Ann. I. II.

mox] v. ad c. 2, 21.

C. Caesaris] Caligulae. — Insanam eius expeditionem in Germanos susceptam Tac. tangit Agric. 13.

22. *discordiae nostrae* cet.] sc. quum post Neronis mortem de imperio certamen esset inter Galbam, Othonem, Vitellium, Vespasianum.

affectavere] i. e. *animum studiumque contulere* ad occupandas Gallias; Agric. 7. — Significatur grave bellum a Batavis cum Germanis coniunctis Julio Civile duce a. 70. p. Chr. n. motum, de quo Tacitus Hist. IV 12. sqq. exposuit.

triumphati] post Horatium et Ovidium argentea aetate saepe occurrit. respicit Tacitus ad Domitiani insaniam, qui a. 83. p. Chr. n. contra Chattos profectus nullo hoste viso rediit, ineptissimumque triumphum egit, de quo Tacitus in Agric. c. 39. *Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur.*

XXXVIII. 1. *de Suebis*] Hoc nomine non solum comprehenduntur omnes gentes inter Albim atque Vistulam sitae, sed etiam terras, quae mari Baltico alluuntur, incolentes.

quorum] Non est genitivus partitivus, sed possessivus. sensus est:

una ut Chattorum Tencterorumve gens: maiorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune Suebi vocentur. insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere. sic Suebi a ceteris Germanis, sic Sueborum ingenui a servis separantur. in aliis gentibus (seu cognatione aliqua Sueborum, seu, quod saepe accidit, imitatione) rarum et intra iuventae spatium, apud Suebos usque ad canitiem, horrentem capillum retorquent; ac saepe in ipso vertice religatur. principes et ornatiorem habent. ea cura formae, sed innoxia: neque enim ut ament amenturve, in altitudinem quandam et terrorem adituri bella comptius hostium oculis ornantur.

qui non una = *indiscreta gente constant, ut Chatti.*

adhuc] Particula h. l. non temporis, sed accessionis habet potestatem. quippe hoc dicit Tacitus, Suebos, *praeterquam* quod magnam *gentem* efficiant, *etiam* in varias *nationes* tanquam in partes dividi; cf. Agric. c. 29. *Iamque super triginta milia armatorum aspiciebantur, et adhuc affluebat omnis iuventus.* Liv. XXII 49, 10. *Nuntia — Q. Fabio, L. Aemilium praeceptorum eius memorem et vixisse et adhuc mori.*

nationibus] v. ad c. 2, 19.

4. *insigne*] i. e. *proprium*, quo differunt a ceteris; cf. c. 43, 27. *Harum gentium insigne rotunda scuta* cet.

obliquare crinem cet.] Quum *obliquum* sit, quod a recto deflectit, *obliquare* in universum est a recta detorquere et in aliam partem cogere. inde *obliquare crinem* significat: crinem non recta pectere, sed circumcirca ex omni parte capitis ita colligere, ut *naturali directione relicta* in vertice coeant atque in nodum substringantur.

8. *rarum*] sc. *hoc est*, nimirum *obliquare crinem nodoque substringere.*

et] = *et quidem;* v. ad c. 14, 21. De universa loci conformatione cf. similem locum c. 31, 1. *Et aliis Germanorum populis usurpatum raro et privata cuiusque audentia apud Chattos in consensum vertit — crinem barbamque submittere.*

ad canitiem cf. c. 31, 10.

retorquent] cf. Iuven. XIII 164, 165. *caerula quis stupuit Germani lumina, flavam | caesariem et madido torquentem cornua cirro?*

religatur] ita ligatur, ut nodo substricti crines penduli et circumfusi altiorem quandam speciem efficiant.

innoxia] Cura respectu morum dicitur *innoxia*, i. e. talis, quae moribus non officit, quippe *non ad corrumpendum* (cf. c. 19, 9.) *composita*, eoque sine culpa.

in altitudinem quandam cet.] Ratio huius asyndeti cum antecedentibus est adversativa, quae plene sic habet: „*neque enim, ornantur ut ament amenturve, sed ornantur in altitudinem quandam et terrorem, adituri proelia, comptius hostium oculis.*“ cf. c. 4, 7. *Minimeque sitim aestumque tolerare, — frigora atque inediam caelo solove assuerunt.* — *in* consilium ac finem

XXXIX. Vetustissimos se nobilissimosque Sueborum Semnones memorant. fides antiquitatis religione firmatur. stato tempore in silvam auguriis patrum et prisca formidine sacram omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt, caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. est et alia luco reverentia: nemo nisi vinculo ligatus ingreditur ut minor et potestatem numinis prae se ferens. si forte prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum; per humum evolvuntur. eoque omnis superstitio re-

declarat, ut c. 24, 4. *Non in quaestum tamen aut mercedem.* v. Agric. c. 8. Sensus est: ut quodammodo maiores videantur et terrorem inciant. Ceterum nota hendiadyn *altitudinem et terrorem* = terribilem altitudinem.

hostium oculis] opponuntur *amicarum oculis*, quibus molles ac delicati Romani comebantur ipsa sententia quendam ironiae colorem habet.

XXXIX. 1. *Semnones*] habitabant inter Albim et Viaduam, unde profecti postea inter Licum et Nigrum flumina consederunt et hodie quoque Sueborum nomen retinuerunt, cum primo *Ziuvarii* appellarentur.

fides antiquitatis cet.] His verbis Tacitus, quamquam non pro certo habet *vetustissimos* esse, tamen concedit *valde antiquos* esse, argumentum ex religione repetens. — *fides* obiective de veritate dicta, quae in re ipsa inest, quaeque exigit, ut credatur, vid. c. 37, 5.

3. *stato tempore*] cf. c. 9, 1.

auguriis] i. e. *consecratione*, quemadmodum *inaugurare* verbum dicitur de consecrando; cf. Cic. in Vatin. 24. *Quum indicem in rostris, in illo inaugurato templo ac loco, collocaris.*

formidine] i. e. *reverentia*, *religione*. — Totus locus non solum verbis poeticum colorem referens, sed ipsis numeris iusti hexametri formae assimulatus, ex duobus Vergilii versibus adumbratus videtur; cf. Aen. VII 170 sqq. *Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici, Horrendum silvis et religione parentum.* ib. VIII 597 sq. *Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem, Religione patrum late sacer.* Cf. Ann. I 1. init. III 44. XV 9. Agricol. 10.

publice] i. e. universae civitatis nomine et auctoritate, vel simpliciter: pro civitate.

homine] haud dubie captivo. id conicias ex eodem more Britannorum, de quo Ann. XIV 30. *Praesidium posthac impositum victis, excisique luci saevis superstitionibus sacri; nam cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant.* — Ceterum cf. c. 9, 2.

celebrant — horrenda primordia] Commutata inter se obiecti cum suo attributo ratio, quia immanis feritas de qua hic agitur, non tam in universo ritu quam in eius initio cernebatur. quare sensus est: celebrant barbara sacra sua (= ritus), *quae ab horrenda re incipiunt.*

7. *ut minor*] i. e. tanquam servus dei, tanquam, subiectus et parens.

prae se ferens] i. e. ita agnoscens et testans.

9. *eoque — respicit*] i. e. omnis ille in sacra silva antiquitus insti-

spicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, 10
cetera subiecta atque parentia. adicit auctoritatem fortuna
Semnonum: centum pagis habitant, magnoque corpore efficitur,
ut se Sueborum caput credant.

XL. Contra Langobardos paucitas nobilitat; plurimis
ac valentissimis nationibus cincti non per obsequium, sed
proeliis ac periclitando tuti sunt. Reudigni deinde et Aviones
et Anglii et Varini et Eudoses et Suardones et Nuithones
fluminibus aut silvis muniuntur. nec quicquam notabile in 5
singulis, nisi quod in commune Nerthum, id est Terram matrem,
colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis
arbitrantur. est in insula Oceani castum nemus, dicatumque

tutus cultus eam vim habet, universo cultu hoc significatur. — De potestate vocis *superstitio* v. Agric. c. 11.

regnator] cf. ad c. 14, 12. bellator equus. Deus autem est Irmin et describitur communis Herminonum cultus, ut c. 40. Ingaevonum.

tanquam inde cet.] Haec verba epexegesin continent, qua, quid sit *eoque*, explicatur. — Enuntiati praedicatum est *sint;* v. ad c. 9, 4.

11. *adicit*] sc. ad *sanctitatem*, qua fruuntur propter luci sui religionem. — *auctoritas* est vis atque robur, quo pollent, idque fortunae, non religioni debitum.

corpore] *Corpus* est *universitas hominum in unum coniunctorum;* cf. Ann. XIII 27. de libertis: *Late fusum id corpus.* Hist. IV 64. *Redisse vos in corpus nomenque Germaniae, communibus deis — grates agimus.* Liv. I 8. *Multitudo coalescere in populi unius corpus nulla re praeterquam legibus poterat.*

XL. 1. *Langobardos*] primus commemorat Velleius II 106: *fracti Langobardi, gens etiam Germana feritate ferocior.* ab occidente Chaucos, a meridie Cheruscos contingebant.

periclitando] = audaciâ, pericula adeundo.

3. *Reudigni* cet.] Hae nationes omnes quaerendae sunt in meridiana parte Chersonesi Cimbricae.

6. *in commune*] cf. supra c. 27, 9.

Nerthum] *Nerthus* uxor est et soror (ut Iuno) Niördi dei, mater Freyae, filia Ingi; describuntur autem sacra omnibus Ingaevonibus communia. Nerthus felicem omnium rerum proventum, fecunditatem, voluptatem, pacem significat.

intervenire rebus hominum] i. e. invisere res humanas, apparere inter homines, id quod patet ex v. 15. *Donec sacerdos satiatam conversatione hominum deam templo reddat.*

invehi populis] = *curru adire populos.* paulo aliter apud Livium est I 59, 10. *Invecta corpori patris nefando vehiculo filia.*

castum] i. e. sanctum, intactum, nullo accessu hominum profanatum, quale describitur in Dial. 12, 1. — De insula multum disputatur, nihil scitur; plurimi tamen Rugiam esse putant.

in eo vehiculum, veste contectum. attingere uni sacerdoti
10 concessum. is adesse penetrali deam intellegit, vectamque
bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. laeti tunc
dies, festa loca, quaecunque adventu hospitioque dignatur.
non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum;
pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec
15 idem sacerdos satiatam conversatione mortalium deam templo
reddat. mox vehiculum et vestes et, si credere velis, numen
ipsum secreto lacu abluitur. servi ministrant, quos statim idem
lacus haurit. arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid
sit illud, quod tantum perituri vident.

XLI. Et haec quidem pars Sueborum in secretiora Germaniae porrigitur. propior, (ut, quomodo paulo ante Rhenum, sic nunc Danuvium sequar,) Hermundurorum civitas, fida Romanis; eoque solis Germanorum non in ripa commercium,
5 sed penitus atque in splendidissima Raetiae provinciae colonia.
passim sine custode transeunt; et quum ceteris gentibus arma

veste] v. ad c. 10, 4.

penetrali] i. e. vehiculo sacro, veste tecto.

12. *festa*] i. e. in festum modum ornata, festam faciem ostendentia.

tunc] sc. *quum dea adest*, non alias; v. ad c. 31, 5.

amata] Notanda gradatio. non omnia enim, quae nota sunt, etiam amata; *notum esse* primum est, *amari* sequitur, sed non semper.

donec — reddat] v. indicem v. s.

templo] i. e. *nemori;* v. ad c. 9, 6. *Templum* enim de quovis loco sacro circumscripto dicitur.

17. *secreto*] sc. undique densissimis arboribus cincto.

ministrant] Absolute positum verbum significat *ministeria*, sc. in abluendo, *obeunt*.

sancta] i. e. nulla profana ac petulante scrutatione tentata.

tantum] v. ad c. 29, 7.

perituri] = qui destinati sunt ad pereundum; v. ad c. 18, 15.

XLI. *secretiora*] i. e. *remotiora*, sc. septentrionem versus, eoque *minus cognita*.

2. *propior*] sc. nobis, vel imperii Romani finibus.

quo modo — Rhenum] sc. *secutus sum;* v. ad c. 2, 18.

Hermundurorum] Plin. n. h. IV 99. *mediterranei Herminones, quorum Suebi, Hermunduri, Chatti, Cherusci.* nomen igitur factum est ex *Irmin* et *dura*, unde Thuringi; incolebant autem inter Chattos Cheruscos Semnones Marcomanos usque ad Moenum.

in ripa commercium] *Ripa* quum angusto tantum tractu in utraque fluminis parte constet, *in ripa commercium* est *tenue commercium*, quippe non ultra angustum ripae spatium extentum. tale igitur Tac. negat fuisse Hermunduris, sed valde amplum eos exercuisse dicit.

penitus] = in interiore provincia.

splendidissima — colonia] sc. Augusta Vindelicorum.

modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus non concupiscentibus. in Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum et notum olim; nunc tantum auditur.

XLII. Iuxta Hermunduros Varisti ac deinde Marcomani et Quadi agunt. praecipua Marcomanorum gloria viresque, atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Bois, virtute parata. nec Varisti Quadive degenerant. eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danuvio peragitur. Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges mansere ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus. iam et externos patiuntur; sed vis et potentia regibus ex auctoritate Romana, raro armis nostris, saepius pecunia iuvantur, nec minus valent.

6. *passim*] H. l. valet *dispersi, singuli, ut cuique libet;* alias est sine ordine, confuse, permixtim. Agric. c. 37. infra c. 46, 15.

sine custode transeunt] Vulgo Romani utramque ripam accolentibus liberum transitum non concedebant, de qua re insignis locus est in Hist. IV 64. ubi Tencteri sic queruntur: *Ad hunc diem flumina ac terras et caelum quodammodo ipsum clauserant Romani, ut colloquia et congressus nostros arcerent, vel, quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac prope nudi sub custode et pretio coiremus.*

quum — ostendamus] *Quum* particulae temporalis potestas in concessivam transit; v. ad c. 36, 8.

inclitum et notum olim] sc. expeditionibus usque ad id flumen factis; quare *notum* est i. q. *visum atque aditum*, ut patet ex opposito *auditur*. Expeditiones illae susceptae sunt a Druso a. 9. a. Chr. n. (cf. Cass. Dio LV 1.), a Domitio Ahenobarbo, incertum quo anno (cf. Tac. Ann. IV 44.), denique a Tiberio a. 5. p. Chr. n. (cf. Vell. II 106 sqq. Cass. Dio LV 28.).

XLII. 1. *Varisti*] nomen a goth. *vars* = cautus, providus, est superlativus; habitabant circa Piniferum montem.

Marcomani et Quadi] Illi erant in Boihaemia, hi in Moravia.

3. *pulsis olim Bois*] cf. c. 28, 7.

frons] i. e. *pars Italiae obiecta;* quae sententia etiam sic concipi potest: *ea parte Germania Italiam quasi aspicit.*

peragitur] = *perficitur*, sc. *frons*, i. e. quatenus Danuvius eam frontem sive eos fines facit. *Peragitur* dixit Tac. ad *longum tractum*, quo Danuvius provinciae Romanae praetenditur, significandum; cf. dictionem *limitem agere*, de qua v. ad c. 29, 17.

7. *iam — patiuntur*] v. ad c. 15, 11.

vis et potentia regibus] sc. *est*, vel potius *pendet*, siquidem *ex* particula non instrumenti, sed causae et rationis potestatem habet; nam prout Romani vel volunt vel nolunt, regibus potentia est, vel non est.

pecunia iuvantur] cf. c. 15, 11. *Iam et pecuniam accipere docuimus.*

nec minus valent] i. e. neque tamen *eo* (sc. quod pecunia iuvantur) minus valent, *quam si armis iuvarentur*, (de qua breviloquentia v. ad c. 26, 9). Nimirum degeneres illi reges, quales iam tum Germania habuit, inhonestam suam potentiam,

XLIII. Retro Marsigni, Cotini, Osi, Buri terga Marcomanorum Quadorumque claudunt. e quibus Marsigni et Buri sermone cultuque Suebos referunt; Cotinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos, et quod
5 tributa patiuntur. partem tributorum Sarmatae, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Cotini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt. omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium iugumque insederunt. dirimit enim scinditque Suebiam continuum montium iugum, ultra quod
10 plurimae gentes agunt. ex quibus latissime patet Lygiorum nomen in pluris civitates diffusum. valentissimas nominasse sufficiet, Harios, Helvaeonas, Manimos, Helisios, Nahanarvalos. apud Nahanarvalos antiquae religionis lucus ostenditur. praesidet sacerdos muliebri ornatu; sed deos interpretatione Ro-

externo hosti debitam, patriae decori praeferentes, quorum turpissimum ac prorsus detestabile exemplum Segestem narravit Tacitus in Ann. I 57. 58., pecunia a Romanis accepta magnam factionem inter suos sibi comparabant, qua sustentati adversam popularium partem facile opprimerent.

XLIII. 1. *Retro*] i. e. septentrionem versus.

Marsigni cet.] Erant in confinio Boihaemiae et Silesiae. — *Cotini* in Silesia superiore; — *Buri* in agro Cracoviensi.

3. *Suebos referunt*] i. e. Suebos se esse ostendunt; cf. c. 20, 9. *Robora parentum liberi referunt.*

Osos] v. ad c. 28, 10.

coarguunt] i. e. *argumento sunt;* cf. Agric. c. 11, 2. *Habitus corporum varii, atque ex eo argumenta.*

et quod tributa patiuntur] Hoc enuntiatum pro altero subiecto est.

ut alienigenis] i. e. quippe qui alienigenae sint; v. ad c. 30, 6.

quo magis pudeat] sc. tributorum, quae patiuntur.

et ferrum effodiunt] *Et* pro *etiam* dictum h. l. valet *adeo.* gradatio enim inest in verbis, siquidem, qui tributa patiuntur, *quum ferrum habeant, quo arma parare possint,* magis despiciendi sunt quam ii, qui ferro armisque carent.

ceterum] Oppositio hac voce quaesita spectat ad *pauca*, hoc sensu: exceptis *paucis* campestribus *aliae omnes* regiones, quas hi populi insederunt, saltuosae et cacuminibus inaccessae sunt.

saltus] sunt *silvae in locis editioribus; — vertices* significant montium *cacumina.*

iugumque] pendet hoc quoque vocabulum ex genitivo *montium.* primo nimis indefinite posita *iugi* vox statim accuratius declaratur. vix autem dubitari potest, quin illud *continuum montium iugum* Sudeti sint.

10. *Lygiorum*] ita scrib. cum *B.*, cf. Ann. XII 29. 30. Omnes, quae h. l. nominantur nationes, fluminibus Viadua Wartha Vistula continebantur; sitae igitur erant in Silesia et Polonia.

interpretatione Romana] i. e. *ut Romanis videntur cum suis diis comparati;* vel: *ut Romani iudi-*

mana Castorem Pollucemque memorant: ea vis numini, nomen 15
Alcis. nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium; ut fratres tamen, ut iuvenes venerantur. ceterum Harii super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces insitae feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra scuta, tincta corpora; atras ad proelia noctes legunt ipsaque 20
formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernúm aspectum: nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur. trans Lygios Gotones regnantur, paulo iam adductius quam ceterae Ger-

cant. Plin. ep. II 139. beneficia tam grate interpretatur. Senec. ep. 81, 25. quidquid accidit, benigne interpretando levat. Cic. Brut. 5. summam felicitatem non satis grato animo interpretamur.

ea vis numini] i. e. *ita comparatum est illud numen*, sc. ut pro Castore et Polluce haberi possint.

Alcis] dativus est.

nulla simulacra] Saepe Tac. in describendo ea brevitate utitur, ut enunciatum solo subiecto conficiatur: Agr. 9. 16. 17. 32. 43. Hist. I 10. II 6. 29. Ann II 82.

superstitionis] i. e. religionis atque cultus; v. Agric. 11.

tamen] Haec particula refertur ad supplendam sententiam: *sed utut est.*

18. *super vires — truces*] i. e. praeterquam quod viribus valent — etiam truces; v. ad c. 30, 12. — *Trux* quum de quavis re horrenda, tum imprimis de horrendo vultu et aspectu dicitur, cf. Hist. II 74. *Milites — truces corpore, horridi sermone.* Ann. IV 34. *Caesar truci vultu defensionem accipiens.*

lenocinantur] i. e. succurrunt = eam augent atque adiuvant; cf. Dialog. c. 6. *Ipsa sollicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati. Lenocinari* enim dicuntur ea, quae vel homini vel rei adduntur ad speciem meliorem conciliandam; tum ipsum ornandi et placendi studium vocabulo *lenocinandi* significatur.

nigra scuta — atras noctes] Propria potestas utriusque vocis h. l. obtinet. *Niger* enim dicitur respectu *inducti coloris; — ater* contra respectu *defectus lucis.* Quare *atrum* idem fere est atque *obscurum, tenebricosum*, quia, ubi sine luce colorum discrimina cessant, omnia quasi caecitate involuta sunt.

20. *ipsaque*] i. e. *iam sola form.*; cf. c. 13, 18. *Ipsa fama bella profligant.*

formidine] activo sensu significat excitationem formidinis: v. Sall. Iug. c. 23.

umbra] i. e. *obscuritate noctis.* Ut tota descriptio poeticum colorem habet, ita ipsa *umbrae* vox ex Vergilio sumpta; cf. Aen. IX 314. *noctisque per umbram Castra inimica petunt.*

feralis exercitus terrorem] i. e. terrorem exercitus *mortem ferentis. Ferale* enim, quicquid ad inferos pertinet vel *de inferis admonet*; cf. Ann. XIV 30. *Intercursantibus feminis in modum Furiarum veste ferali.* Hist. I 37. *Horror animum subit, quotiens recordor feralem introitum.*

23. *Gotones*] habitabant ad dextram ripam superioris Vistulae.

25 manorum gentes, nondum tamen supra libertatem. protinus deinde ab Oceano Rugii et Lemovii; omniumque harum gentium insigne rotunda scuta, breves gladii et erga reges obsequium.

XLIV. Suionum hinc civitates ipso in Oceano praeter viros armaque classibus valent. forma navium eo differt, quod utrimque prora paratam semper appulsui frontem agit. nec velis ministrant, nec remos in ordinem lateribus ad-
5 iungunt: solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. est apud illos et

regnantur] sub rege agunt; v. ad c. 25, 10.

iam] v. ad c. 15, 11.

adductius] i. e. severiore imperio; cf. Hist. III 7. *Minucius Iustus — adductius quam civili bello imperitabat.* Metaphora ducta ab habenis equorum; cf. Cic. Lael. 13, 45. *Commodissimum esse quam laxissimas habenas habere amicitiae, quas vel adducas, quum velis, vel remittas.*

supra libertatem] i. e. *ita, ut libertas opprimatur*, regno supra libertatem elato. cf. c. 7, 2.

25. *protinus deinde*] *Protinus*, et de loco et de tempore dictum, significat aliquid continuo ex aliqua re prodire eamque excipere (v. Agric. c. 10.). Quare sensus est: *si statim* (ab Hariis) *pergitur* (sc. septentrionem versus). — *Deinde*, non coniungendum cum *protinus*, indicat progressum in narratione.

ab Oceano] i. e. *iuxta Oceanum, ad Oceanum.* Nam locus, *ubi* aliquid est vel fit, saepe designatur *ab* particula, tanquam res ab illo loco veniat, vel ex eo conspiciatur: Intellegitur autem mare balticum sive sinus Codanus.

Rugii et Lemovii] Rugii cum ad Vistulam pertineant, non referendi sunt ad Rugiam insulam quae nunc vocatur.

insigne] v. ad c. 38, 4.

erga regum obsequium] i. e. *imperii forma regnum*, adiuncta tamen sententia *libenter eas gentes regnum pati.*

XLIV. 1. *Suionum — civitates*] *Suionum* nomine Tacitus complectitur Scandinaviae gentes, in Norwegia et Suecia, quas terras pro insulis habet, habitantes.

hinc] i. e. inde a litore Oceani, ubi habitabant Rugii et Lemovii.

utrimque] Tales naves etiam Romanis cognitae; cf. Ann. II 6. *Plures (sc. naves factae) appositis utrimque gubernaculis, converso ut repente remigio hinc vel illinc appellerent.*

ministrant] Ministeria nautica quum spectent ad agendam movendamque navem, *velis ministrant* valet *velis movent*, sc. *naves.* Dictio sumpta ex Vergilio Aen. VI 302. *Ipse* (Charon) *ratem conto subigit velisque ministrat.*

in ordinem] i. e. ita, ut certus ordo exsistat.

adiungunt] i. e. *adiunctos habent.* Nam quod in navibus est vel comparet, personificatione tamquam ab ipsis navibus factum ponitur. cf. c. 27, 4: *Sepulcrum caespes erigit.*

ut res poscit] v. ad c. 35, 12.

hinc vel illinc] v. ad c. 43, 25.

remigium] sc. *est*, i. e. remigatur.

opibus honos, eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, et quidem servo, quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosae porro 10 armatorum manus facile lasciviunt. enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est.

XLV. Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortum edurat adeo clarus, ut sidera hebetet. sonum insuper emergentis audiri, formasque equorum et radios capitis aspici persuasio adicit. illuc 5 usque, et fama vera, tantum natura.

6. *est — honos*] cf. Agric. c. 21. *Inde etiam habitus nostri honor.*

et opibus] Respicitur his verbis ad c. 5, 13 sq.

nullis iam exceptionibus] i. e. ita iam perfecta regia potestate, ut nulli excepti sint, qui liberiore condicione utantur.

non precario iure parendi] *Ius parendi* in eo est positum, quod rex postulare potest, *ut sibi pareant subditi.* activa enim vis gerundii non valet regis respectu, sed parentium; cf. Sall. Iug. 62, 8. *Iugurtha, quum ipse ad imperandum* (i. e. quo Metellus ei imperaret) *Tisidium vocaretur, rursus coepit flectere animum suum.* Ita qui habet *ius decumarum*, non ipse praebet decumas, sed ius habet postulandi, ut tributarii *praebeant decumas* ipsi. — *Precarium* est, quod quis alterius voluntate tamdiu modo obtinet, quam huic libuerit, omittere coactus, ubi alter iubet; cf. Agric. 16.

in promiscuo] i. e. cuique pro arbitrio gestare concessa. *Promiscuum* enim, quod omnibus sine discrimine patet; cf. c. 28, 5.

10. *porro*] i. e. *ad hoc;* v. Agric. c. 15.

neque — neque, ne — quidem] cf. c. 7, 4.

regia utilitas est]=regibus utile est.

XLV. 1. *aliud*] atque vulgare et notum; v. ad c. 26, 9.

pigrum] ὠκεανὸς πεπηγὼς καὶ νεκρὸς Pytheas ap. Strab. p. 63. cf. Agric. c. 10. *Mare pigrum et grave remigantibus.* Totus hic locus sumptus ex Pythea, de quo Müllenhoff d. Alterth. pg. 410 sqq.

quod extremus — fulgor — edurat] i. e. quod sol non occidit. cf. Agric. c. 12. *Aspici per noctem solis fulgorem nec occidere et exsurgere sed transire affirmant.*

equorum] sic scrib., significatur enim Phoebus cum quadriga.

et fama vera] Haec verba, in parenthesi interposita, ipsius Taciti iudicio veritatem famae asserunt; v. ad c. 2, 16. Nititur autem ille haud dubie testimonio atque auctoritate Agricolae soceri sui, ex cuius narrationibus hauserat, quae de remotissimis septentrionis partibus tradit; cf. Agric. c. 10. 24. 44. — *Et* particula ubi adiungit sententiam praecedentia confirmantem, valet *et sane;* v. ad Agric. 10.

tantum natura] sc. *est* sive *per-*

Ergo iam dextro Suebici maris litore Aestiorum gentes adluuntur, quibus ritus habitusque Sueborum, lingua Britannicae propior. matrem deum venerantur; insigne superstitionis formas aprorum gestant. id pro armis hominumque tutela securum deae cultorem etiam inter hostis praestat. rarus ferri, frequens fustium usus. frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. sed et mare scrutantur, ac soli omnium sucinum, quod ipsi glaesum vocant, inter vada atque in ipso littore legunt. nec quae natura, quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumve: diu

tinet, i. e. *ibi naturae omniumque rerum finis est.* De loco *tantum* vocis v. ad c. 29, 7. Eandem de septentrione sententiam Tacitus Agricolae tribuit in oratione ad milites ante pugnam contra Caledonios, c. 33. *Nec inglorium fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse.*

7. *Ergo iam dextro* cet.] *Ergo*, quae particula semper conclusioni vel consecutioni inservit, ex eo, quod ultra Suiones naturae finis est, *colligit* nullos amplius Germanos septentrionem versus esse, sed *iam*, i. e. si a Suionibus progrediaris, *dextrorsum*, i. e. *orientem versus*, maris Baltici oram accolere.

Aestiorum gentes] Quum vix dubitari possit, quin, qui hodie *Esthoni* vocantur, nomen ab Aestiis duxerint, illae gentes longissimum tractum orae maris Baltici, qua orientem versus usque in sinum Finnicum extenditur, obtinuisse putandae sunt.

ritus] v. ad c. 27, 10.

habitus] v. ad c. 17, 9.

matrem deum] sc. ex Romana interpretatione. Intelligitur haud dubie Nerthus sive Terra mater; cf. c. 40, 6. 9, 3.

insigne superstitionis] *Insigne* est symbolum, vel *id, quod superstitionem testatur, quo superstitionem profitentur.* — A forma, quam insigne habet, discernenda eius *vis*, quae est *amuleti.*

hominumque tutela] ita scripsimus L. Urlichsium secuti; nam quod codices habent *omnium* non potest esse: contra omnia. pro armis hominumque tutela i. e. pro omnibus rebus quibuscumque se tuentur.

11. *securum — praestat*] i. e. efficit, *ut non timeat;* cf. c. 46, 20.

frumenta — laborant] i. e. *in frumentis (*sc. *serendis et colendis) laborant.* Paulo audacius enim, quod adverbiale praedicati attributum esse debebat, in obiectum verbi cessit. v. ad c. 30, 9. *vallare noctem.*

patientius] i. e. constantius, perseverantius.

pro solita — inertia] eam Tac. tetigit c. 14, 17. 26, 7.

glaesum] potest idem significare, quod vitrum, *glas*, ut sit electrum. haud inepte autem Oscar Schade in lexico germ. ed. II p. 334. suspicatur, vocem *glesum*, ut codices habent omnes, esse prussicam ex Aestiorum dialecto sumptam et inde appellatam, quod transluceat.

nec] v. ad c. 21, 2.

quae natura] sc. *sit;* v. ad c. 9, 4.

ut barbaris] v. ad c. 30, 6. Quae voces quum appositionem efficiant, ad praedicatum supplendum est *eis.*

compertumve] De verbo v. ad c. 9, 4.; de particula ad c. 3, 5.

quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. ipsis in nullo usu; rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. sucum tamen arborum esse intellegas, quia terrena quaedam atque etiam 20 volucria animalia plerumque interlucent, quae implicata umore mox durescente materia cluduntur. fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi tura balsamaque sudant, ita occidentis insulis terrisque inesse crediderim, quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare 25 labuntur, ac vi tempestatum in adversa litora exundant. si naturam sucini admoto igni temptes, in modum taedae accen-

nomen] i. e. *honorem, nobilitatem;* cf. c. 13, 16. quippe autea *res vilis et ignobilis fuit.* Plin. n. h. 37, 30. *proximum locum in deliciis sucina obtinent, eandemque omnia haec quam gemmae auctoritatem.* ib. 42. *certum est gigni in insulis septentrionalis oceani et ab Germanis appellari glaesum.* ib. 43. *arboris sucum esse etiam prisci nostri credidere.* Ac primo quidem sucina ex Oceani litoribus, prope Rheni ostia petita sunt, inde ab anno post Chr. n. fere sexagesimo *eques Romanus ad id comparandum missus* (Plin. l. l. 45.) magnam copiam ex Baltici maris litore prope Vistulam invexit, de qua re h. l. Tacitus.

informe] v. ad c. 16, 8.

perfertur] sc. *ad nos;* haud raro enim in hoc verbo is, ad quem quid perfertur, omittitur, ex nexu supplendus; cf. Ann. I 26. *Mandata* (esse) *Clementi centurioni, quae perferret* (sc. ad Drusum).

19. *tamen*] Spectat haec particula ad supplendam sententiam hanc: *quamquam de natura et origine sucini nihil a Germanis traditur;* cf. c. 46, 8. Agric. c. 3. 11.

cluduntur] Simplex verbum pro composito *includuntur*, Dial. 30. clarescere c. 14. Dräger synt. §. 25.

22. *fecundiora nemora — inesse crediderim*] *Inesse* neque recte ad praecedentia substantiva referri potest *(nemora* enim non *insunt terris)*, neque illa *(nemora)* dici possunt *expressa ac liquentia labi.* Tacitus dum brevitati studet in anacoluthum incidit, transgressus in aliam constructionem, quam initium periodi poscebat. Nam quum sic inciperet: „*fecundiora igitur nemora — insulis terrisque esse crediderim, iisque nemoribus (= eorumque nemorum arboribus) inesse*“ etc., ita posuit *inesse* verbum, quasi praecessisset: „*fecundioribus igitur nemoribus lucisque, sicut in orientis secretis — ita in occidentis insulis,*“ etc.

24. *sudant*] *Sudare* non solum *res* dicitur, ex qua umor tanquam sudor exit, sed etiam *ipse umor*, ex re aliqua emanans vel profluens; cf. Verg. Georg. II 118. *Quid tibi adorato referam sudantia ligno Balsama?* id. Georg. I 88. *Omne per ignem Excoquitur vitium atque exsudat inutilis umor.*

adversa litora] Non sunt litora in contraria maris parte sed *litora fluctibus adversa*, i. e. *quae fluctibus pulsantur.*

exundant] i. e. eiciuntur.

accenditur] inde nostrum *bernstein* = brennstein.

ditur, alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit.

30 Suionibus Sitonum gens continuatur. cetera similes uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant. hic Suebiae finis.

XLVI. Peucinorum Venedorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam, dubito: sordes omnium, ac torpor procerum; quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis ut Germani agunt.

5 conubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur.

Venedi multum ex moribus traxerunt: nam quidquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis

ut in picem etc.] i. e. quasi in quandam speciem picis. *In* enim mutationem indicat (cf. c. 23, 1. 46, 5.), quae addita *ut* particula ad similitudinem alterius rei restringitur.

resinamve] De *ve* particula v. ad c. 3, 5.

29. *Suionibus — continuatur*] i. e. adiuncti, *contigui sunt*, = *Suionas — excipiunt.* Cic. d. n. II 117. *aer mari continuatus et iunctus est.* Hor. C. III 16, 42. *Mygdoniis regnum Alyattei Campis continuem. Suionibus* igitur dativus est.

cetera] v. ad c. 17, 2.

in tantum] Non restringendi sed augendi vi dictum valet *tantopere.*

a libertate — degenerant] A libertate degenerant, qui serviunt, a servitute, qui ne viro quidem, ut ceteri, sed adeo feminae serviunt.

XLVI. 1. *Peucinorum* cet.] Sub finem opusculi Tacitus eas gentes attingit, quae orientem versus inde a Vistula usque ad Danuvii ostia colunt, dubiae iam originis et Sarmatis confines. *Bastarnae* autem omnium Germanorum primi commemorantur: Polyb. XXVI 9. *ἡκόντων τῶν Δαρδανίων καὶ περὶ τοῦ πλήθους τῶν Βασιαρνῶν καὶ περὶ τοῦ μεγέθους τῶν ἀνδρῶν καὶ τῆς ἐν τοῖς κινδύνοις τόλμης ἐξηγουμένων* — Liv. 40, 5. 57 al. *Peucini*, nomen habentes a Peuce insula ante Danuvii ostia, inde a Galicia Carpathorum tractum secuti per totam Moldaviam extendebantur. — Venedi, qui mediam inter Peucinos et Fennos terram tenebant, a dextra Vistulae ripa in interiora pertinebant, quae hodie Polonia est. Ab iis Slavica gens Vendorum dicta. — *Fenni* et sedibus et nomine pro *Finnis* habendi.

sordes omnium cet.] sc. propriae sunt, = *omnes sordent, ad hoc proceres torpent;* eoque multum differunt ab iis nobilibus, quos c. 13, 7 sqq. descripsit. *Ac* proprie hic positum ad rem graviorem adiungendam.

agunt] i. e. vivunt, c. 29, 12. 43, 10.

in — habitum foedantur] *Habitus* h. l. est corporis forma atque species; v. ad. c. 4, 4. Agric. c. 11. — *In* quum similitudinem designet (cf. c. 6, 11.), sensus est: *aliquid ex foedo Sarmatarum habitu trahunt.* — *Foedum* dicitur, quod deformem et valde iniucundum aspectum habet; cf. c. 5, 2. 46, 11. Agric. 12.

6. *ex moribus*] sc. Sarmatarum. *Mores* Venedorum opponuntur *habitui* Peucinorum.

pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt et scuta gestant et pedum usu ac pernicitate gaudent: quae omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro equo- 10 que viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas; non arma, non equi, non penates; victui herba, vestitui pelles, cubile humus; solae in sagittis opes, quas inopia ferri ossibus asperant. idemque venatus viros pariter ac feminas alit; passim enim comitantur, partemque praedae petunt. nec aliud 15 infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt iuvenes, hoc senum receptaculum; sed beatius arbitrantur quam ingemere agris,

tamen] Supple: *quamquam in nonnullis a Germanis differunt;* v. ad c. 45. 19.

figunt] *Domos figere* significat *fixas* i. e. *stabiles ac certo loco constitutas domos habere*, quibus opponuntur *mobilia* Sarmatarum *plaustra*, quae illis pro domibus sunt; cf. Ann. XIII 55. de Frisiis: *Iamque fixerant domos.*

pedum] Qui *pedum usu gaudent*, i. e. *ire* quam *equitare* magis solent, opponuntur Sarmatis, ita equis suis assuetis, ut quasi cum eis coalescerent, et a pedum usu fere abhorrerent. — De *gaudere* verbo v. c. 5, 6.

10. *Sarmatis*] i. e. *Sarmatarum moribus.* Compendiaria enim comparatione unius rei attributum non cum attributo alterius rei, sed cum re ipsa, cuius illud attributum est, comparatur; v. Agric. 24. (Hiberniae) *solum caelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differt in melius.* Dial. c. 14. — *Diversa* = *contraria, opposita*, eaque significatione nititur constructio vocabuli cum dativo; cf. Quintil. II 3, 10. *Tanquam haec sententia priori diversa sit.*

12. *penates*] v. ad c. 15, 3.

victui] v. ad c. 23, 1.

inopia — ossibus] v. ad c. 33, 3.

14. *idemque venatus — alit*] i. e. *una venantur* viri feminaeque ad victum quaerendum.

passim] v. ad c. 41, 6.; h. l. est *haud raro.*

petunt] sc. sagittis suis.

ferarum cet.] i. e. contra feras; cf. c. 16, 12.

ut — contegantur] Hoc enuntiatum epexegesis est ad omissum *hoc* pertinens.

in — nexu contegantur] *In* praepositio addita significat, *in interiore loco* versari, qui contegantur; cf. Sall. Iug. 12. *Hiempsal reperitur occultans se in tuguri mulieris ancillae.* Utroque loco sufficiebat etiam solus ablat. instrumenti, sine illa notione interioris loci.

redeunt] sc. ex venatu et excursionibus.

receptaculum] sc. quum venari et vagari non amplius valent.

18. *sed beatius* etc.] Haec magis poetice efficta quam ad veritatem expressa sunt; cf. c. 19, 11 sq.

ingemere agris cet.] His proximisque verbis Tacitus potissima cultiorum gentium negotia, quae constant *agricultura, opificio, mercatura*, paene poetico modo circumscripsit. Igitur *ingemere agris* est

inlaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque ver-
20 sare. securi adversus homines, securi adversus deos rem difficillimam assecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset. cetera iam fabulosa: Hellusios et Oxionas ora hominum voltusque, corpora atque artus ferarum gerere. quod ego ut incompertum in medio relinquam.

molestias agrorum colendorum perferre. agri autem quum obiectum sint gemitus, *agris* dativus est. at *domibus*, quoniam ea voce locus indicatur laboris, pro ablativo habendum. Sensus enim est: *in domibus laborare* = *sedentarias artes et opificia exercere.* similiter apud Vergilium verba cum *in* composita ablativo loci iunguntur, velut Aen. X 845. *Ad coelum tendit palmas et corpore inhaeret.*

suas — versare] i. e. *mercaturam ac negotia exercere*, sive: *mercatorum ac negotiatorum modo suas alienasque opes in incertae fortunae lucrique periculum dare, unde spes metusque.* — *Versare*, quod proprie est *saepe vertere*, de *bonis* dictum valet *quovis modo collocare et variatis vicibus quaestum facere.*

securi cet.] v. ad c. 45, 11. Sensus est: quippe quibus nec hominum iniuria, nec deorum invidia timenda sit.

4. *adversus*] v. ad c. 23, 4.

illis] Pronomen demonstrativum, cuius loco etiam reflexivum poni poterat, inde repetendum, quod Tac. sententiam consecutivam non ad ipsorum Fennorum mentem retulit, sed tanquam rem per se cuivis patentem proposuit.

ne voto quidem etc.] sc. nulla re indigentibus, nullam expetentibus.

esset] Ex perfecto praesentis pendet imperfecti coniunctivus, quia non tam ad absolutam, quam ad progredientem ab initiis suis actionem respicitur, qui cogitandi modus imprimis Ciceroni familiaris est; cf. or. in Verr. I 2. *Adduxi hominem, in quo satisfacere exteris nationibus possetis.* de d. n. I 8. *Tantum profecisse videmur, ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur.* — Ceterum non solum haec postrema, sed etiam priora de Sarmatis tradita, mirifice consentiunt cum iis, quae Iustinus de Scythis narrat; cf. II 2, 9. *Haec continentia illis morum quoque iustitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus. Quippe ibidem divitiarum cupido est, ubi et usus.* Unde haud temere conicias, Tacitum in his Trogum secutum esse. cf. c. 19, 16

22. *cetera*] i. e. alia omnia. — Sequentes acc. c. inf. epexegesin continent ad *cetera.*

corpora atque artus ferarum] Hanc fabulam non difficile est ad videndum eo ortam esse, quod remotiores septentrionem versus gentes frigoris depellendi causa a capite ad calces pellibus ferarum, velut ursorum, vulpium, aliarum, involutae degunt, ut magis ferarum quam hominum similes videantur.

INDEX*).

A.

ab aliqua re, locum designat, ubi aliquid sit. 43, 26.
ablativus modi 11, 14. 31, 13.
— *causae* 28, 21.
— iunctus verbis cum in compositis 46, 18. instrumentalis transit in modalem 31, 13.
ablativi absoluti vi attributiva 1, 4.
ablativi duo diversae potestatis eidem verbo iuncti 7, 4. 33, 3.
Abnoba mons 1, 8.
absolute posita verba 37, 12, 40, 17.
absolvere se, absolute 31, 9.
ac, *atque* = et quidem 6, 7. 15, 7. 24, 1.
ac maius quid adiungit 46, 2.
accusandi ratio 12, 1 sq.
accusativus partem designans 17, 2. 12.
accusativus c. inf. aptus ex *obsistere* 34, 10.
acer i. e. valde stimulans 37, 12.
adductius = severius 43, 24.
adhuc = ad hoc, praeterea 38, 3. 10, 9.
— comparativi vim auget 19, 10 (sed rectius hic quoque locus ad tempus refertur).
— tempus significat = etiam nunc, etiam tum 22, 12. 29, 12.
adiectivum genetivi attributi ad obiectum translatum 27, 5.
adiungere aliquid = adiunctum habere 44, 5.
admonere absolute 37, 12.
adventus et hospitia 2, 2.
adverbium substantivo iunctum vim habet enuntiati attributivi 8, 3. 28, 17. 37, 10.
— non *modi*, sed *iudicii* vim habet 36, 4.
adversus, adiect. = ex adverso situs 2, 4. = adiacens 45, 26.
adversus praepositio adverbialis attributivi vim habet 23, 4. 46, 20.
adulteria rara apud Germanos 19, 4.
ex aequo i. e. aequa ratione 36, 8.
Aestuorum gentes 45, 7.
affectare aliquid 3, 6.
affectatio non idem quod *affectio* 5, 7. 28, 15.
affines differunt a *propinquis* 20, 15.
Africa 2, 6.
agere id quod vivere, esse 17, 3. 29, 12. 46, 4. omissum 19, 10.
agere limitem 29, 17.
agnati 19, 15.
agnoscere 5, 14.
agricultura Germanorum 14, 33. 26, 2—11. 45, 12.
Agrippinenses 28, 20.

*) Quae directis litteris significantur, ad verba Taciti, cetera ad commentarium referuntur.

Albis flumen 45, 8.
Albruna 8, 9.
Alci dei fratres 43, 16.
aleae dediti Germani 24, 6.
aliquid supplendum ad genetivum partitivum 15, 7.
aliquanto 5, 1.
alius abundat 4, 2.
alligare 24, 10.
ambire aliquem c. dat. 18, 4.
ambitio 27, 1.
anacoluthum 45, 22.
anaphora 18, 17.
ancipitia 14, 10.
Anglii natio Sueborum 40, 4.
Angrivarii 33, 2.
animadvertere = supplicio afficere 7, 4.
animari 29, 13.
annales 2, 10.
anni tempora Germanorum tria 26, 10.
annus i. q. messis 14, 15.
aperire terram 1, 4.
— specus 16, 11.
apparatus in epulis 21, 8.
appositio ad totum enunciatum 12, 12. 16, 6.
— per infinitivos facta 30, 7.
— ad infinitivum 31, 3.
apri forma apud Aestios 45, 9.
apud aliquos, i. e. in coetu 11, 3.
ara ab Ulixe Laertae consecrata 3, 13.
Aravisci 28, 10.
arbores frugiferae 5, 4.
arcana sacra matrimonii 18, 11,
arcere absolute positum 28, 22.
arduum 27, 5.
argentea pecunia 5, 16.
argentum 5, 7.
arma tela 29, 7. 33, 6.
arma Germanorum 6, 1 sq.
— adulescentibus data 13, 2.
— pars dotis 18, 8.
— apud Suiones clausa 44, 8.
armorum assensus 11, 16.
— genera 6, 1 sqq.
armati semper Germani 11, 10. 13, 1. 22, 5.
Arsacis regnum 37, 12.
Asciburgium 3, 11.
asciscere = eligere 22, 9.
Asia 2, 6.
assignare 13, 8.
astutus — differt a callido 22, 12.
asyndeton 4, 8. 13, 13. 24, 5. 30, 15. 38, 6. 11.
ater — differt a nigro 43, 19.
atterere 29, 6.
attractio 3, 6. 13, 13. 16, 13.
attributum praedicati fit subiectum 1, 4. 20, 5. 27, 5.
— genetivi obiectivi ad subiectum translatum 22, 11. 31, 14.
attributa hominum ad res et loca translata 1, 8. 2, 7. 24, 5.
attributa epitheta ad obiectum translata 27, 5.
attributum verbi obiecti loco 30, 9.
— praedicati non cum subiecto confundendum 37, 3.
auctoritas = vis, robur 39, 11.
audax 24, 5.
audentia 31, 2.
augurari 3, 5.
auguria 39, 3.
aurum in Germania nullum 5, 7.
auspicia Germanorum 10, 9—22.
auspicia i. e. initia 18, 13.
autumnus Germanis ignotus, 26, 10.
Aviones natio Sueborum 40, 3.

B.

balsama 45, 23.
barditus 3, 3.
Bastarnae 46, 3.
Batavi 29, 1. 12.
bella 13, 18.
bellator equus 14, 12.
bigati i. e. denarii 5, 6.
Boihaemum 28, 8.
Boi 28, 7.
brachia differunt a lacertis 17, 12.
Bructeri 33, 1.
Buri natio Sueborum 43, 1. 3.

C.

C. Caecilius Metellus, cos. a. 113. 37, 7.
C. Julius Caesar summus auctor 28, 2. cum Germanis certavit 37, 19.

C. Caesar Caligula expeditionem Germanicam paravit 37, 21.
callidus differt ab astuto 22, 12.
canere — senem fieri 31, 10.
captivi immolabantur 39, 5.
carmina Germanorum 2, 9. 3, 3.
cassides 6, 9.
L. Cassius Longinus a Cimbris victus 37, 15.
Castor et Pollux apud Nahanarvalos culti 43, 15.
castum i. q. sanctum 40, 8.
cedere i. q. valere 14, 14.
centeni in exercitu 6, 16.
centeni in iudicio 12, 11.
certus i. e. statutus 9, 1.
certus alveo Rhenus 32, 1.
cetera = in ceteris rebus 17, 2. 29, 12. 45, 30.
ceteri = omnes alii 25, 4. 46, 22. cf. 25, 11.
ceterum adversativa vi 2, 16.
— in transitu 3, 9.
Chamavi 32, 2. 34, 1.
Chasuavii 34, 2.
Chatti — eorum sedes 30, 1. 4. natura et ingenium 30, 5 sq. bellandi ratio 36, 6 sq. 31. Cheruscos vicerunt 36, 6. Chattorum natio Batavi 29, 1 sq.
Chauci 35, 3. 6. 36, 1.
Cherusci 36, 1. 5. 7.
chiasmus 18, 5.
Cimbri 37, 2 sq.
circa = quod attinet ad 28, 14.
citra fere id quod sine 16, 8.
civitas i. e. regio 30, 3.
clemens, *clementer* de situ locorum 1, 8.
cludere = includere 45, 22.
coarguere = probare 43, 4.
ἀπὸ κοινοῦ figura 23, 4.
coërcere 11, 11.
cohibere 9, 6.
colere Rhenum 32, 2.
collationes = munera 29, 6.
collective *victor* = victores 2, 20.
colonus Romanus qualis 25, 4.
colores inducti scutis 6, 8. 43, 19.
colorum lineamenta 16, 10.
comendi instrumenta 18, 7.
comites iuri dicundo 12, 11.
comites et comitatus 13, 10—14, 14.
commercia Germanor. 5, 13. 24, 12.
— ad ripas Danuvii 41, 4.
comminus captivitas 8, 3.
committere v. prop. gladiatorum 10, 5.
comparatio compendiaria 46, 10.
comparativa sententia elliptica 6, 20.
comparativum membrum omissum 26, 9.
comperire 9, 4. 45, 16.
concessa animalia in sacrificiis 9, 3.
condicere vocab. fori 11, 7.
coniugii severitas 18, 1—18.
coniunctivus esse verbi omissus 9, 4. 13, 12.
— pendet ex latente notione fati 29, 4.
conscius 10, 17.
consensus quid sit 33, 3.
constituere voc. fori 11, 7.
consultatio 11, 1—16. 22, 10.
contegi in aliqua re 46, 17.
contemni aliqua re 29, 6.
contendere de 24, 8. cum 26, 6.
continuari 45, 29.
convictus 21, 6.
convivia 22, 5.
copiae = cibaria 30, 13.
corpora = caesa corpora 6, 20.
corpus = hominum universitas 39, 12.
corpore infames 12, 4.
correlativum membrum omissum 26, 9.
corruptus = depravatus 23, 2.
Cotini natio Sueborum 43, 1. 6.
Crassus a Parthis caesus 37, 14.
creber 22, 6.
crines adulteris accisi 19, 5. retorquentur à Suebis 38, 9. submittuntur a Chattis 31, 3.
cultus 2, 7. 6, 8. 17, 6.
cunctatio 30, 16.
cuneus 6, 18.

D.

Daci 1, 2.
Danuvius — oritur in Abnoba monte 1, 8. Germaniae finis 1, 2. 41, 3. 42, 5.

dativus passivo iunctus 3, 13. 16, 1. particip. praes. in sententia generali 6, 13. finalis 18, 4. pendet ex omisso v. esse 23, 1.
de cum abl. pro accusat. 34, 12.
decumates agri 29, 15.
deficere 21, 8.
degenerare 45, 31.
dei Germanorum 2, 9. 7, 6. 7. 9, 1—10. 39, 3—13. coniugales 18, 11. Nahanarvalorum Castor et Pollux 43, 14—16. Semnonum 39, 3 sq. Aestiorum 45, 9. cf. Alci; Hercules, Isis, Mars, Mercurius, *Nehalennia*, Nerthus.
delegare 15, 3. 20, 3.
deliciae muliebres 18, 7.
denuntiare = indicare 18, 16.
describere 25, 1.
differre impetum 30, 8.
dies = munera diurna 30, 9.
dignum, absol. 18, 17.
disciplina 25, 7. d. Romana 30, 11.
discordia i. q. bellum civile 37, 22.
diversus 16, 2.
dividi 28, 6.
domestica cura 15, 3 sq.
domorum ratio 16, 5 sq.
Donar 3, 1. 9, 2.
donec 1) c. indic. perf. *bis* 37, 22. 45, 18. 2) adiuncta notione finali c. coniunct. praes. *bis endlich* 1, 9. 20, 5. 31, 9. 15. 35, 5. 40, 14.
dos 18, 5 sq.
Drusus, Tiberii frater 34, 10. 37, 19.
ducere rem = praeire 11, 7.
duces Germanorum 7, 1 sq.
Dulgubnii 34, 1.
dum 12, 6. 22, 15.
durare 30, 3.

E.

ebrietas 23, 6.
educationis ratio 20, 1—10.
effusa loca = patentia 30, 2.
ellipsis praedicati 43, 16.
epexegesis 2, 14. 4, 2. 13, 16. 39, 10. 46, 16.
epulae 14, 13.
equestres vires 30, 15.
equi Germanorum 6, 10. hinnitus in auspiciis 10, 11. multae loco 12, 7. praemii loco dantur 14, 20. hereditate traduntur 32, 7.
equitatu valebant Tencteri 32 3 sq.
equitum arma 6, 5 sq. pugna 30, 15.
equus praemium militare 14, 3. pars dotis 18, 8.
ergo conclusioni inservit 45, 7.
est c. inf. = licet 5, 10.
et = et sane 45, 6.
et explicativam sententiam adiungit 10, 9.
et = et quidem 14, 13. 31, 1. 38, 8.
et = etiam 22, 7.
etiam postpositum 28, 2.
evalescere 2, 20. 28, 4.
Eudoses natio Sueborum 40, 4.
ex causale 7, 1. 42, 8.
ex re = rei convenienter 9, 7.
excipere aliquid = alicui proximum esse 34, 3.
exercere agros 29, 16.
exigere rem = explorare 7, 14. 10, 9.
— i. e. poscere 14, 11.
expedire = narrare 27, 12.
expetere aliquem = alicuius amicitiam quaerere 13, 17.
exsanguis senectus 31, 15.
exsolvere i. q. liberare 24, 12.
exsudare 45, 24.
exterior Oceanus 17, 8.
extra aliquid esse 18, 12.
extremus = desperatus 24, 7.
exundare = eici 45, 26.

F.

facilitas = nulla dubitatio 21, 13.
faenus agitare 26, 1.
falso ad subiect. relatum 36, 4.
familia 1) servi 25, 2. 32, 7. 2) propinqui 7, 10. 10, 5. 15, 5.
feminae magna auctoritate sunt et sanctitate 7. 8. 18. dominatur femina in Sitonibus 45, 30. vestitus 17, 9.
feralis exercitus 43, 21.
ferax c. abl. 5, 3.
ferox 32, 8.
ferramenta militaria 30, 12.
ferrum in Germania rarum 6, 1. 43, 6.

festinare virgines 20, 7.
festus 40, 12.
fides 1) treue 24, 11. 28, 21. 2) beglaubigung 10, 9. 3) glaubwürdigkeit 3, 17. 10, 15. 37, 5. 39, 2. 45, 2.
figere domos 46, 9.
finire = finibus circumscribere 19, 15.
flagitium differt a scelere 12. 6.
flexus 1, 7.
foedus 46, 5.
formido 39, 3. 43, 21.
fortuna 30, 9.
Fosi 36, 7.
fractum murmur 3, 7.
framea hasta Germanorum 6, 3. 13, 4. 14, 13. 18, 8.
Frisii maiores et minores 34, 3.
frons pars obiecta 42, 4.
frugiferae arbores 5, 4.
frumentum 23, 1. 25, 3. 45, 12.
funera 27, 1 sq.
futurum in enunciato condicionali 10, 5.

G.

galea differt a casside 6, 9.
Galli 1, 1. a Germanis expulsi 2, 18. olim Germanis validiores 28, 1. inertes habiti 28, 16. decumates agros obtinent 29, 15.
Galliae Romanos cladibus affecerunt 37, 11.
Gambrivii 2, 15.
gaudere = multum tribuere 5, 6.
generalis sententia 14, 11. 19, 8.
genetivus subiectivus 10, 11. 45, 10.
— possessivus 38, 1. qualitatis 14, 13. pendens ex supplendo pron. *aliquid* 15, 7.
gens differt a natione 2, 19. 27, 10.
Germaniae nomen unde ortum 2, 16 sq. fines 1, 1—3. species 2, 7. 5, 1. natura 5, 2. 30, 2. sinus Cimbricus 37, 1. frons a Danuvio facta 42, 5.
Germani indigenae 2, 1. 4, 1 sq. caeruleis oculis, rutilis comis 4, 5. magnis corporibus 4, 6. 20, 2. victus 23, 1—4 (potio 1. 2. cibi 3. 4). vestimenta 17, 1—13. habitatio 16, 1—13. uxores singulas habent 18, 3. 4. matrimonia severa 18, 1. uxores castae et fidae 18, 10—18. 19. liberorum educatio 20, 1—12. iuventutis honos 13, 5 sq. vita domestica 22, 1—16. convictus et hospitia 21, 6—15. desidia 15, 5—12. laboris impatientes 5, 6. ab agricultura abhorrent 14, 17. 18. 26, 5—11. 45, 12. 13. venatui non ita multum dediti 15, 1. aurum et argentum despiciunt 5, 10 sq. potui indulgent 22, 5—16. aleae dediti 24, 6—12. funera 27, 1—8. bellorum studiosi 14, 7—16. arma 6, 2—9. milites 6, 13—23. mos militiae 7, 7—15. 30, 6—17. 43, 21 sq. duces 7, 1. reges 7, 1. principes vel proceres 11. sacerdotes 7, 5. 10. 11. 40, 9. 43. feminae 7. 8. 18. 45, 30. servi 24. 25.
Germanicus, Drusi filius 37, 20.
gerundii activa potestas pendet ex altero subiecto 44, 8.
gestare hortamina alicui 7, 17.
glaesum 45, 14.
gloria frontis armentorum 5, 6.
Gothones 43, 23.
Graecis litteris factae inscriptiones in Germania 3, 14.
gradatio per asyndeton 7, 3. 16, 3.
— per anaphoram 40, 14.
gradus = is qui gradum obtinet 20, 14.
gratiosus 20, 16.
gyros variare 6, 10.

H.

habitus 4, 4. 17, 9. 46, 5.
hactenus 25, 4. 35, 1.
Harii 43, 12.
haud minus facile 23, 6.
Helisii 43, 12.
Hellusii 46, 22.
Helvaeones 43, 12.
Helvetii 28, 7.
hendiadys 12, 4. 17, 7. 25, 7. 28, 16. 33, 7. 37, 3, 4.
Hercules 3, 1. 9, 2.

Hercynia silva 28, 6. 30, 1.
hereditatum ratio 20, 12.
Herminones 2, 13.
Hermunduri 41, 3. in H. Albis oritur.
hexameter v. 39, 3.
hic non ad proximum, sed ad primarium refertur 30, 1. cf. 3, 3. 9. 10, 10. 20, 1.
hiems = hieme vexati 16, 12.
Hispaniae Romanis clades intulerunt 37, 11.
hodieque = et hodie 3, 11.
homines pro terra quam incolunt 29, 18.
hominum sacrificia apud Germanos 9, 2. 39, 5.
homicidium 21, 3.
honor armentorum 5, 5. i. q. munus 15, 8. cf. 20, 10. 44, 7.
hordeum 23, 1.
horridum 2, 6.
hortos non habent Germani 26, 8.
hospitium 21, 6.

I.

iactatio cultus 6, 8.
iam 15, 11. 31, 10. iam vero 14, 2.
ignavus 12, 3.
ignominiosus 6, 22.
illa 34, 7.
ille rem notam monstrans 10, 17. 14, 20.
— in orat. obliqua 46, 21.
illecebrae 19, 2.
imitari 16, 10.
impatientius timere 8, 4.
imperfecti coni. ex perf. praes. pendens 46, 21.
impotentia 35, 8.
improcera pecora 5, 5.
impune, non impune 37, 18.
imputare alicui aliquid 21, 14.
in c. acc. Consilium indicat 24, 4. 38, 12. similitudinem 46, 5. mutationem 45, 28.
in morem 6, 11.
in aliquam rem facere = respectu rei 18, 10.
in temporale c. acc. 10, 8.
in abl. loci additum differt a simplici abl. 46, 16.
in c. abl. rationem indicat. 19, 4.
in abl. additum condicionem involvit 20, 11.
inaccessus 1, 6.
incalescere 22, 12.
indefinitum pronomen supplendum 15, 7.
indicativus in enunt. rel. differt a coni. 12, 11. 45, 26.
indulgere alicui rei 23, 5.
inertia diversa a quiete 15, 6.
infamis 6, 23. 14, 3.
infecundus c. abl. 5, 3.
infesta framea 24, 3.
infici i. q. depravari 4, 2.
infinitivus in appositione 30, 7.
informis 2, 7. 16, 8.
Ingaevones 2, 13.
ingemere agris 46, 18.
initium inchoare 30, 2.
inlaborare domibus 46, 19.
innoxia forma 38, 11.
insigne = symbolum 45, 9.
= proprium 38, 4.
= documentum 29, 5.
insignis = notabilis specie 31, 10.
instituta 27, 10.
insulae 1, 4.
insuper 16, 11.
intellectum habere 26, 10.
inter 24, 6. 32, 7.
interiores 5, 15.
interpretatio 43, 14.
intervenire 40, 7.
invehi 40, 7.
invicem damna = mutua damna 37, 10.
invidere 33, 6.
ipse nominat. abl. abs. interpositus 37, 14.
— in oppos. 2, 1. cf. 3, 4. 9, 5. 38, 10. 43, 14.
irritationes diversae ab illecebris 19, 2.
Isis 9, 3.
Istaevones 2, 13.
ita praecedentia comprehendit 2, 19.
iungere affinitates 22, 8.
ius parendi 44, 8.
iura reddere 12, 10.

L.

laborare c. acc. 45, 13.
labores — *opera* differunt 4, 6.
lacerti — *brachia* 17, 12.
Laërtes 3, 13.
Langobardi 40, 1.
latus 37, 3.
lectissimi colores 6, 8.
Lemovii 43, 26.
lenocinari 43, 19.
liberos non necant Germ. 19, 15.
libertas acris Germ. 37, 13.
liberti 25, 8. libertini 25, 12.
Liburna 9, 5.
licentia vetustatis 2, 14.
limes imperii 29, 17.
lineamenta colorum 16, 10.
linei amictus 17, 10.
litterarum secreta 19, 3.
luci 7, 8. 9, 8.
ludi, ludicrum 24, 1—12.
ludus aleae 24, 6—12.
luna 11, 5 sq.
Lygii 43, 10. 23.

M.

Mallius, Cn. Mallius Maximus cos. 105. a Germ. victus 37, 16.
Manimi 43, 12.
manere i. q. exstare 28, 8.
Mannus 2, 11.
manu agere = vi uti 36, 4.
Marcomani 42, 1 sq.
mare Suebicum 45, 7.
mare trans Suiones pigrum 45, 1.
mare pro maris insulis 17, 8.
Maroboduus 42, 7.
Mars 9, 2. cf. ad 2, 13.
Marsi 2, 15.
Marsigni 43, 1 sq.
mater deorum 45, 9.
matres 7, 13. 20, 2.
matrimonia 18, 1 sq.
Mattiaci 29, 9.
memoria et *annales* 2, 10.
Mercurius 9, 1.
mereri — *volnera* 14, 16.
= meritis consequi 28, 19.
metalla in Germania rara 5, 7. 6, 1.
metonymia 16, 12. 20, 14. 30, 4.
metus — *timor* 1, 2.
metus act. sensu 2, 20.
militia 6, 1—23. 7, 1—15.
militaria vocabula 30, 7—9.
ministrare abs. 40, 17.
— naves = movere 44, 4.
missilia 6, 6.
Moenus flumen 28, 7.
mollire frigora 16, 13.
mollis terra, opp. saxosa 1, 8.
momentum habere = valere 25, 9.
monstrare = verbis ostendere 8, 3.
monstrari = notabilem esse 31, 10.
moris est 13, 3.
mortalia opp. divinis 10, 13.
mox = deinde 2, 21.
munera 13, 18. 18, 6. 21, 13.
multa 12, 8.

N.

Nahanarvali 43, 12. 13.
nam ad omissam sententiam refertur 14, 13.
natio 2, 19.
navium forma 44, 2.
navis Isidis 9, 5.
nec 6, 10. 21, 2.
Nehalennia, Sueborum dea 9, 3.
Nemetes 28, 18.
nemora sacra 9, 8.
Nero, Tiberius imperator 37, 19.
Nerthus dea 40, 6.
Nervii 28, 14.
nisi si 2, 8.
nisi quod 9, 4. 25, 8.
nobiles 13, 14.
noctes 11, 7.
nomen 8, 4. 13, 16. 45, 18.
non modo — *sed* (etiam) 10, 16.
notae sortium 10, 3.
notum 41, 9.
novissimus 24, 8.
novus = insolitus 31, 12.
nudus 6, 7. 20, 1.
Nuithones natio Sueborum 40, 4.
nullus — negatio ad praedicatum pertinet 19, 1. 35, 9.
numerus i. q. magnus numerus 5, 6. 18.
— indefinite 12, 8.
nuper 1, 4.

nuptiae 18, 4 sq.
nutrire = augere 36, 2.

O.

ob metum 2, 20.
obliquare crinem 38, 5.
obsequium 43, 27.
obsides 8, 5. 20, 11.
obsistere = prohibere 34, 10.
obtenduntur terrae 35, 4.
occasio 30, 8.
occultari in 46, 17.
Oceanus 1, 3. 17, 8. 34, 10. 40, 8. 44, 1.
omnis 1, 1.
onera = tributa 29, 6.
opera — labores 4, 7.
operosum 27, 5.
opus i. q. opus grave 25, 6.
orbitatis pretia 20, 16.
ordines 30, 8.
origo gentis 2, 11.
Osi 28, 10 sq. 43, 1.
Oxiones 46, 2.

P.

Pacorus 37, 14.
pagus 6, 17. 12, 10.
palustris Germania 30, 2.
Pannonii 1, 1.
Papirius Carbo cos. 113. 37, 7.
participia perf. pass. vi adiect. in—*bilis* 1, 6.
— fut. act. = destinatum esse alicui rei 18, 15. 40, 19.
Parthi veste fluitante 17, 4.
Romanis clades intulerunt 37, 11.
passim = dispersi 41, 6.
patienter = perseveranter 45, 12.
pax communis Nertho adveniente 40, 14.
pecora 5, 4. 12, 7. 21, 3.
pectora obicere 8, 1.
pecunia 5, 15. 42, 9.
peditatus 6, 6 sq. 30, 12.
pelles 17, 5.
penates 15, 3. 32, 7.
penes 6, 13.
penetrale 40, 10.
penitus = in interiora 41, 5.
peragere frontem 42, 5.
perfect. rei praes. cum imperf. coniunctivi 46, 21.
perfectum rem absolutam significat 6, 23. 24, 3.
perferre absolute 45, 19.
periclitari absolute 40, 3.
perinde 5, 10. 34, 2. (haud p.)
permutatio mercium 5, 15.
persuasio 45, 5.
pertractare 10, 3.
Peucini 46, 1. 3. 7.
pignora = carissimi 7, 11.
pigrum mare septentrionale 45, 1.
plebs qualis apud Germanos 11, 3.
pleonasmus 4, 1. 18, 13.
plerique semper apud Tacit. id quod permulti 8, 9.
plerumque id quod persaepe 8, 9.
poenae sacerdotibus permissae 7, 4—7.
Poeni 37, 11.
poeticae dictiones 5, 6. 6, 6. 14, 12. 46, 18.
ponere = omittere 27, 7.
Ponticum mare 1, 9.
porro = ad hoc 44, 10.
potius omissum ante *quam* 6, 19.
potus ex hordeo 23, 1.
prae se ferre 39, 7.
praecipuus 14, 5.
praegnanti sensu adiect. 5, 4.
— subst. 5, 18. 6, 20. 26, 5 al.
— verba 7, 4.
praemia fortitudinis 14, 11 sq.
praesens poena impudicitiae 19, 4.
praesidere absol. 43, 13.
praestare aliquid 26, 5.
praeter i. e. ne commemorem 2, 5.
praetexi, praetendi 34, 4.
prata 26, 7.
precarius 44, 8.
premi curru = iungi 10, 13.
pretium = praemium 24, 5.
principes vide prolegom. pg. IX sq.
probrosum 14, 3.
proceres 10, 16.
profligare bella 13, 18.
promiscuus = volgaris 5, 19.
— omnibus patens 28, 5. 44, 9.
promptus 7, 3.

propinqui differunt ab affinibus 20, 15. in proeliis coniuncti 7, 10. partem multae accipiunt 12, 9.
protinus 43, 25.
publica res quid 13, 1.
publicata pudicitia 19, 7.
publice 39, 5.
purpura 17, 10.

Q.

Quadi vicini Marcomanorum 42, 1. reges habent 42, 5. Cotinis et Osis tributa imponunt 43, 6.
quam ad om. *potius* refertur 6, 20.
quamquam 4, 4. 5, 12. 18, 1.
quamvis 24, 5.
quando = quoniam 33, 9.
— *que* fere id quod *itaque* 6, 22. 7, 7.
quies differt ab *inertia* 15, 6. opp. bello 35, 13.
quoque tectam oppositionem indicat 10, 11.
quum i. q. *quamquam* 36, 8. 41, 6.

R.

Raeti 1, 1. Raeticae Alpes 1, 6.
Raetia 3, 15. 41, 5.
rarus, *raro* differunt 6, 2.
ratio salva 22, 14.
regere domum 25, 3.
reges Germanorum cf. prolegomena.
regnari 25, 10. 43, 24.
relativa sententia in or. obl. indicativo 45, 21.
relatus carminum 3, 3.
religare crines 38, 10.
responsa 8, 8.
res poscit absol. 35, 12.
retractare absol. 22, 14.
Reudigni natio Sueborum 40, 3.
Rhenus flumen 1, 1. 5. Rhenum accolentes 2, 18. 5, 13. transgressum parum prohibuit 28, 3. certior alveo apud Usipites 32, 2. insulam Rheni obtinent Batavi 29, 2 sq.
ripa Rheni vel Danuvii 17, 5. 28, 14. 17. 37, 3. 41, 4.
ritus 27, 10.
robur militiae 30, 12.
rubor est = pudet 13, 9.
Rugii 43, 26.
rursus 18, 18.

S.

sacerdotes v. prolegom. pg. XII.
saeculum 19, 9.
saeptus 19, 1.
sagum 17, 1.
saltatio inter frameas 24, 3.
saltus 43, 8.
salvus 22, 14.
Samnis 37, 11.
sanctus 7, 12. 8, 6. 34, 12. 40, 18.
sane 30, 15.
Sarmatae 1, 2. 17, 4. 46, 2.
Scaurus, Aurelius, a Cimbris victus 37, 15.
scelus differt a flagitio 12, 5.
scuta Germanorum 6, 8.
secreta loca = remota 41, 1. = deserta 45, 23.
secreta litterarum 19, 3.
secreti populi 35, 8.
secretum 9, 9.
secundum 10, 7.
securus 45, 11. 46, 20.
sedes 25, 2.
segetes solae agris imponuntur a Germanis 26, 8.
semel 19, 11.
Semnones natio Sueborum 39, 1—13.
sepulcra 27, 4.
serrati i. e. denarii 5, 16.
servi qua condicione 20, 4. 24, 11. 25, 1—12. in sacris Nerthi ministrant 40, 17. apud Suiones arma custodiunt 44, 9.
Servilius Caepio a Cimbris victus 37, 16.
signa militaria 7, 7.
simplex verbum pro composito 45, 22.
simplices cogitationes 22, 11.
simulacra deorum 9, 7.
sinus 1, 3. 37, 1.
sitis intolerantes Germani 23, 3.
Sitonum gens feminae paret 45, 29.
sordidus 20, 1.
sororum filii apud avunculus 20, 9.
sortes 10, 1—9.
spatium i. q. magnum spatium 26, 5.

spargere missilia 6, 6.
squalor 31, 7.
stricta vestis 17, 4.
stricti artus 30, 5.
Suardones natio Sueborum 40, 4.
subiectum ἀπὸ κοινοῦ 23, 4. 38, 10.
subst. in—*tor* pro adiect. 14, 12.
successio 32, 7.
successores 20, 13.
sucinum 45, 14.
sudare dicitur umor 45, 24.
Suebi Germanorum pars 2, 15. maxima Germaniae gens 38, 1 sq. crines retorquent 38, 9. sacrificia 39, 5.
Suebia 43, 9. 45, 32.
Suebicum mare 45, 7.
sufficere rei 13, 3.
suffugium 16, 12. 46, 16.
Suiones, nationes maritimae 44, 1 sq.
summus auctor Caesar 28, 2.
super = praeter 30, 12.
— = praeterquam quod 43, 18.
super ripam = in ripa 28, 21.
superesse = abunde esse 6, 1. 26, 6.
superstitio 39, 9. 43, 16.
supra rem 43, 25.
synesis 14, 11. 20, 11.

T.

tamen 43, 17. 45, 19.
tantum praemissum 29, 10. 4, 3. 6. 40, 19. 41, 9. 45, 6.
temere 10, 4.
temeritas 24, 7.
templa Germanorum 9, 8.
Tencteri 32, 2 sq.
terra = solum 2, 7.
testamenta Germanis nulla 20, 13.
timere 8, 4.
toga 13, 5.
totius rei notio ex appositione partis prodit 29, 2.
trahi aliqua re = implicari 36, 7.
Traiani alter consulatus 37, 8.
transigere 19, 11.
Treveri 28, 14.
Triboci 28, 18.
tristis 2, 7.
triumphare aliquem 37, 24.
trux 43, 19.
Tuder rex Quadorum 42, 7,
Tuisco 2, 10.
Tungri 2, 18.
tura 45, 23.
tutela 45, 10.
tutum 36, 3.
tum 11, 3. 31, 5. 40, 14 (tunc).

U.

Ubii 28, 18.
Ulixes 3, 9. 13,
ulteriores 17, 6.
ultra c. adiect. coniunctum 2, 4. absol. 19, 13.
ultro = adeo 28, 16.
umbra = obscuritas noctis 43, 21.
universus 6, 13.
urbes Germanis nullae 16, 1.
urgentia fata 33, 9.
Usipi 32, 2.
usura 26, 1.
usurpatum = usitatum 31, 1.
ut causam designat 2, 14. 30, 5.

V.

vallare noctem 30, 9.
Vandilii 2, 15.
Varisti 42, 1.
Varini natio Sueborum 40, 4.
Varus Quinctilius 37, 17.
— *ve* partic. 3, 5. 38, 11. 45, 16.
velamina 17, 7.
Veleda 8, 8.
venatus 15, 1.
Venedi 46, 1—6.
Ventidius 37, 14.
verberare milites 7, 5.
versare fortunas 46, 19.
vertices montium 43, 8.
Vespasianus 8, 8.
vestimenta Germanorum 17, 1—12.
vestis i. q. stragula 10, 4. 27, 3.
— i. q. textile lineum 25, 3.
vicus 12, 11. 26, 3.
vinum 23, 2.
vinolenti = ebrii 22, 6.
vitia i. e. mala ebrietatis 23, 6.
vitium i. e. stuprum 19, 9.
vocabulum = nomen 2, 17. 34, 4.
vocare = provocare 14, 16.

Z.

Zeugma 2, 3. 7, 17. 18, 4.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pg. 7 not. a. v. 4 sc. *gesammtheit* et sic alibi. pg. 7 not. b. *donec* — cf. indicem; accuratissime de huius particulae usu Taciteo egit Gerber in progr. Glueckstadt 1874, pg. 23—31. pg. 9 not. b. extr. *nisi si* quod ceteris locis semper cum indicativo coniunctum est, inde efficitur, recte scribi cum Holtzmanno ex cod. Stuttgardiensi *nisi sibi patria sit.* — pg. 13 extr. et pg. 14 init. quae ex commentario Kritzii sumpsi vel retinui, ita emendare debui: '— memoriae Laertae patris destinatum;' locus Sallustii delendus est. — pg. 15 not. b. v. 13 lege: in verbo differendi. — pg. 18 not. a. v. 19 lege: poeticum colorem. — pg. 19 not. a, v. 34 corrige numerum: 13 *in universum aestimanti.* — pg. 21 not. b. v. 32 pro *Romanos* lege *Batavos.* — pg. 35 not. a. v. 20 corr. *ancillis aut nutricibus.* — pg. 39 not. b. v. 14 corrige numerum: 9. *habitus.* — pg. 40 not. a. v. 20 lege *plurimis nuptiis.* — pg. 43 not. a. v. 7 lege *publicae rei.* — pg. 43 not. a. v. 12: quae Kritz de voc. *adhuc* adnotaverat, ea delere debui; cf. indicem, et Lexicon Taciteum ed. Gerber et Greef pg. 36 sq. — pg. 44 not. b. v. 25 corr. numerum: 6. *venus.* — pg. 44 not. a. v. 6 corr. c. 43, 3. — pg. 47 not. b. v. 8 corr. c. 11, 10. — pg. 48 not. a. v. 2 corr. c. 20, 15.

Annotationi criticae adde: c. 7, 12. est audire *I. Maehly.*

Typis officinae aulicae Altenburgensis (Stephan Geibel & Co.).